BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
31 0
21

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
55
10 A
6

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

36.5.5.
36
6
4
13-2,6,17

HERMANNI CONRINGII EXERCITATIONES ACADEMICÆ DE REPVBLICA IMPERII GERMANICI.

EXERCITATIO PRIMA
DE GERMANICI IMPERII CIVIBVS

Habita die XXVII Martii
Anno cIↄ Iↄc XLI.

RESPONDENTE
CHRISTOPHORO GVILIELMO Blume
Wolferbytano.

THESIS I.

DE Civibus & Statibus Imperii paucula quædam tradituris, præmittenda nonnulla erunt, quorum auxilio faciliùs in ipſius rei cognitionem devenire poſſumus. Nam & dicendum nobis erit, quinam verè Civium nomine veniant, & cum non uno eodemque modo Cives dicantur, æquivoca autem ſimul definiri nequeant, vox illa imprimis ab homonymia erit liberanda.

II. Erudite autem (ut ſolet) *lib*. 3. *Pol. cap*.1. de hujus vocis ambiguitate diſſerit Ariſtoteles. Quæ quidem tam late ſe extendit, ut pro variarum rerumpub. formis ſpecie etiam cives differant. Et verò ſi reſpublicæ priores & poſteriores ſpecie differunt, cives quoq; in iis rebuspublicis eodem modo differre neceſſum fuerit.

III. Ut verò æquivocatio hæc dilucide oſtendatur, omnibuſque ob oculos ponatur, advertendum eſt, Primò, nonnunquam eos dici cives, qui tantum patre & matre civibus nati ſunt: quamvis nonnullæ respublicę,non contentę parentibus, etiam de avo & tritavo inquirendum ſtatuant, an fuerint cives. Sed hæc quidem ſignificandi ratio admodum eſt incerta, cum in infinitum ita quæri poſsit, donec pervenias ad eum qui patrem civem non habuit. Et hanc ob cauſam Gorgias Leontinus,ſive joco, ut ſolebat multa, ſive quod aliter ſe expedire non poſſet, cives fieri à civibus, aiebat. Sicut enim mortaria fiunt ab iis, qui hanc callent artem, ita eſſe Lariſſæ opifices, à quibus Lariſſæi cives fierent. Sed quàm improvide hoc ſit dictum, quilibet facile animadvertit, Nam ſi ii tantum ſunt cives, qui naſcuntur è civibus, quomodo appellabuntur ii qui primi condiderunt vel fundarunt civitatem? Impropriè verò etiam ii cives dicuntur, qui reſpectu ſaltem aliquo hoc ſortiuntur nomen: quales ſunt civitate donati, qui non re ipſa ſed honorarii tantum ſunt cives. Dicuntur porrò etiam cives pueri, & qui nondum perfectæ ſunt ætatis, itemque decrepiti, qui ob venerandam ſenectutem, immunitates ac vacationes à muneribus impetrarunt, & puerili ætati rurſum ſunt proximi. Hi verò quamvis cives appellari poſsint. non tamen ſimpliciter hoc eſt aſſerendum; ſed ita, ut illi imperfecte & potentia tantum cives eſſe dicantur, hi verò jam effœti ideò hoc nomine gaudeant, quod olim verorum civium numero accenſiti fuerint.

IV. Cum autem hæ civis appellationes longæ ſint alienæ à noſtro propoſito, ſupervacaneum prorſus eſſe cenſemus, in hiſce diu morari. Proinde breviter tantum inſignem hujus vocabuli æquivocationem notaſſe ſufficiet, Nunc ut rem ipſam definiamus, & quibus vere civium nòmen competat, accurate explicemus, ratio poſtulat.

V. Civis autem ſecundum Ariſtotelem (quem in omnibus ejusmodi ſequendum meritò ſtatuimus) eſt ille, *cui in ea civitate cujus eſt civis poteſtas eſt fungendi magiſtratu vel deliberativo vel judiciali.* Quam quidem definitionem omnibus qui verè cives appellantur, applicari optimè poſſe confido. Etiamſi enim objicere quis poſſet, multos eſſe cives, quibus iſta non conveniant, (ſicut in Tyrannide aut Oligarchia multi ſunt cives, qui nullò loco ſunt, nulla dignitate aut munere funguntur) ei regerimus, æquivocam hanc civium appellationem eſſe, ut paulò ante uberius explicavimus. Maximè propriè autem & in illis corruptis adeoq; falſò dictis rebuspublicis nomine hoc eſſe dignos, quibus illum magiſtratum capeſſendi facultas eſt: valde impropriè verò qui hac dignitate excluduntur.

VI. Hiſce præmiſſis obſcurum nemini eſſe poteſt, quinam hodie in noſtro Germanico Imperio veri & genuini propriéque ſint cives. Ii videlicet, qui poteſtatem habent judicandi de iis, quæ ad τὸ κύριον vel ſummam reipublicæ (verſatur autem ea circa pacem & bellum, circa leges publicas rogandas vel derogandas, circa fœdera cum peregrinis, circa vitam mortem & exilium civium, denique circa bona civium aut confiſcanda aut in commune diſtribuenda) pertinent. Hinc etiam non poteſt non patere, rectè illos cives *Status & Ordines Imperii* appellari: quia nempe ſunt totius Regni columnæ, vel quod legitimam in Comitiis Germaniæ habeant ſtandi perſonam.

VII. Neque verò mirum ſit, hos ſolos veros cives reliquos autem incolas potius eſſe vel ſubditos. Omnis enim civis utique ſocius eſt civilis ſocietatis: eſt autem veri ſocii ſuffragium ferre & ſententiam de rebus ad ſocietatem pertinentibus. Apertam ſanè implicat contradictionem, eſſe

alicuius ſocietatis verum ſocium, nec tamen jus ſuffragii in ea Societate obtinere.

IIX. Scilicet hoc ſuffragiorum jus usque adeò eſt proprium civium verorum, verorumque Ordinum ac Statuum alicuius civitatis, ut eſſentiam eorum unicè conſtituat. Adeoque is qui caret illâ facultate, ſive per injuriam ſive jure, non eſt actu civis: qui fruitur illâ, ſive jure ſive injuriâ, reapſe eſt in Statuum ſive Ordinum, hoc eſt Civium cenſu. Neq; enim refert nunc, jure hoc aut illud fiat an injuria. Sic qui nondum gaudet illo jure, etſi gaudere debeat aut poſſit, rectè loquendo non eſt actu Civis ſed potentiâ tantùm.

IX. Quoniam hoc ergò verè conſtituit civem, facile apparet, per accidens tantùm fieri, ut talis aliquis Matriculæ aut Albo Ordinum Imperii ſit inſertus, utque collectiones Imperii in publicum ærarium pro ratâ proximè ſolvat. Quæ duo tamen nonnulli perperam inter certiſſimas quorumlibet Civium atq; Ordinum notas recenſent. Quod enim inſertionem in Album attinet, certum eſt, in multis rebuspublicis nullum eſſe Album: quemadmodum nec ulla etiam Matriculæ memoria exſtat in repub. noſtra, ante illam quam Sigismundus Imper. anno 1431 fecit conſcribi, quod rectè proditum eſt à Goldaſto *lib. 2 de Regno Bohem. c.* 17. Itaq; nec ante illud tempus ulli fuiſſent Imperii Ordines: quo nihil eſt dictu abſurdius. Eodem modo etiam ſæpe in civitatum ac rerumpubl. ærarium conferunt illi, qui meri reipublicæ alicujus ſubditi ſunt, & parere dominis coguntur. Ita ſanè olim Polonia devicta aliquot auri libras quotannis Germanico Imperio ſolvit: nec tamen in conventu Imperii procerum ſententiam dicendi habuit facultatem: contra Bohemiæ Rex onera Imperii non fert, in electione tamen ſummi magiſtratus Cæſarii quaſi civem Imperii agit.

X. Fate-

X. Fatemur tamen ut nunc ſunt Imperii mores, ferè ſolos illos, qui contribuunt immediate in publicum ærarium, & qui Albo ſunt inſcripti, ſuffragandi in Comitiis jus habere. Sanè ex quo placuit omnes Ordines in Album referre, deberet utique nunc illud Album certam nobis notam veri civis exhibere. Quia etiam conſtitutum jam eſt, ut ſoli Ordines proxime ſolvant debitum ſuum Imperii ærario, deberet utique & illa collectio ſignificare veros Ordines. At infra probabitur, turbatis Imperii rebus eſſe factum, ut de quibusdam jurene inſeri debeant an non, item ſolverene ſua debeant publico nec ne, hodieque incertum ſit. Et verò permultis licet hiſtoriis docere, haut paucos interdum errore quodam in publicum ærarium ſua contuliſſe, quibus neutiquam in Comitiis publicis ſtandi poteſtas fuit.

XI. Sed de hiſce infra latiùs. Id verò ex iis quæ diximus jam eſt manifeſtum: ne quidem, etſi quis ſive Princeps ſive Comes Imperii dicatur, modò non habeat jus hoc Comitiorum, in Ordinum aut Civium Imperii cenſu meritò eſſe numerandum. Anterioribus quidem ſeculis obtinuiſſe haud negamus, ut nemo Princeps vel Comes Imperii vocaretur niſi qui idem hâc ſuffragandi poteſtate valeret: cum nempe illis nominibus adhuc officia publica deſignarentur. Nunc tamen longè aliis vivitur moribus: titulis nempe illis nudis in multos collatis ſine ullo ſuffragiorum jure.

XII. Ita conſtat, in annum uſque trigeſimum ſextum à ſolo Ferdinando II Auguſtæ memoriæ Cæſare, creatos Principes viginti duos, Comites pluſquam ſexaginta, Barones ultra centum viginti. Formulæ tamen diplomatum vulgares (quas exhibet libellus cui titulus: *Status particularis regiminis Ferdinandi II.*) non perhibent, illos in Ordinum Imperii cenſum eſſe relatos. Verba Formulæ quæ in Ducibus

creandis ſunt obſervata ità ſeſe habent : *Juxta hac itaq; per Imperium perque noſtras hereditarias ditiones ſeriò ac ſtricte mandamus, & volumus : ut ſæpe jam nominatus dilectus noſter Dux N. & omnes illius in regimine dicti Ducatus N. tam ex linea deſcendente, quam poſt hanc extinctam alii ſucceſſores, vigore diſpoſitionis huius pro eis inſtitutæ uti ſupra exprimitur, dehinc perpetuo non minus quam alii, in Sacro Romano Imperio reliquuque noſtris hereditariis regnis ac ditionibus Duces, pro Ducibus N. reliqui autem legitimi heredes liberi & eorum heredes, mares & fœminæ, deſcendentis lineæ, qui jam nati ſunt, naſcenturve, primogeniti tamen non ſunt, & poſt exſtinctam modò lineam fratres Ducis N. qui, ſecundum commemoratæ diſpoſitionis tenorem, in Ducatu N. ſucceſſiſſent, licet Ducatum N. neque regant neque poſſideant, perpetuò impoſterum pro Noſtris & Imperii Principibus & Principiſſis, in quibusvis honorificis conventibus, equeſtribus ludis, ſuperioribus & inferioribus diœceſibus ac præfecturis, tam Eccleſiaſticis quàm ſecularibus, & aliàs ubique colantur, admittantur, habeantur & agnoſcantur : ipſis quin etiam dicto ſenſu reſpective Ducum Principumque titulus ac nomen tribuatur, quo tales nuncupentur atque ſcribantur: honos eorum autem dignitasque præeminentiæ, privilegia, jura, juriſdictiones, quibus ut cæteri Sacri Romani Imperii, Noſtrorumq; regnorum & terrarum Duces, Principes & Principiſſæ, de jure & conſuetudine gaudent utuntur ac fruuntur, incorrupta ac in omnibus ſalva conſerventur, &c.* Ad eundem ferè modum ſe habent verba Formulæ per quam titulus Principis confertur. Ita enim ſonant : *Idcirco poſt clementiſſimam recognitionem generis præluſtris & perveruſti Comitis ab N. & eorum nec non huius ipſius, laudabiliter acquiſitarum virtutum, & Nobis totique Romano Imperio exhibitorum fideliſſimorum obſequiorum. Nos probè deliberato animo, vero & maturo conſilio, rectâ notitia, nominatum jam Comitem ab N. ſingulari hac gratia ex*

proprio

proprio motu affeciſſe; cum non ſolum quidem, ſed poſt obitum etiam maximum natu filium ejus, atque ſic porro ſemper natu maximum, in deſcendente linea legitimè procreatum, Comitem ab N. in ſtatum honorem & dignitatem Noſtrorum ac Sacri Imperii Comitum, Principum, noviter clementerq́ evexiſſe & collocaviſſe, & collegio ac ſocietati aliorum Noſtrorum & Sacri Imperii Comitum, Principum, conjunxiſſe ſociaviſſe & æquiparaviſſe, & ut titulus ac nomen Comitum, Principum, ac in ſpecie prædicatum Celſiſſimorum, unà cum reliquo titulo & dignitate Noſtrorum ac Imperii Principum, ipſis daretur, & ab ipſis gereretur, ſeq; DEI gratia tales ſcriberent & nominarent: clementer conceſſiſſe & indulſiſſe. Et ex Romanæ Cæſareæ Majeſtatis poteſtate & perfectione, ſcienter & vigore harum, ordinare & conſtituere: ut ſupradictus Comes ab N. eoque defuncto filius ejus natu maximus, ac porro quotuscunque ex iſta lineâ deſcendente maximus natu, Comes ab N. legitimè natus, uti intellectum, in ſtatum, honorem & dignitatem Noſtrorum & Sacri Imperii Comitum, Principum modò commemorata ratione referatur, collocetur, & æquiparetur, & eorum collegio & ſocietati aſſocietur. Simulq; illis impertiiſſe & attribuiſſe, præter jam acquiſitos honores & titulos, nomen ac titulum, Noſtrorum ac Sacri Imperii Comitum, Principum ab N. & in ſpecie prædicatum Celſiſſimorum, juxta titulum ſtatumque Noſtrorum & Imperii Principum: adeò etiam, ut ſe DEI gratia tales ſcribere debeant & poſſint. Et conſequenter, ſtatuere, decernere ac velle: ut ſæpe dictus Comes ab N. & poſt eum relictus filius ejus natu maximus, deinceps omnes ipſius hæredum hæredes, uti conſtitutum, continuo & ſemper Noſtri & Sacri Imperii Comites Principes eſſe, eo ſeſe commemorato prædicato, titulis ac dignitatibus, ſupra & juxta priſtinos beneque & cum laude acquiſitos titulos, nominare & ſcribere, à Nobis & Noſtris in Imperio ſucceſſoribus, aliisque omnibus ac ſingulis tales haberi, agnoſci, coli, vocari ac inſcribi uni-

verſa

verſa quin etiam beneficia, privilegia, honores, dignitates, prærogativas, præeminentias, emolumenta, jura & jurisdictiones, unà cum beneficiis in ſuperioribus inferioribusque diœceſibus eccleſiaſticis ac ſecularibus, feudis & præfecturis, in conventibus & equeſtribus ludis, ſuſcipere, obire, aliaque omnia obtinere & participare. His denique cunctis, præcipuè verò Principali Principum, Comitum, titulo ac nomine, in Seſſionibus, in v tis, in proceſſionibus, ubique locorum & apud omnes, ſummo cum honore, prout par erit, eorumque neceſſitas voluntas ac beneplacitum feret, gaudere, uti, frui, debeant ac poſſint. Eo plane modo quo alii Noſtri & Sacri Imperii legitimi Principes Comites de jure & conſuetudine talibus gaudent utuntur ac fruuntur, nemine prohibente. &c. Pari ratione Comitum quoque confertur titulus ac honor: *Nos ei ſequentem ſingularem gratiam & privilegium, bene deliberato animo, ſano conſilio, rectaque notitia, in optima valentiſſima & firmiſſima forma & modo, contuliſſe atque conceſſiſſe; & in præſens eandem illi Romana Cæſareâ autoritate, abſoluto jure, ſcienter & harum vigore, conferre & concedere. Nimirum ut deinceps à Nobis, Noſtrisque in Sacro Imperio ſucceſſoribus, Romanorum Imperatoribus, Regibusque, ſæpe nominatus Comes ab & in N. ipſius legitimi hæredes liberi, eorumq; hæredis hæredes in deſcendente lineâ, ex omnibus Noſtris & ſucceſſorum Noſtrorum in Sacro Imperio, domoque Archiducali Auſtriæ archivis, in Noſtris & illorum loquendi formulis, ſcripturis, tabulis & epiſtolis, aliisque libellis, qui à Nobis & ſucceſſoribus Noſtris, ſeu ad eos ſeu aliâ ratione mittentur, in quibus mentio illorum fiet, titulo, prædicato, & axiomate Generoſiſſimi afficiantur & ſcribantur. &c.*

XIII. Cæterum quid propriè conſtituat civem reipubl. ex allatis eſt manifeſtum: conſequens eſt diſpiciamus, quinam ad eum cenſum pertineant. Atque excutientibus quidem rerum patriarum antiqua monumenta, liquidum ſtatim

fit,

ſit, non aliò certum ſemper eorum numerum initum fuiſſe. Neque enim aliâ de cauſa tam ſerò cœpit Album quoddam publicum, aut Matricula Imperii Ordinum, quam appellant, conſtitui. Ceſſit autem hæc negligentia dubio procul, haud levi damno reipublicæ. Etenim pro vario numero eorum qui ad Comitia vocantur, reipublicæ quoque diverſæ ſpecies oriuntur. Mutatur ſcilicet ſenſim in Oligarchiam Democratia, ſi pauciores paulatim Comitia frequentent, reliquis domi remanentibus: contra Oligarchia in Democratiam degenerat, ſi magis magisque plures ad publica conſilia conveniant. Quocirca & prudentiores legibus poſitis, aut arcanis artibus, ſive ſervandus ſit præſens ſtatus ſive mutandus, vel minuunt, vel augent, vel verò ſervant ac tuentur diligentisſime civium verorum numerum.

XIV. Qvo autem liqueat, etiam apud Germanos aliam atque aliam cæpiſſe reipublicæ formam, non obſervato ſemper eodem verorum civium cenſu; haud abs re fuerit fortasſis ab antiquisſimâ uſque memoriâ repetere, quinam jus conciliorum publicorum habuerint. Ubi initiò monendum, Germaniam olim non in unam rempublicam aut civitatem coaluiſſe, ſed ferè quot populos totidem diverſas civitates extitiſſe. Primi ſanè Franci, auſpiciis & rarâ felicitate Caroli Magni, omnia quæ Balthico mari Oceano Alpibus & Carpatho monte ac Viſtula fluvio ſunt cincta, ſuo per Galliam omnem extenſo imperio conjunxerunt.

XV. Antiquiſſimis verò temporibus quid conſueverit ac fuerit receptum, ex Tacito apparet. Prodit enim ille, duo tunc fuiſſe in uſu conciliorum genera, alterum *majus* de majoribus rebus, alterum *minus* de minoribus, & huic quidem ſolos Principes interfuiſſe, illi autem totum Populum. Sunt autem Tacito *Principes*, qui in ſingulis civitatibus *jus per pagos & vicos dixerunt*, *pagorum* vocabulo veniente id

ferè quod nunc ein Ampt / *vicorum* vero quod nunc ein Flecken / aut ein Dorff / appellamus. Quos *Principes* olim præcipuæ fuiſſe nobilitatis, haud obſcurè ex eodem eſt Tacito colligere. De majoribus vero comitiis videntur omnino accipienda illa ejusdem Taciti: *ut turbæ placuit conſident armati. Mox Rex vel Princeps audiuntur, autoritate ſuadendi magis quàm jubendi poteſtate. Si diſplicuit ſententia fremitu aſpernantur.* Nimirum *turbæ* voce Populus notatur, cui Rex vel Principum aliquis ſententiam ſuam de negotio, jam tum apud ſuos prætractato, propoſuit.

XVI. Ex his vero Taciti verbis colligere eſt, duplicem tunc in civitatibus Germanicis Statuum aut Civium fuiſſe conditionem, aliam nimirum primæ, aliam ſecundæ autoritatis ac dignitatis. Primi generis fuerunt, qui poſt *Adelingi* & ab officio Grafen vel Richter aut Häuptlinge ſunt dicti: nobili omnes ſtirpe nati. Ad alterum autem ordinem plebs omnis pertinuit. Non tamen eo in honore ſervi eum fuerunt, imò ne ipſi quidem liberti. Disertè enim de Germanis idem Tacitus: *Liberti non multùm ſupra ſervos ſunt: rarò aliquod momentum in domo, nunquam in civitate; exceptis duntaxat iis gentibus quæ regnantur. Illic enim ſuper ingenuos & ſuper nobiles adſcendunt: apud cæteros impares libertini libertatis argumentum ſunt.* Aſt Regna tunc Germanis populis rariſſima fuerunt; liberti verò valuerunt dubio procul miniſterii potiùs regii quàm ſuffragiorum poteſtate. *Principes* autem ex nobilitate fuiſſe, haud difficulter patet. Præterquam enim quod perpetuo *Principes* opponantur *plebi*, diſertè ita ſcribit Tacitus: *Eliguntur in iiſdem conciliis & principes, qui jura per pagos vicosque reddunt; centeni ſinguli ex plebe comites conſilium ſimul & autoritas adſunt.* Si autem *comites* ex plebe, utique Principes nobiliore fuerunt ſtirpe orti. Non multo poſt idem ait: *Inſignis nobilitas aut magna patrum merita*

merita Principis dignationem etiam adoleſcentibus aſſignat. Et nam receptū olim ut omnibus Germanicis populis moris fuit, non tribuere hanc juris dicundi poteſtatem, niſi maximâ nobilitatis ratione habita.

XVII Loquitur autem de illis cùm Majoribus tùm Minoribus Comitiis in hæc verba idem Tacitus. *De minoribus rebus Principes conſultant, de majoribus omnes: ita tamen ut ea quoque quorum penes plebem arbitrium eſt apud Principes pertractentur.* Ubi tamen cum Hugone Grotio, ſummo ſanè viro, legendum forte *prætractentur.* Nempe ut penes Principes illos de maximis rebus fuerit προβȣλία, at de minoribus integrum arbitrium. Et verò conſtare id ipſum videtur etiam ex uſu rerum Germanicarum ſequentibus ſeculis ſue-to [illegible] quod in Comitiis Majoribus illi ſoli plebi ſit propoſita non tam res aliqua tum primum deliberanda, quàm concepta jam Principū ſententia, ſalvo tamen populi arbitrio.

XIIX Ergo omnes etiam ex plebe ingenui civium [illegible] authoritate polluerunt: primario licet loco fuerint *Adelingi* aut *Principes*; utpote cum ſine ingenuorum omniū conſenſu nihil magnæ rei conſtitui potuerit. Conſtat verò [illegible] & ex judicandi poteſtate, quâ valuerint plebeji. Neque enim judicia tum fuerunt penes ſolos Nobiles, etſi hi illis præfuerint potiſſimùm; ſed ex parte & penes inferiorem illum ordinem. Jam enim ante audivimus, centenos ſingulis Principibus *ex plebe* comites fuiſſe, adjunctos conſilii & authoritatis nomine. Qui forte ſunt, quos Tacitus *lib. 5 Hiſtor.* de Treveris loquens, ut & Cæſar *lib 4* de Ubiis, *[illegible]* appellant. Atqui veri cives conſulendi judicandiq. poteſtate deſiniuntur.

XIX. Alio [illegible] planè loco apud Germanos antiquitus [illegible] apud Gallos. De Gallis enim Cæſar *lib. 6 de bello Gallico: Plebs pene ſervorum habetur loco, quæ per*

ſe nihil audet & nulli adhibetur conſilio. De Germanis autem idem: *Vbi quis ex Principibus in concilio ſe dixit ducem fore, qui ſequi velint profiteantur: conſurgunt ii qui & cauſam & hominem probant ſuumque auxilium pollicentur, atque à multitudine collaudantur.* Eburonum, gentis Germanicæ Ciſrhenanæ, Rex Ambiorix apud eundem Cæſarem l. 5. ita loquitur: *Sua eſſe imperia ejuſmodi ut non minus haberet in ſe juris multitudo quàm ipſe in multitudinem.* Hinc Tacitus *lib. 4. Hiſtor.* ſcribit: Civilem Batavum rebellionem dum moliretur, non tantùm *primores gentis* Batavorum *ſed & promtiſſimos vulgi convocaſſe.*

XX. Quanquam vero populi nonnulli Germanici ſub Regibus vixerint, quidam ſine Regibus, etiam apud illos tamen eadem fuit civium conditio. Neque enim Regibus fuere plena maieſtatis jura quæ vocantur; ſed omnis eorum poteſtas fuit haud alia fere quam olim Regum Lacedæmoniorum. Diſertè Tacitus: *Regibus non infinita aut libera poteſtas.* Item ubi de Comitiis integri populi diſſeruiſſet, *Reges*, ait, *auditos ibi eſſe, autoritate ſuadendi magis quàm jubendi poteſtate.* De Friſiis, cum dixiſſet *lib. 14. Annal* eos à Verrito & Malorige regi, adjecit: *inquantum Germani regnantur.* De Gothonibus idem *lib. de morib. Germanor. Trans Lygios Gothones regnantur, paulò jam addictius quàm cæteræ Germanorum gentes, nondum tamen ſupra libertatem.* De ſolis autem Sueonibus idem ſic loquitur: *Vnus imperitat nullis jam exceptionibus, non precario jure parendi.* Quo oſtendit, eos à Germanico ingenio multum tunc abfuiſſe. Si autem libertas populi etiam ſub Regibus olim ſalva fuit; non potuit non & jus comitiorum, cum nobilibus tum plebi, fuiſſe integrum.

XXI. Manifeſte vero hanc formam civium etiam aliquot poſt ſeculis, argumento eſt, quod in univerſum Germanicorum populorum libertas deprædicetur. Opponitur autem libertas dominatui. Ubi autem libertas viget popu-

populi, non poteſt ille excludi a conſiliis rerum ſaltim majoris momenti.

XXII. CÆTERUM illa libertas in plærisque populis videtur poſt extincta a Francis. Hi enim devictis à ſeſe plærisque Germaniæ populis, duram videntur ſervitutem impoſuiſſe. Certè hanc fortunam ſubierunt Alemanni potentiſsimus ante populus, poſt victoriam Clodovæi anno Chriſti 499 partam. Qua de re Æmilius florentiſsimus Gallicarum rerum ſcriptor: *Cadit Alemannorum Rex: Alemannia ſtatim tributum pendere juſſa, leges etiam graves miſerabili ſtatu, ab irato victore accepit.* Joachimus Vadianus, vir rerum Germanicarum, imprimis Alemannicarum, antiquitatum peritiſſimus, epiſtola quadam quam recitat Goldaſtus Tomo 2 Antiquitatum Alemannicar. f. 84 ita loquitur: *Plena fuit ſervis & ſervitutibus Alemannia noſtra, cujus magna pars hodie Helvetia eſt. Nec eſt, quod ſciam, notatu dignus pagus aliquis Helvetiorum, qui, rebus Francorum florentibus, duriſſimam illam ſervitutem non ſervierit. Exſtant enim tabulæ veteres quæ hanc rem clariſſime teſtantur.* Pervenerunt autem in miſeram iſtam ſervitutem illa Clodovei victoriâ non Alemanni tantum, ſed & Baivarii: quemadmodum ex Gregorio Turonenſi, Sigeberto, aliisque antiquis Francicarum rerum ſcriptoribus eſt manifeſtum. Summa rei verò totius Alemannici & Bajoarici populi ad Francos delatâ, non illi liberi cives regni Francici ſunt facti ſed potiùs ſubditi. Qui enim illis ſunt præfecti magiſtratuum loco, Franciciæ plærique proſapiæ videntur fuiſſe non Alemannicæ aut Bajoaricæ.

XXIII. Poſt Alemannos, circa annum 524, devicti Thuringi, non quidem in eandem videntur ſervitutem redacti, jus civitatis tamen ſub Francis retinuiſſe aut in civitatem Francorum tranſiiſſe non videntur. Namque & ipſi tributum pendere ſunt juſſi, magiſtratus quoque & leges ex victo-

tiâ populi arbitrio acceperunt. Neq; enim in ſocietatem aſſumti, ſed imperio ſubjecti fuerunt.

XXIV. Eadem fortuna Friſiorum fuit. Qui populus oram maritimam à Rheno uſque ad Viſurgim inſedit. Namque & illa regio omnis à Carolo Martello & poſt Pipino in provinciam redacta eſt: populo tamen, ut nonnulli perperam volunt, in ſervitutem haud compulſo. Etſi vero etiam majorem libertatem illis reddiderit Carolus Magnus, præclare in Italia geſtis eorum rebus motus, in civitatem tamen Francorum eos aſſumtos non liquet.

XXV. Meliori eventu Saxones ab iisdem Francis ſunt victi. Illi vero eâ tempeſtate VVeſtphaliam omnem & Angariam, & quicquid item eſt terrarum Salam inter Meliboceum montem, Viſurgim, Oceanum & Albim, imo & trans Albim quod ad Eidoram uſque amnem oræ eſt maritimæ, tenuerunt. Quamquam enim & hi initio juſſi pendere tributum, & communem devictarum gentium fortunam ſubierint, exitus tamen belli felicior fuit. Notatu eâ de re digna ſunt verba Eginharti l. de vita Caroli magni: *Ea conditione à Rege propoſitâ & ab illis ſubſcriptâ, tractum per tot annos bellum conſtat eſſe finitum: ut abjecto dæmoniorum cultu & relictis patriis ceremoniis, Chriſtianæ fidei atque religionis ſacramenta perciperent, atque* FRANCIS ADVNATI VNVS CVM EIS POPVLVS *efficerentur.* Paulò plenius contractum hunc deſcribit Poeta ille anonymus Annalium Caroli Magni autor, quem primus edidit Reinerus Reineccius, ad annum 803. Teſtatur enim ille, initum fuiſſe pactum cum *Nobilitate Saxonum*. Quo nomine intelliguntur ſoli illi qui juris dicundi poteſtate valentes vulgò Grafen aut Fürſten appellati ſunt. Contractum autem ſcribit cum iis [illegible] in hæc:

At vero cenſum Francorum regibus ullum
Solvere nec penitus deberent, atque tributum

Cum

Conditionum pariter ſtatuit ſententia concors.
Tum ſub Judicibus quos Rex imponeret ipſis
Legatisque ſuis permiſſi legibus uti
Saxones patriis, & libertatis honore.
Hoc ſunt poſtremo ſociati fœdere Francis,
Ut gens & populus fieret concorditer unus
Ac ſemper Regi parens æqualiter uni.

XXVI. Ex his autem videtur, ſolam illam *Nobilitatem* Francicæ tunc civitatis jus accepiſſe, non autem plebem reliquumque populum Saxonicum: quippe cum quibus ſolis eſt contractum. Non quaſi non & aliis ſua manſerit libertas aliqua, ſed tantum quod non omnis populus in curam communis reipublicæ conceſſerit. Nec vero probabile mihi fit, quod Reineccius ad hunc locum notat; etiam ante hanc in Saxonica plebem à reipublicæ negotiis fuiſſe remotam. Quod tamen diſputare non eſt hujus loci. Id verò etiam atq; etiam eſt notandum: ex hoc pacto Magiſtratuum omnium, imprimis eorum qui jus dicebant ſive Grafionum, conſtitutionem Carolo ceſſiſſe, omnemque Saxoniam gubernandam partim per ordinarios magiſtratus, partim per Miſſos aut Legatos, hoc eſt extraordinarium magiſtratum utrumque tamen à Cæſare dependentem. Quomodo ſcilicet & aliæ provinciæ Francicæ tunc gubernabantur.

XXVII. Juncti igitur Francis Saxones; at non ut penitus ſubditi, ſed ut unius reipub. cives. Quod ipſum & Witekindus Corbeienſis l. 1. innuere voluit hiſce verbis: *Qui olim ſocii & amici erant Francorum, jam FRATRES & quaſi UNA GENS, ex Chriſtiana fide, veluti modo, facta eſt.* Nec vero aliâ de cauſa Carolus ſe Saxoniæ Dominum ſe dixit & Francorum Regem, non item aliorum populorum, quos plurimos continuit imperio ſuo, niſi ſolorum in Italia Longobardorum nomen titulo ſuo Regio adjunxit. Nempe quod hi populi ſoli liberi-

libertate fruentes,non in Francorum ditionem penitus conceſſiſſent. In autem Caroli titulis legitur in iis literis quibus Episcopatum Oſnabrugenſem condidit. *Carolus Imperator Auguſtus, Romanum gubernans Imperium, Dominus & Rex Francorum & Longobardorum, nec non Dominator Saxonum.*

XXIIX. Præter autem laudatas ante nationes nihil in Germania,cis Rhenum quidem,fuit Germanicæ originis: reliquum omne Venedis aut Sclavis occupantibus. Hi vero nec paruerunt integrè Francis, nec in ſocietatem reipub. accepti ſunt, ſed tributum ſolummodo penderunt. Poteſt hoc plurimis doceri: at ſuffecerit unum Eginharti, rerum harum omnium peritiſſimi, teſtimonium adduxiſſe. *Omnes barbaras ac feras nationes,quæ inter Rhenum ac Viſtulam fluvios Oceanumque & Danubium poſitæ, lingua pene ſimiles,moribus autem atque habitu valde diſſimiles, Germaniam incolunt, ita perdomuit ut tributarias eas fecerit. Inter quas ferè præcipuæ ſunt VVelatabi, Sorabi, Abotriti, Boemanni; cum iis namq; conflixit, cæteras verò quarum longè major eſt numerus,in ditionem accepit.* Incoluerunt autem Sorabi ea quæ inter Salam ſunt & Albim; Welatabi & Abotriti Meclenburgicam hodie dictam terram tenuerunt.

XXIX. Cæterùm omnibus hiſce ita ſeſe habentibus apertum ſit; eo tempore quo Franci rerum per Germaniam omnem ſunt potiti, nullum populum Germanicũ plane libertate fuiſſe uſum,aut civitatis jus habuiſſe, præter ſolos Francos, & quibus hoc relictum fuit, Saxones. Conſtat tamen, in omnibus aliis quoq; populis Primores ad conventus publicos eſſe accitos, ſed hi forte fuerunt Franci & aliis illis præfecti. Hac ſanè de cauſſa,præſertim verò quod & illi Francicæ originis eſſent, & vel pagis vel regionibus devictis olim præpoſiti, dicitur quidem paſſim,Populum Francorum conveniſſe,

alium

alium autem præter hunc nullus : ex omnibus tamen provinciis dicitur in unum coiiſſe.

XXX. VT AVTEM res omnis eò clariùs pateat, operæ pretium fortè fuerit apertè oſtendere, quinam ergo jus comitiorum Francicorum olim habuerint. Quod idem eſt atque exponere, quinam olim potientibus rerum Francis veri cives fuerint Germanici. Idipſum autem, ſi non aliundè, optimè fortaſſis poteſt perſpici ex iis, quæ ex Adelhardi propinqui Caroli Magni & conſiliarii, mox Abbatis Corbejæ utriuſque Gallicæ & Germanicæ, libello *de Ordine Palatii* recitat Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis, nobili & ipſe Francorum ortus proſapiâ, inque aulicis regni negotiis ætate Ludovici Pii ejusque filiorum verſatiſſimus, epiſtola ad Epiſcopos Franciæ perſcripta 3. c. 29. *Conſuetudo* (verba ejus ſunt) *tunc temporis trita erat, ut non ſæpius ſed bis in anno placita duo tenerentur. Vnum quando ordinabatur ſtatus totius regni ad anni vertentis ſpacium : quod ordinatum nullus eventus rerum niſi ſumma neceſſitas, quæ ſimiliter toti regno incumbebat, mutabat. In quo placito generalitas univerſorum Majorum tàm Clericorum quàm Laicorum conveniebat. Seniores propter conſilium ordinandum : Minores propter idem conſilium ſuſcipiendum & interdum pariter tractandum, & non ex poteſtate ſed ex proprio mentis intellectu vel ſententiâ confirmandum.* cap. 30. *Cæterùm autem propter dona generaliter danda aliud placitum à Senioribus tantum & præcipuis conſiliariis habebatur, in quo jam futuri anni ſtatus tractari incipiebatur. &c.*

XXXI. Hæc verba modò rectè intelligantur, omnem rem quam inquirimus nobis demonſtrant. Duo ſcilicet apud Francos fuere conciliorum genera : alterum commune totius populi : alterum particulare, de rebus quidem minoribus ſemper, interdum tamen & de majoribus, ſed non

niſi προβουλίας ἕνεκα, quorundam ex Principum aut Primorum ordine delectorum. Vtrumque quotannis celebratum. Et Majore quidem illo negotia Regni conſtituta ſunt in integrum annum. Minore res maximæ, in futuro generali conventu conſtituendæ, ſunt prætractatæ. Quem morem omnibus Germanicis populis olim fuiſſe uſitatum, ex Tacito ſupra probavimus. Tempus porrò comitiorum illorum Majorum ſtatum fuiſſe circa calendas Maji, probat teſtimonium Sigeberti Gemblacenſis in Chronico ad annum 662: *Francorum*, inquit ille, *Regibus moris erat Kalendis Maii præſidere coram totâ gente, ſalutare & ſalutari, obſequia & dona accipere, &c.* Quod totidem pene verbis dicit Cedrenus. Sed hoc fortaſſe primis obtinuit temporibus: ætate certè Caroli Magni adeò religiosè obſervatum non fuit.

XXXII. Jam verò cum in comitiis illis Majoribus fuerint totius regni negotia conſtituta, & verò illa peracta fuerint totius populi arbitrio ac conſilio, liquet utique, omnem populum Francicum obtinuiſſe jus civium & comitiis interfuiſſe. At *populi* nomine multi veniunt. Namque & Primores ſeu Proceres pars populi ſunt, & plebs quoque ingenua eodem nomine comprehenditur. Videri autem poſſit èx Hincmaro, ſolos Proceres olim ad comitia convocatos, ſecluſa plebe. Scribit enim, coiiſſe *generalitatem MAIORVM*. Cæterum mendo textus laborat: ſcribendumque *generalitas Majorum & Minorum*. Statim enim pòſt & *Minores* conſilio ſcribit interfuiſſe, quos utique ergo conveniſſe neceſſum eſt.

XXXIII. Illos verò MINORES fuiſſe multitudinem ipſam ſeu plebem, claret ex iis quæ habentur *cap. 35* ejuſdem epiſtolæ: ubi diſertè ſcribitur, diſtinctis locis in comitiis iſtis Seniores & Multitudinem reſediſſe. Quanquam verò & Multitudo illa convenerit, liquet tamen ex Hincmaro, non eam

eam fuiſſe *Multitudinis*, quæ erat Procerum , auctoritatem: Diſertè enim ſcribit *Seniores* , (quo nomine ille appellat Proceres aut Primores regni) conveniſſe , *propter conſilium ordinandum, Minores propter idem conſilium ſuſcipiendum.* Nec tamen omne arbitrium rerum fuit Multitudini ereptum. Addit enim : *& interdum pariter tractandum , & non ex poteſtate* (h. e. non alieno potentiorum juſſu) *ſed ex proprio mentis intellectu vel ſententia confirmandum.* Ergò & Multitudo interdum tractavit res illas maximas : habuit verò poteſtatem , ea quæ placuerant Primoribus *confirmandi* , & quidem *ex proprio conſilio* , non ex mandato. Si autem *confirmandi* liberum jus habuit , habuit jus quoque rejiciendi quæ diſplicuerunt , more antiquo ſcilicet adhuc integro. Patet idem ex Capitulari Caroli M. *10. c. 217. de capitulis quæ in Legem noviter addita ſunt. Vt Populus interrogetur de capitulis, quæ in Legem noviter addita ſunt ; & poſtquam omnes cōſenſerunt, ſubſcriptiones & manu confirmationes ſuas in ipſis capitulis faciant.* Fine legis Alemannicæ hæc habentur : *Hoc decretum eſt apud Regem & Principes ejus , & apud cunctum Populum Chriſtianorum, qui infra regnum Merovingorum conſiſtit.* Vbi *Populus* additus *Principibus* non poteſt non plebem ſignificare. At ex illius Populi *decreto* Leges illæ Alemannicæ ſunt conſtitutæ. Idem confirmant & conſtitutiones illæ *l. 5. c. 38* ubi recenſetur quænam cōmuni *fidelium* regis conſenſu conſtituta ſint. Ad *fidelium* enim numerum non poteſt non & Plebs pertinere. Iſtâ verò loquendi formulâ & ipſe Ludovicus Pius utitur *l. 1. Capitular. ſub init & c. 22 & 24.*

XXXIV. Tanta verò fuit præ Plebe Procerum auctoritas, ut libertate ſuâ antiquâ , rejiciendi nempe illa quæ Principibus placuerant , nunquam uſa legatur: ſive non diſplicuit quod illis placuit , ſive contra niti haud fuerint auſi. Hinc in antiquis monumentis concilia illa Populi plerumq;

haud alio nomine quàm *conventus Procerum* aut *Principum* vel *Optimatum* audiunt : omni ſcilicet concilii poteſtate ferè ad hos ſolos relatâ. Eòdem ſpectat procul dubio Hincmari illud conſilium Ludovico Balbo datum *Epiſt.* 1 : uti rempublicam adminiſtret ex Procerum aut *Principum* conſenſu ; nuſquam plebis mentione facta. Vnde & epiſtolam illam claudens cap. x ſcribit: *De generalibus Eccleſiæ ac regni negotiis, ſine generali Primorum regni conſenſu & conſilio ſecretum dare conſilium nefas : etiam conſenſum deliberare non volo.* Poſſet autem id ipſum facilè plurimis probari teſtimoniis ſi opus foret : ſed rei perſpicuæ fidem conciliare velle, videtur eſſe operam ludere.

XXXV. Proceres autem ac Primores Ordines quod attinet, notandum eſt : Hincmarum teſtari, conveniſſe *generalitatem Vniverſorum Majorum, tàm Clericorum quàm Laicorum.* Itaque primùm omnibus Archiepiſcopis Epiſcopiſque in univerſo Francorum Imperio jus fuit ſuffragii in comitiis publicis ferendi. Eòdem pertinuerunt & Abbates. Namque & illorum cumprimis magna fuit auctoritas. Eòque & Hincmarus *Ep. 5. c. 7* Ludovico Balbo ſuadet, ut inter alios proceres, Hugonem & Gozlinum Abbates minùs Regi æquos convocet, atque ex eorum etiam conſilio negotia Regni ordinet. Laici deinde Majores omnes veri fuerunt cives. Eo autem nomine comprehenduntur Duces ac Comites. Atque hi quidem videntur & *Magiſtratus* appellati ac *Iudices* in antiquis Francorum monumentis. Nam qui plebeios credunt his nominibus ſignificari, illi ſanè falluntur. Vt enim alìbi probatur ; ea tempeſtate Magiſtratuum & Iudicum officia ſola nobilitas adminiſtravit. Quin imò Comitum officium non aliud fuit quàm judicum. Vt alibi itidem rectiùs exponetur.

XXXVI. Hos porrò Proceres jam temporibus Francorum

eorum antiquiſſimus concilio interfuiſſe, plurimis quidem teſtimoniis probare in proclivi eſt: ſatis autem fortaſſis eſt unum alterumque attuliſſe. Apud Theganum Chorepiſcopum Trevirenſem *l. de geſtis Ludovici Imp. c. 6.* de Carolo Magno ita legitur: *Imperator cum intellexiſſet appropinquare ſibi diem obitus ſui, vocavit filium Ludovicum ad ſe cum omni exercitu. Epiſcopis Abbatibus Ducibus Comitibus loco poſitis, habuit grande colloquium cum iis Aquiſgrani in Palatio.* Initium legum Alemannicarum ita ſeſe habet: *Lex Alemannorum quæ temporibus Lotharii Regis cum Principibus ſuis, id eſt* 33 *Epiſcopis,* 34 *Ducibus,* 72 *Comitibus, & reliquo Populo conſtituta eſt.* Vbi tamen nulla Abbatum fit mentio, quod nempe primà Francorum ætate nondum id juris eſſent adepti. Ætate tamen Caroli Magni eâ dignitate jam potitos fuiſſe Abbates, ſaltim aliquos, ex iis quæ attulimus certum eſt. Taceo enim nunc, quod Hincmarus *ep. 3 c. 35* diſertè ſcribat, Epiſcopis & Abbatibus in concilio Populi ſua fuiſſe ſubſellia.

XXXVII. VERUM Carolo Magno & Ludovico Pio ejus filio non Germania tantùm ſed & Gallia omnis atque Italia paruit: itaq; tum quidem tempores ad concilium generale ex omnibus illis locis Ordines fortè ſunt vocati. At Germania à reliquis illis diverſum regnum cœpit eſſe pòſt Francici Regni diviſionem illam inter Ludovici Pii filios tres inſtitutam. Ludovico enim ceſſerunt præter Auſtriam Bavariam Alemanniam & Franconiam, Friſia Saxonia Venedorum potior terra & urbes tres ad Rhenum. Acceſſit pòſt & illa portio, quæ cis Alpes ad Lotharium ex eadem diviſione devenerat, quæq; Lotharii regnum aut Lotharingia hinc appellata eſt, veteremque Belgicam Galliam penè exæquat. Omnia hæc imperio ſuo etiam Henricus Auceps complexus eſt: ab eo autem per multa ſecula ſequentes Impp. Germanici acceperunt. Adjecit Otto Magnus Italiam. Conrado

 porrò

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EM. ... ROMA

porrò Cæſare & Burgundiæ regnum ſeu Arelatenſe cum Germanico ac Lotharingico conjunctum eſt. At poſt fatale illud interregnum quod Friderici Secundi tempora excepit, Burgundici quidem regni Procerum plærique pro ſe quisque liberum ſibi aliquod Regnum condidêre, mox in Gallorum Regum poteſtatem pervenerunt. Multæ quoque Lotharingici Regni provinciæ à corpore Imperii Germanici, aut vi detractæ ſunt, aut ultrò ſeceſſionem fecere. Germanici quoque propriè ita dicti Regni portiones quædam haud exiguæ respublicas ſibi proprias ſtruxerunt. Nec verò quicquam Germanico quidem regno poſt Ottonem M. acceſſit, præter illa quæ trans Albim in Meklenburgenſi & Pomeranico ſunt tractu, Pruſſiam item & Livoniam: quæ ultima tamen in civitatem Polonicam jam conceſſerunt. Non annumerabo enim Germanicis provinciis Daniam, Poloniam, Vngariam, etſi tributum interdum penderint, Polonia verò etiam leges ex parte acceperit.

XXXIIX. Sed hæc latiùs & pro dignitate deducere ejus operæ eſt, quâ de provinciis & limitibus regnorum omnium Germanicorum agitur. Facilè autem ex his manifeſtum eſt; prout crevit vel decrevit Imperium Germanicum, ita & numerum civium fuiſſe immutatum. Namque Ludovici Germanici ætate quidem, ſolius Germanici propriè dicti Regni Ordines comitia conſtituerunt: pòſt in idem concilium & Lotharingici Status aſſumti ſunt. Burgundici regni Ordines, an ſtatim Germaniæ concilia frequentaverint, meritò fortaſſis quis dubitet. Exceperunt enim illam ætatem, quâ primùm conjuncta eſt Germaniæ Burgundia, ingentes motus, quibus Germaniæ robur fractum: & ipſi Ordines Burgundici ſui juris eſſe maluerunt. Italicum quoque Regnum ſua habuit ſemper concilia. Certè, omnium horum regnorum univerſale aliquod concilium ſi habitum eſt unquam,

am , non niſi rariſſimè eſt habitum. Videtur tamen penè
ıſmodi aliquod celebratum, cum eligeretur in regem Con-
lus Saliquus. Hiſtoriam illam deſcribens VVippo : *Ita-
m* (inquit) *tranſeo, cujus Principes in brevi convenire ad Re-
m electionem nequiverunt.* Scribit tamen: *Tunc ſinguli de
gulis Regnis eadem verba electionis ſæpiſſimè repetebant.* Sed
e quid fortaſſis factum in electione Regum : aliàs autem
tum eſſe, vix legas.

XXXIX. Illud verò conſtat, Lotharingicum & Germa-
cum regnum ita à temporibus usque Henrici Aucupis coa-
ſſe, ut uno nomine, iisdem conciliis, pari auctoritate ſint
utriusq; Regni Ordines, verèque hactenus unam civitatem
nſtituerint. SED EORUM quinam ex iis terris jus habuerint
rorum civium, numerum inire difficile eſt. Namq; & à mo-
mentis antiquis deſerimur, & quæ laudantur ſubleſtæ ſunt
lei, tum verò longa ætas magnam omnium rerum muta-
onem fecit.

XL. Circumfertur tamen vetus quædam Ordinum ta-
la, quâ illi in quaterniones diviſi ſunt. Inſeruit illam o-
ri ſuo jam olim auctor Chronici Colonienſis editi anno
99 : inſeruit & Petrus de Andlo *l.* 1. *cap.* 16. *de Romano Im-
rio*: exhibuit ex poſterioribus Munſterus *l.* 3 *Coſmogr. c.* 18.
urimi alii laudârunt; ideoque vulgò nunc in picturas abiit.
ec verò dubitant nonnulli auctorem ejus Ottonem III
nperatorem ſtatuere ; prudentiores tamen incertam illi
ſcribere originem malunt. Verùm enimverò qui non vi-
t omne illud ineptum eſſe otioſorum hominum com-
entum , in antiquis Imperii rebus nihil videt. Certè hæ
viſiones contra omnem ſunt hiſtoriæ fidem. Nec verò eſt
iod cum Limnæo *l.* 1. *c.* 7. *n* 44 mitiùs ſentiamus, eò quod
Receſſibus Imperii Erphurdiæ celebratis paragrapho
rauff wir nach Auſweiſunge / Comites Svvartzburgenſes
nomi-

nominentur titulo der vier Graben des Reichs / aut quod Receſſibus anno 1517 Carolus de Fravenberg ſubſcripſit hiſce verbis: des heiligen Römiſchen Reichs Erbritter. Ejusmodi enim & alia multa meris commentis ſubnixa per incuriam quandam in Receſſus irrepſerunt. Ottonis certè Tertii opus tabula illa nequaquam eſt. Referuntur enim in eâ Duces Brunſuicenſes, nec non Thuringiæ & Haſſiæ Landgravii: quos diu poſt Ottonem III cõſtat cœpiſſe. Comites porrò Sabaudiæ ſunt Arelatenſis Regni proceres: illi verò Regno tempeſtate Othonis III cum Germanico nihil fuit commercii. Lubecam quoque certum eſt liberis Imperii Vrbibus additam demum eſſe à Friderico id nominis primo Barbaroſsâ. Non dicam nunc, quod illa tabula nullos Epiſcopos, nullos Abbates exhibeat; ſileat quoque plurimos Comites, plurimas Vrbes Imperiales: quibus in conciliis Imperii illa jam ætate fuit locus.

XLI Aliam tabulam Ordinum itidem per quaterniones diſtinctam, inſeruit *tomo unico Conſtitution. Imperial. p. 34* Melchior Goldaſtus, & ex illo repetiit Limnæus *l. 1. c. 7. n. 48.* Quæ & ipſa videtur nonnihil antiquior, minùs tamen eſt vulgaris quàm illa prior. Reapſe autem & illa nihil aliud quàm luſus quidam eſt hominis vani & inepti; qui ut multos quaterniones conficeret, totius orbis reſpublicas non dubitavit ſuis nugis concutere. Adeò autem putida ſunt & anilia commenta, ut iis confutandis operam impendere, fuerit illam perdere; non enim quicquam fere habet illa tabula ſani.

XLII, Ampliſſimum Catalogum Ordinum Imperii, eorum, *qui intra annos circiter quadringentos civitati Germanicæ adſcripti jus ſuffragiorum ferendorum in Comitiis habuerunt, deſcriptum ex Tabulis publicis* (verba recito) *quos Fridericus III Imperator in Comitiis Ratisbonenſibus anno* 1471 *conſcribi & in acta Imperialia inferri mandavit, nec non ex Receſſibus & Imperii Ma-*

Matriculis variis tàm veteribus quàm novis propoſuit i-
em Melchior Goldaſtus *tomo unico Conſtitution. Imperial.*
g. 12. & ex illo Limnæus *l. 1. c.* 68 At ſatis apparet, totum
ud confictum eſſe ab ingenio Goldaſti: illum verò huc
anſtuliſſe omnes, qui unquam Receſſibus Imperii nomina
a ſubſcripſerunt: quod conſtat ſæpe à peregrinis Regibus
Principibus eſſe factum, in teſtimonium duntaxat tamen
majoris fidei pondus. Id certum eſt enim; Reges Angliæ
anciæ, Sueciæ Magnum Ducem Lithuaniæ, & Archiepi-
opum Gneznenſem, Lundenſem, Pragenſem, & pluri-
os alios, nunquam fuiſſe Ordinibus Imperii accenſitos:
ios ille Catalogus inter primos tamen locat.

XLIII. Meliorem & fide digniorem Ordinum Catalo-
im recitat Paurmeiſterus *lib. 2. de Iurisdictione Imperii Ro-*
ani c. 1. n. 17. & ſeqq Quum tamen & ille ex monumentis
nperii haud ſit deſcriptus, non eſt quod ei fidem tutò ad-
beas. Quin ne ex ipſis quidem monumentis antiquis ple-
ſque haud aliud tutò colligas, quàm quinam ſint ad Con-
lia vocati; aut quinam Concilio interfuerint interdum;
t denique, quinam ex decreto publico contribuere quic-
iam debuerint in ærarium Imperii: jure verò an injuriâ ho-
m aliquid ſit factum, non colligas.

XLIV. Scilicet exitiali peccato per plurima ſecula ne-
ecta eſt publici Ordinum Albi conſectio, certa in illud
nnium nominum inſertio. Acceſſerunt pòſt, à tempore
enrici quarti perpetui fere civiles motus, cum Cæſareæ di-
iitatis & auctoritatis tantùm non interitu conjuncti. Ipſa
oque Concilia magis magiſq; cœperunt eſſe ſumptuoſa. Ex
verò plurimi paulatim, civitate Germanica deſerta, ma-
ierunt domi vivere immunes & liberi, quam turbulentis
nperii negotiis immiſceri. Nec verò vel illi qui perman-
runt in obſequio Ordines, videntur hanc mutationem

ægris oculis aſpexiſſe: ſive quod & ipſi ad eandem libertatem adſpirarent: ſive quod domi regna ſibi condentes, aut pace fruentes & otio, publicas Imperii res extra ſuas curas ponerent: ſive quod latentibus omnibus in obſcuro, ſibi proclive viderent bona quædam publica intervertere: ſive denique deſperarint de conſervando Imperii ſtatu. Sanè ſi ab initio fuiſſet confectum Album aliquod opum & Ordinum Imperii publicum, ſi Imperii acta & decreta ſanctè ſemper fuiſſent conſignata, ſi Cæſaris poſtremò auctoritas manſiſſet integra, longè nunc alia eſſet Civium Imperii ratio.

XLV. Nempe prudentiæ civilis monitum eſt, ne qua mutatio civium fiat minùs divitum, cavenda eſſe ſumtioſa Comitia, aut verò ſumptus omnes ex publico faciendos. Quin invitandos eſſe omnes & ſingulos pœnis ac præmiis propoſitis. Ante omnia autem Album publicum conſtituendum, inque id omnium, qui jam per ætatem habent Comitiorum jus, nomina eſſe referenda. Id ſanè optimæ quæque olim reſpublicæ obſervaverunt: imò & nunc prudentiores quæque obſervant. Nec verò ulla reſpublica hujus rei obſervatæ non fructum magnum, non obſervatæ autem non magnum ſenſit detrimentum.

XLVI. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. COETERUM Sigiſmundo & pòſt Friderico, Maximiliano, ac Carolo V Imperatoribus, videntur majori cura Ordines de certo numero civium ineundo laboraſſe. Ejus autem rei incitamentum procul dubio præbuerunt Bohemica & Turcica bella, utraque vi & auctoritate publicâ geſta; quod à temporibus uſque Friderici Primi perfuit inſolens. Etenim cum bellum publicis ſumptibus eſſet alendum, neceſſarium fuit Ordinum omnium cenſum inire, quo ſciretur quid à quoq; eſſet expectandum.

XLVII. Ac initiò quidem vix potuit error evitari. Erant ſcil. illis primis temporibus res Imperii in denſiſſimis

tene-

enebris, & omnia adhuc barbaries inſtabat. Præterea multorum intererat, ut amplificaretur quàm maximè Ordinum numerus, non tum ſtudio quodam reipublicæ juvandæ, quàm quo in plures diviſo publico tributo ipſi minùs oneratentur. Sed & maluerunt mu'ti in Imperii potiùs quàm in provinciæ alicujus ærarium ſuam pecuniam conferre: ſibi eò & dignitatis multum & libertatis accreſcere, haud inepte colligentes. Acceſſerunt Cæſarum Ordinumq; varia circa hanc rem & occulta ſtudia. Enimverò intereſt hodiè Cæſareæ auctoritatis, ut creſcat numerus Ordinum, cumprimis verò ut omne quod in provinciis eſt robuſtiſſimum in hunc cenſum tranſeat. Vires enim ac opes Regni non in paucorum ſed plurimorum eſſe manibus, ſalus Regia eſt. Quin ipſæ inter multos de libertate civica contentiones, cùm parandæ tum conſervandæ Regiæ auctoritatis maxima ſunt adminicula. Ex adverſo Ordinum quiſque ſibi mavult alium quemq; ſubjectum quam toti Imperio. Ad hoc etiam vicinus vicini potentiam ſuſpectat. Itaq; & inter ipſos Ordines occultis hoc in negotio eſt odiis aut amoribus certatum aliquamdiu haud leviter.

XLIIX. Hiscε de cauſis effectum ſanè eſt, ut hodieq; omnis hæc res perfit impedita. Namque primis quidem illis in Conciliis, à temporibus Sigiſmundi Cæſaris, plures eſſe errores commiſſos, vel ex eo ſtatim apparet, quod in omnibus fere iſtis Comitiis alia atque alia ſit Matriculæ ſeu Albi Ordinum ratio. Facile hoc cuivis eſt perſpicere, ſi libeat contendere Matriculas (quas appellant) Conciliorum anni 1431, 1467, 1471, 1480, 1481, 1486, 87, 89, 91, 1507. Liquet enim, multos Ordinibus eſſe accenſitos, qui alibi omittuntur. Tum verò certum eſt (ut unum hoc adducam ſolummodò) conventu anni 1471 inter alia ſubſcriptum eſſe: Hoſiar/ Herr Johann Buchholtz mit Gewalt Braunſchweich/

Hildesheim / Göttingen / Eimbeck / Hannover und Hameln / & tamen in nulla Matricula nomina plærarumque harum urbium inveniuntur; imò nunquam aliàs Comitiorum Imperii jure pleraſque uſas eſſe, certiſſimum eſt.

XLIX. Agnoverunt illud ipſum Ordines omnes; eòq; ſuperioris ſeculi anno viceſimo primo majori diligentia plurimos errores emendavere, & Matriculam elaborarunt perfectiorem. Sed neque hæc omni exparte eſt perfecta. Nam in Comitiis anni 1548 Auguſtanis, exhibitus eſt Cæſari ab Ordinibus magnus ſatis Catalogus eorum, quos eximendos Matriculâ Imperii pro ſe quique crediderunt. Edidit ejus partem Limnæus *lib. 1. c 7. n 73.* aſt integer habetur *Actor. Brunſuicenſium part. 2. ſect. 2. p. 1081.* Ea propter in Comitiis anni 1570 §. wann dan darneben / indictus eſt locus certus perficiendæ demum Matriculæ. Repetitum eſt idem anno 1576. §. demnach wir fernes / Anno etiam 1594 §. demnach wir auch zum Fünfften. Etſi enim in Comitiis anni 76 §. wann auch zu Franckfurt das *dubium* erreget werden / welche Reichs *matricul.* conſtitutum ſit, ſequendam illam anni milleſimi viceſimi primi; diſertè tamen additur: was und ſo viel dann die vorige im Jahre 45 57. 71. geweſene moderatorn (doch der interponenten appellationibus ohne nachtheil, oder durch nechſtkünfftige moderatoren oder deputatos geändert würde / darnach dann dieſelbige erſte matricul endlich ergäntzet und richtig gemachet werden ſoll. Ex quibus patet, ne ſic quidem Matriculam illam omni ex parte eſſe perfectam. Probant autem id ipſum quàm maximè acta Comitiorum Ratisbonenſium anni 1603. Tum verò lites hodieque haud parvæ pendent, à Fiſcali Imperii hoc nomine inſtitutæ. Quin Matriculæ inſertionem non niſi *præſumptionem juris Status* afferre, etiam aſſerit Ga lius.

L. Porò etiam in convocatione Ordinum ſæpe hodie-

.ie peccari : alios nimirum non vocando, alios autem vo-
ando qui vocari minimè debebant , vel unica illa epiſtola
udolphi II Cæſaris doceat , quæ habetur *partis ſec. Actor.*
runſvicenſ. ſect 2 in additione pag 21. Acriter enim á Cæſa-
: objurgatus eſt Papenheimius Vicemarſchallus Imperii, ob
ıultos errores in Comitiis anni 1602 commiſſos.

LI. Non eſt autem quod quis cenſeat, omnes illos eſſe
)rdinum loco habendos , quibus injungitur nonnihil in
rarium Imperii conferendum. Namque de Hanſeatici fœ-
eris urbibus conſtat ſanè, ab iis in univerſum aliquid eſſe
oſtulatum ; ut tamen ſingulæ non minùs ſuo loco quotam
ılvere teneantur. Et verò quid notius eſt , quàm pleraſq;
ujus fæderis non liberas fuiſſe urbes ſed provinciales ;
uumtamen magno numero urbium olim illud conſtiterit.
.uin hoc ipſum diſertè agnoſcitur *Receſs. Comitiorum anni*
66,§. Ob denn nicht allein/ & nihil ominus tamen omnes ſociæ
·bes ad contribuendum publico invitantur , quòd opulen-
: ſint & periculum id poſtulet. Eodem modo & Nobiles
uevicæ ac Franconicæ Rhenanæque provinciæ publico
nperarii ærario tribuunt ſua , ſine ſuffragandi tamen in
omitiis poteſtate.

LII. IN univerſum ergò ſi æſtimaveris, hodieq; omnis
ec res eſt perimpedita , nec ſatis accuratè conſtituta: ma-
ıo ſanè reipubl. malo. Non tantùm verò in dubio eſt maxi-
ıo de nonnullis: ſintne Ordines Imperii necne: ſed & il-
ıd incertum videtur , quando multorum , quibus olim
s ſuffragii fuit , opes ad unum aliquem pervenerunt , an
ıi illi totidem ſuffragia ferre licitum ſit. Sanè nonnullos
ſibi nemine contradicente ſumpſiſſe, conſtat. Brunſuicen-
s autem familiæ Principes noſtros id ipſum haud obſervaſ-
, jam antehac monuit *Ampliſſ. Lampadius libri de Republ.*
omana German, c. 5, num 16.

D 3 LIII Illud

LIII. Illud tamen conſtat, Civium imperii alios eſſe Clericos, alios Laicos. Illius Ordinis ſunt Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Abbatiſſæ, Magiſtri Ordinum militarium ſacrorum omnes, quotquot hodieque Imperii Germanici finibus continentur, ſimulq; territorium aliquod ab Imperio obtinent. Illi tamen Clerici qui auguſtanam Confeſſionem profitentur, licet ſint iſtius Ordinis, à jure hoc Conciliorum vi Tranſactionis Pragenſis nuperæ excluduntur. Ad alterum verò Ordinem pertinent Electores, Archiduces, Duces, Principes, Marchiones, Comites, Barones & deniq; Vrbes variæ, quæ itidem Imperii legibus viventes territorium aliquod ex Imperii benignitate obtinent. Adeò ut hodie quidem illud civitatis jus territorio hujuſmodi ſit annexum.

LIV. Horum autem Ordinum Clericorum & Laicorum, jam Francorum temporibus locum aliquem fuiſſe in Comitiis publicis, certiſſimum eſt. De Vrbibus ſolis nonnihil nos dubios faciat, quod illarũ diſertè nuſquam fortè fiat mentio in antiquis monumentis. Nam quod à Lehmanno *l.* 4. *cap.* 3. *Chron. Spirenſis* adducitur è Radevici *l.* 2. *cap.* 3: Friderico primo etiam Cæſare *civitatum* conſules in Roncalias eſſe citatos: id ad Italicas urbes quidem pertinet. At eâ ætate Vrbe, Germanicæ longè inferiore conditione fuerunt, quod per optimè docet idem vir harum rerum longè peritisſimus eodem capite. Primis tamen Saxonicorum Cæſarum temporibus *in Multitudine* ſic dictâ & Vrbium forte nonnullarum delegati fuerunt. Fuit ſanè & tum *Multitudini* aliquis in Comitiis locus. Liquet ſcilicet id ipſum ex electione Henrici Aucupis, quam *l.* 1: magis clarè ex electione Ottonis Magni, quam *libro ſecundo* deſcribit Witkindus: ex Dithmari item *l.* 4. *&* 5 ubi recenſetur electio Henrici Secundi: ex Wippone denique, quo loco narrat Conradi Saliqui electionem. Sed *Multitudinis* illius maximam partem

n videntur conſtituiſſe equeſtris dignitatis homines, quos
nceps *milites* dixerunt. Sequentibus tamen ſeculis omne
c videtur abolitum: ſive quod multitudinis nulla propè
io haberetur, ſive quod ſumptuoſiora eſſent Comitia
àm ut ferendis ſumtibus illa ſufficeret, ſive denique
od nullum ex Comitiis fructum ſperaret. Decimo quar-
tamen a nato Servatore ſeculo, paulatim Vrbes iterum
Imperii Comitia accitæ; quod illa tempeſtate & nume-
s urbium ſat magnus eſſet, & præcipuæ opes viresque
perii iis continerentur, adhoc novis ſumptibus ad onera
blica eſſet opus quàm maximè. Nunc certè pleno jure
nciliorum fruuntur Vrbes illæ liberæ. Nam quod Peu-
rus ſcribit *libr. 5. Chronicorum*, eas *nec ſuffragia ferre nec*
tentiam in comitiis dicere, id verò optimè refellit Lehman-
s *l. 4. c. 3.* fuſiſſimè verò confutarunt, in *Conſilio* ſuo hu-
s materiæ edito Ludovicus Grempus & Hieronymus zum
mb/ ex quo multa tranſcripſit Limnæus *lib. 7. c.* 1. Sed ho-
rum ſcrinia compilare non eſt meum. Et verò de hoc
argumento jam ſatis fortè eſt actum pro
inſtituto quidem noſtro.

Exer-

EXERCITATIO SECVNDA

DE

IMPERATORE ROMANO-GERMANICO

Habita IIX. Maji, Anno cIↃ IↃc XLI.

RESPONDENTE

BOGISLAO OTHONE ab Hoym.

Equite Pomerano.

THESIS I.

CUm aliis multis magiſtratibus geritur Imperium Germanicum, tum unus ſummus illi præeſt, quem Cæſareum aut Regium appellare eſt moris. Poſſunt autem de illo multa dici ac varia: nos verò non niſi pauca nunc attingemus.

II. Atque initiò quidem videbimus, quo jure, quave injuria illi competat nomen Cæſareum, & titulus Romanorum Imperatoris. Conſtat quippe illis nominibus appellatos olim qui Imperio Romano regia autoritate præfuerunt. Cæterùm an idem nomen ii, qui Germaniæ ſociisque regnis præſunt, Regibus conveniat, id verò haud perinde liquidum eſt.

III. Verùm hanc quæſtionem agitare fortaſſis haud licebit, niſi & illud agitetur, ſuperſitne hodieque reſpublica aliqua Romana: aut ſi non ſuperſit, jura ne ejus Imperii unà cum republicâ exſpiraverint, an verò maneant, & ſi maneant, penes quem ergò verè reſideant.

IV. ET quidem ſupereſſe hodieque Romanum Imperium, ejuſque nobiliſſimam portionem eſſe Germaniam &

aliæ pleraque, vulgata adeò eſt ſententia, ut eâ de re dubi-re, videatur meritò abſurdum & abſonum. Quoniam men planè contra ſenſerunt noſtro ſeculo nonnulli ex nuiſſimis, reſque difficultate non caret, & tamen operæ tium eſt, in quæſtione tam magni momenti à veritate on aberrare, non abs re fuerit, totum hoc negotium ac-ratè agitare.

V. PRINCIPIÒ autem ſciendum eſt, quid olim florenti-s Romanorum rebus ad Romanum Imperium pertinue-, ſive reapſe, ſive jure. Neque enim deſunt nonnulli ma-i nominis viri, qui totum terrarum orbem Romanis o-n paruiſſe, vel certè parere debuiſſe, profiteantur. Vſque eo enim verum id eſſe, ut alios nunc taceam, credidit o-n magnum illud Juris conſultorum lumen Bartolus, ut on dubitaverit adverſam ſententiam hæreſeos poſtulare.

VI. Fundamentum autem hujus opinionis peti ſolet rtim ex illis Lucæ Evangeliſtæ verbis: *Exiit edictum à Ca-e Auguſto, ut totus orbis cenſeretur*: ubi οἰκουμένης voce am-tus Imperii Romani circumſcribitur; partim ex Corpore ris Juſtinianeo, ubi perſæpè Imperatori *orbis* dominium tri-itur, partim denique ex iis, quæ apud alios ſcriptores le-s, quale eſt Petronii illud:

Orbem jam totum victor Romanus habebat.

Dionyſii Halicarnaſſæi *lib. 1. cap. 3. Romanorum civitas im-rat per cunctas terræ plagas, quæ quidem inacceſſæ non ſunt, babitantur ab hominibus.*

VII. Verum enimvero totum terrarum orbem pa-ſſe aliquando Romano populo, aut ejus Cæſaribus, id ò ita repugnat hiſtoricis monumentis, ut hodiè in tantâ rarum luce id aſſerere, vel indocti hominis fuerit, vel pudentis.

IIX. Etenim conſtat quidem ex hiſtoriis, latè pa-

fuiſſe terminos Romani Imperii, cumprimis Imperatore Trajano: certum verò eſt, ne Europam quidem integram, multo minus Aſiæ & Africæ (nam de Americâ, ignotá tunc prorſus terrâ, ne verbulum quidem addam) univerſa, finibus illis tum fuiſſe comprehenſa. Quod ex veterum monumentis, cum ab aliis, tum à Juſto Lipſio *libr. 1. Admirandor, ſive de magnitudine Romana cap. 3.* & Onuphrio Panvinio *libr. 3. commentar. de Republica Romana*, præclare eſt poſitum. Et quidem inprimis notatu dignum hìc eſt, Germaniam noſtram, quæ trans Rhenum & Danubium Romanis erat, bellum quidem perpetuum cum Romanis per aliquot ſecula à Julii Cæſaris uſque temporibus geſſiſſe, nunquam tamen in provinciam fuiſſe à Romanis redactam: ſed ex adverſo Germanos tandem hoſtibus ſuis Romanis plæraque, quæ ſive in Europa ſive in Africa tenuerant, jure belli eripuiſſe. Quinimò ne quidem omnes Germani qui cis Rhenum vixerunt, adeòque portio Romani Imperii veteris olim ſunt habiti, omni ex parte Romanis fuere ſubjecti, ſed nonnulli cum iis tantùm ſocietatem coluere, fratres Romanorum ideò dicti. Quod de Batavis inſulam Rheni habitantibus diſertè teſtatur Tacitus *l. de moribus German. & 4. Hiſtor.* doctè verò deducit Hugo Grotius *lib. de Antiq. Reipubl. Batavicæ cap. 2.*

IX. Aliàs verò notiſſimum quoque eſt: quæ Romani Imperii finibus concluſa olim fuerunt, diverſo plane titulo ad illud Imperium pertinuiſſe. Fuerunt enim coloniæ, fuerunt urbes aut populi fœderati, fuerunt ſocii, fuerunt amici, fuerunt verè ſubditi & in provinciam redacti: quorum profectò conditio fuit diverſiſſima, etſi jam in per injuriam ſocii, fœderati, amici ſubditi uno pene loco haberentur. Hoc verò diſcrimen in Italia inprimis

olim

[illegible] fuiſſe obſervatum, cum ex veterum monumentis vel [illegible]iter intuenti perſpicuum eſſe poteſt, tum exactè tradi- [illegible] à Carolo Sigonio *libris de antiquo Iure Italiæ.* Obſerva- [illegible]m autem fuiſſe & in Gallis, notius eſt, quàm ut egeat pro- [illegible]ione. Alibi verò itidem id obſervatum fuiſſe, vel unus [illegible]inius docuerit *lib.3. 4. 5. & 6. natural. hiſtoriæ*; ubi ſtudi- [illegible]è omnia iſthæc diſcrimina recenſet.

X. Nequaquam itaque veram eſſe Bartoli & aliorum [illegible]ſertionem, quaſi Auguſti ævo totus terrarum orbis in di- [illegible]one Romanorum fuerit, manifeſtum eſt. Nec verò illa [illegible]dducta ex Evangelio, aut quæ in eam ſententiam in libris [illegible]ris Romani habentur, vel alibi leguntur, id quod Barto- [illegible]s vult, evincunt; ſubeſſe enim quandam αὔξησιν, etiam [illegible]ſis Sacris literis non infrequentem, per ſe liquet, jamque [illegible]m à doctiſſimis eſt viris animadverſum.

XI. Non tantùm verò totus orbis paruit nunquam [illegible]omanis, ſed nequidem ad illos jus aliquod Imperii in [illegible]otum orbem, pertinuit. Neque enim vel jure Divino arbi- [illegible]ario, vel jure Naturæ ac Gentium, vel denique jure Civi- [illegible], hujuſmodi quid eſt conſtitutum. Sanè de jure Divino ar- [illegible]itrario hinc patet, quoniam tale jus divinum nunquam le- [illegible]itur in ſacris voluminibus, nec traditione ad nos devenit, [illegible]uo uno tamen modò arbitraria Dei inſtituta nobis innote- [illegible]cunt. Tale item jus Naturæ aut Gentium nemo hominum [illegible]x principiis naturâ notis hactenus probavit vel probare co- [illegible]atus eſt, nec probari videtur poſſe: non aliunde tamen jus [illegible]aturæ ſolet probari. Jure porrò Civili Vrbis Romæ non [illegible]otuiſſe Romanis jus aliquod competere in terrarum orbem, [illegible]el puero liquet. Qui enim totum terrarum orbem obliget, [illegible]uod unus populus ſua in urbe conſtituit?

XII. Ex his verò conſequens eſt, quicquid populus [illegible]omanus olim poſſedit, aut Imperio ſuo continuit, vel

continere debuit, ad id non alios titulos aut alia jura potuiſſe adhiberi, quam quibus vulgò jure acquiri aliquid aut poſſideri ſolet. Neque verò vel ipſi Romani alia olim jura allegarunt, quàm vel derelicti occupationem, vel jus belli aut fœderis, vel donationem ac ſimilia. Divinum ſanè aliquod in omnes gentes jus nunquam prætextum ab iis eſt; quale quid tamen videmus à Muhammede jactatum, verè autem pertinuit ad Hebræos in ea quæ commodatò ab Ægyptiis acceperant & terram Cananiticam.

XIII. Quod ſi verò illi uſitati tituli acquirendi aliquid aut poſſidendi apud Romanos valuerunt, manifeſtum quoque eſt iiſdem titulis potuiſſe Romanos occupata & poſſeſſa iterum amittere; adeoque ſi quæ ſimilibus titulis erepta Romanis nunc ab aliis poſſidentur, ea non minus jure atque legitimo titulo poſſideri, atque olim à Romanis poſſeſſa ſunt.

XIV. Eſſe autem Romanis jam ante aliquot ſecula primùm ea quæ ad Occidentale Imperium, deinde etiam quæ ad Orientale pertinuerunt, à populis qui Romanis nunquam paruere, ſed cum eſſent ſui juris ab antiquis temporibus bellum cum iis geſſerunt, erepta, ex hiſtoriis notiſſimum eſt, Atque in Occidentali quidem parte poſt Theodoſium, ſub Honorio & Valentiniano III pauloque poſt, penè quinquaginta annorum intervallo, à Germanicis populis, Africæ pars major, Hiſpania tota, nec non omnes Galliæ, Rhetia, Vindelicia, Noricum, Pannonia, Britannia, ita ſunt occupatæ, ut poſt ſecutis temporibus Romanus populus in illis terris fuerit ferè nec viſus nec auditus.

XX. Imò regiones illæ, ne quidem muſſitantibus Romanis, hodieque ab occupatoribus magna ex parte poſſidentur. Namque ea quidem, quæ cis Rhenum ſunt ad uſque

ſque Pyrenæos montes Franci ac Burgundi (qui tamen
: ipſi à Francis ſunt ſubjugati) jam plus quàm mille du-
entos annos tenuerunt. Hiſpaniæ etiam à Gothici ſangui-
is reliquiis hodiè regnantur. Britanniam à Romanis re-
ćtam Saxones primùm & Angli, mox Dani & Normanni in
oteſtatem ſuam redegerunt. Vindeliciam & Noricum ad
lpes uſque, nec non Rhetiam potiſſimâ ex parte, ſimiliter
m plus quam mille centum annos quietè tenent Bavari &
lemanni ſeu Suevi. Pannoniam poſt varias gentes Ger-
anicas Hunni ſuam fecerunt; quibus Hungari ſucceſſere,
t tamen hodiè magna Pannoniæ pars à Germanicis popu-
s, Archiducatus Auſtriæ incolis colatur, Hunnis ante o-
tingentos annos à Carolo M. inde pulſis.

XVI. Quid? quod ne ipſa quidem Italia in ditione
'opuli Romani aut Cæſareum permanſerit. Nam primùm
uidem, ejecto omni Romanorum præſidio, fixam in illa
dem locavit Odoacer Herulorum Rex. Quo devicto à
'heodorico Oſtrogothorum Rege, tota Italia, ne ipſâ qui-
em Vrbe Româ excepta, ceſſit in ditionem, non contra-
icentibus Cæſaribus qui Conſtantinopoli commora-
antur, Oſtrogothorum Regum, qui hac ipſa de cauſa Ita-
æ reges ſe appellabant. Quos, licet multò pòſt Juſti-
iâni Cæſaris auſpiciis Beliſarius & Narſes poteſtate omni
xuerint, mox tamen iterum pulſo Romanorum præſidio,
ongobardi, Germanica gens ſed quæ diu Pannoniam
nuerat, pene integram Italiam ſibi ſubjecit. Neque enim
anſit quicquam Romanorum Imperatoribus Conſtan-
nopoli degentibus, præter ipſam Vrbem Romam, ejuſ-
ue pomœria, Pentapolim item, nec non Exarchatum
avennatenſem, Venetiarum urbem & Calabriam. Quin
horum plæraque ultimi Langobardorum Reges, Aiſtul-
us inprimis, occuparunt. Non enim quicquam in Ita-

lia tandem Langobardis non paruit, præter Romam, Venetiâs, & ultima Calabriæ. Nec tamen vel Veneti tum amplius Romanorum Cæſaribus obtemperarunt, ſed in libertatem ſe jam adſeruerant. Quomodo ipſamet Vrbs Roma ultimis illis Langobardorum temporibus, Cæſaris, qui Conſtantinopoli degebat, imperium detrectabat. Pipinus quidem Francorum Rex, Aiſtulpho devicto, expulit iterum Langobardos Exarchatu Ravennatenſi, nec non Pentapoli, (Romano Pontifici terris illis attributis, quod perſuaſus eſſet, ad S. Petri illas Patrimonium pertinere,) ſed reliqua Italiæ Langobardis iterum reddidit, ut juſtè ab illis poſſeſſa. Ejus quoque filius, Carolus cognomento Magnus, Deſiderio ultimo Langobardorum Rege pulſo, non dubitavit anno DCCLXXIV poſt natum Servatorem, omne quod in Italia hactenus Langobardi poſſederant, in ſuam ditionem redigere, Conſtantinopolitano Imperatori aut Romano Pontifici vel Populo nihil præter pauca iſthæc, Calabriam nempe, & quæ Pipinus Pater Romano Pontifici donaverat, relictis. Tantum autem abeſt, ut id à quoquam fuerit improbatum, ut contra & Romanus Pontifex hoc nomine Carolum laudibus in cœlum penè extulerit, & Conſtantinopolitani Imperatores neutiquam tunc contradixerint, Carolo interim ſe Francorum ac Langobardorum Regem appellante.

XVII. Hæc ſanè facies fuit Provinciarum Romani Imperii Occidentalis, quum Carolus ille Magnus anno DCCC Romam religionis ergo profectus, inſperatò in æde ſacra à Leone tertio Pontifice & civibus Romanis feſtivâ acclamatione ſalutatus eſt ROMANORVM IMPERATOR AVGVSTVS.

XIX. Ex his verò conſtat, ea quidem tempeſtate Romano populo, aut ejus Pontifici, vel Cæſari, nihil juris

fuiſſe

fuiſſe in Germaniam quidem, quæ Rheno & Danubio cingitur, utpote quæ Romanis paruit nunquam. Non minus verò evidens eſt propemodum, tum quidem Romanis nihil amplius juris fuiſſe in Hiſpaniam, Galliam, Noricum, Vindeliciam, Rhetiam, imo ipſam Italiam, quantum certè ejus à Juſtiniani ævo poſſederunt Langobardi. Nam ut nunc non diſputem, jure an injuria provinciæ illæ à Germanicis populis fuerint primùm occupatæ; imo ut verum ſit, nonnullas per injuriam occupatas (ſicuti haud fortaſſe difficile fuerit oſtenſu, nonnullas jure Romanis ereptas eſſe) quin tamen poſtea procedente tempore uſucapio juſta & præſcriptio interceſſerit, negari temerè non poteſt. Neque vero quod dicitur, *quæ ab initio non valent, ex poſt facto convaleſcere non poſſe*, ſimpliciter verum eſt; ſed tum denique, ſi cauſa nova jus per ſe parere idonea non acceſſerit.

XIX. Provincias vero alias, quas modò diximus, jam iſthac ætate pro derelicto habitas a Populo Romano, adeoque à poſſeſſoribus jure poſſeſſas, ex hiſtoriis manifeſtum eſt. Namque jam ſupra diximus, per annos ducentos imo trecentos, Populum Romanum illas provincias neq; verbis, neque factis repetiiſſe. Quin imo conſtat, Romanos cum illis poſſeſſoribus, ne Langobardis quidem exceptis, plurimos contractus, tanquam cum legitimis eorum quæ poſſidebant dominis, iniiſſe. At vero, ſi is, qui rei alicujus eſt dominus, ſciens cum altero eam rem poſſidente, tanquam cum domino contrahat, jus ſuum remiſiſſe merito habetur. Id quod non tam valet autoritate Juris Civilis Romani, quàm ex ipſo jure Naturæ venit.

XX. Sane de Italia poſſit quis fortè dubitare propter perpetua fere Conſtantinopolitanorum Cæſarum cum Langobardis bella. Sed imprimis obſervatu dignum

eſt,

eſt, integram Italiam jam ante conceſſu & dono Zenonis Imperatoris, teſte Jornande *l. de rebus Gothic. c. 57.* Oſtrogothis ceſſiſſe; nec Juſtinianum bello ſuo contra Gothos aliam ferè cauſam prætexuiſſe, quàm Amalefventæ Reginæ indignam necem, cujus ſe vindicem profitebatur. Cum Langobardis poſteà bella multa quidem geſta, ſed etiam multi contractus tanquam cum juſtis Italiæ partium dominis ſunt initi, manente certamine ſolùm de finibus, non autem de integro regno; quemadmodum ex Pauli Warnefrid *hiſtoria Langobardica* probatu eſt facillimum. Jam ante vero inculcatum etiam eſt, totum Langobardorum regnum, devicto Deſiderio rege, per triginta fermè annos ante Imperatorium titulum acceptum, à Carolo M. non tantùm non reclamantibus verum etiam laudantibus Romanis, fuiſſe poſſeſſum. Atqui verò id quod derelictum eſt, jure poſſideri ab eo, qui tanquam in vacuam venit poſſeſſionem, juris naturæ eſt. Acceſſit verò & uſucapionis & præſcriptionis jus quæ ipſiſſimam naturalem vim habent, non autem jure tantùm Civili valent; ut præclarè contra Vaſquium diſputat Hugo Grotius *lib. 2. de Jure belli ac pacis cap. 4.*

XXI. Heic tamen obſervandum venit quod jam ſupra innuimus, etſi Langobardi à Narſete invitati in Italiam penetraverint, nunquam tamen omnes ejus partes ſibi ſubjeciſſe, ſed manſiſſe ſat magnam Italiæ portionem in fide & obſequio Imperatorum Romanorum Conſtantinopoli degentium. Qui cùm per varios Duces, tùm verò cumprimis per Exarchos Ravennæ conſiſtentes, ſuperſtites illas Imperii Romani reliquias gubernabant. Erat autem Exarchus ſi Joſepho Scaligero *l. 3. Canon Iſagogicor. p. 319.* credimus. *Præfecti prætorio vicarius qui Ravennam cum aliquot urbibus Imperii Romani nomine adverſus Langobardos tuebatur.*

Inter

Inter autem eas reliquias fuit ipſa Vrbs Roma, quam per Ducem aliquem Conſtantinopoli miſſum Cæſares regebant. Non eſt noſtrum hoc loco de finibus & ſuperſtitibus illis Romani Imperii in Italia provinciis agere. Fecit hoc ipſum cum magnâ curâ Erycius Puteanus ſingulari opere, quo Exarchatus hiſtoriam eſt complexus. Ex eo tamen uſque tempore, adeoque ſtatim ab Juſtiniani obitu, & Langobardorum in Italiam adventu, pars Italiæ Regni Langobardici, pars antiquo Imperii Romani cognomento fuit appellata. Atque Longobardici quidem quæ erant Regni non recuperarunt Cæſares Conſtantinopoli habitantes; reliquiæ verò illæ Imperii, Vrbe Roma & Veneta aliisque pauculis exceptis, pervenerunt tandem cum ipsâ urbe Ravennâ in Longobardorum ditionem. Illum tamen Exarchatum Aiſtulpho Regi expreſſum, precibus & impiè confictis Petri Apoſtoli nomine literis (quas recitat & laudare non dubitat Baronius *ad annum 755. tomo 9. Annal*) à Stephano Papa circumventus Pipinus, S. Petro id eſt Romano Papæ, utut contra niteretur Cæſaris Conſtantinopolitani legatus, donavit. Quam rem latè narrat poſt Anaſtaſium, Annales Francicos aliosque ſcriptores, Baronius *ad ann. 755.*

XXII. Notatu autem digna ſunt verba Baronii, *l. c.* quando ſcribit: Stephanum Papam legatos miſiſſe, primùm ad Conſtantinum Imperatorem (is eſt quem Copronymum nuncupant) *ut adverſus Langobardos ad defenſionem rerum, quæ ſuperant Romani Imperii, in Italiam exercitum mitteret.* Item: *Cum nulla ſpes eſſet, ut Conſtantinus Imperator jura Imperii, quæ in Italia reſidua erant, à Langobardis invaſa defenderet.* Subjicit verò Baronius verba Anaſtaſii, quæ docent, Stephanum nihil aliud petiiſſe reſtitui, quàm vicina quædam caſtra & Exarchatum Ravennæ & Æmiliæ oppida à Langobardis occupata. Nec verò aliud reddi ſibi

F petit

petit Stephanus impiis iſtis & ineptis literis, quas ad Pipinum miſit *ann.* 755, & ex Vaticana bibliotheca primus edidit Baronus. Sed nec aliud quippiam per Pipinum Aiſtolpho Langobardo eſt ereptum. Diſertè enim Annales Franciſci. *Pipinus reditam ſibi Ravennam & Pentapolim & omnem Exarchatum ad Ravennam pertinentem ad S. Petrum tradidit.* Anaſtaſius Bibliothecarius idem prorſus narrat in vita Stephani, ſimulque enumerat urbes omnes nominatim donatione hac comprehenſas, Plura quidem narrat donata Leo Oſtienſis *Hiſtor. Caſſinenſ. l. 2. c. 7.* quem ſequitur Baronius: ſed quis homini recentiori contra omnes ejus ævi ſcriptores credat? Reſtituit autem hæc & Carolus Magnus, poſtquam devicto Deſiderio Rege Langobardorum regnum ſubjugaſſet: quinimo & adducit nonnulla, quæ recitat Anaſtaſius in vita Hadriani, ex uno verò hoc recenſet Baronius *ad. annum* 774. Vnde obiter eſt colligere, neve illius donationis Caroli Magni, uti nec illius Pipinianæ, ullum hodie monumentum in ſcriniis Romanis reperiri; quinimò ne teſtimonium quidem ejus aliud ſupereſſe præter illud unum Anaſtaſii, & quidem aulæ Romanæ mancipii. Qua de re nunc latiùs diſſerere non licet.

XXIII. QVICQVID verò hujus ſit, id certum eſt: neque Carolum Magnum Langobardorum Regno deſtructo, potiorem iſtam Italiæ partem, vel populo Romano vel ejus Pontifici vel Cæſari Conſtantinopolitano conceſsiſſe: neque vel Populum illum vel Pontificem vel Cæſarem poſtulaſſe eam ſibi reſtitui, ſed in ditionem Francorum iſtam omnem terram perveniſſe. Certè ejus poſtulati nulla reperitur memoria, multò minus hujuſmodi alicujus conceſſionis. Contra teſtantur hiſtoriæ, Carolum Magnum ſtatim à devicto Deſiderio Regnum Langobardorum omne quaſi

quaſi jure belli occupatum, adminiſtraſſe. Hinc Annales
rancor. *anno 774. Rex Carolus ſubactâ & pro tempore ordina-
â Italiâ Franciam revertitur.* Poëtaſter anonymus antiquus
ib.1. Annal.

Dedita tum Francis hac urbs clarisſima (Papia ſcil.) *cunctis*
Exemplo fuerat reliquis. Nam protinus omnes
Tradiderant Carolo ſeſe concorditer urbes
Ejusdam regni: quod jam ſibi jure ſubactum
Diſpoſuit, quantum potuit pro tempore tali.

idem Annales ut & iſte Poëtaſter memorant, *anno 776.*
Rorgaudum Foro julienſibus Ducem à Carolo datum de-
eciſſe; ſed illo devicto provinciam iſtam Francorum Co-
mitibus traditam. Anno item 779. Ducem Spoletanum
n Ducatu ſuo confirmatum. Iidem memorant *ann. 71.*
Pipinum Filium Caroli Regem Langobardiæ eſſe conſtitu-
um, Verba eorundem memoratu digna ſunt anno 786.
*ex ſtatuit Romam proficiſci, & partem Italiæ, in qua Beneven-
um ſitum eſt, aggredi. Conveniens eſſe arbitratus in illius
egni reſiduam portionem, cujus caput capto Deſiderio Rege,
ajoremque partem in Langobardia jam ſubactâ tenebat.* Te-
antur verò iidem, etiam Beneventanum Ducatum Carolo
unc ceſſiſſe & quidem Adriani Pontificis conſilio. Mitto
ia teſtimonia; nec videar ſoli lucem fœneraturus. Id non
oſſum non adducere: Carolum ſtatim à capto Deſiderio
ipſum Regem Francorum & Langobardorum appellaſſe.
ecitat ejus epiſtolam ad Albinum *anno 778*: item privilegi-
n conceſſum Monaſterio Pariſienſi S. Vincentii *anno 773*
oc cognomento ornatum, Baronius. Ipſe Adrianus Papa
oc titulo Carolum laudat longa illa epiſtolâ ad Conſtanti-
um & Irenen perſcriptâ, quam ex Actis Concilii Nicæni ſe-
ndi recitat idem Baronius ad annum 785. Ex quibus per-
icuum eſt, totum Langobardorum regnum tenuiſſe Caro-

F 2 lum,

ſum & quidem nullius beneficio ſed ſuo gladio acquiſitum. Neque in illud vel Populum Romanum, vel pontificem, vel denique Cæſarem Conſtantinopolitanum quidquam amplius ſibi juris arrogaſſe. Et poſtremum quidem eo confirmatur, quod (ſi credimus Baronio) Irene Imperatrix ruperit *anno 788* ſponſalia inter Coſtantinum & filiam Caroli contracta, quod *Carolus Ducatum Beneventanum invaſiſſet, quem in ſuum patrocinium Orientales Imperatores ſuſceperant.* De toto ſc. Langobardico regno moralis nulla fuit.

XXIV. HAEC verò quum ità ſeſe habeant, manifeſtum eſt id quod ſupra etiam diximus: eo tempore quo Carolus Imperatoris titulum accepit (contigit illud autem *anno 800* ipſis feriis Natalitiis) pleraque Occidentalis Imperii veteris fuiſſe jamdudum à Carolo poſſeſſa, & quidem nullam amplius controverſiam de poſſeſſionis jure Romanis moventibus. Conſtat etiam, tum temporis, neque in Hiſpania, neque in Galliis, neque in Germania, neque in Pannonia, quidquam Romanæ amplius fuiſſe ditionis; imò ne quidem in Italia quid fuiſſe reliquum, quod ſibi arrogarint Imperatores, præter Vrbem ipſam Romam, Exarchatum Ravennatenſem, & ſi quæ alia oppida aut Pipinus aut Carolus Langobardis erepta Romano Pontifici donaverant.

XXV. Non tatùm verò nihil penè poſſeſſum tum fuit Romanis in toto Occidente, ſed & jus omne deperdita recuperandi jam longo tempore exſpiraverat. Benè ſcilicet apud Iſocratem Archedemus Meſſenam repetentibus Thebanis dixit: *Poſſeſſiones ſive privatas ſive publicas præſcriptione longi temporis firmatas, in patrimonio & dominio habendas, omnibus eſt perſuaſum.* Et verò hoc ipſo juxta alia Jephtes injuriæ convincit Ammonitarum Regis, vindicantis

ntis ſibi terras inter Arnonem & Jabocum ad Jordanum
as conatum: ceu legere eſt *cap. xi. Iudic commate. 26.*

XXVI. Si Autem neque Provinciæ Occidentalis
nperii veteris amplius tum in ditione fuerunt Romani
opuli, imò ſi nec jus aliquod in illas provincias Populus
abuit amplius; manifeſtum eſt, per Imperatorium titu-
m Carolo Magno neque poſſeſſionem neque jus aliquod
provincias illas aut eſſe conceſſum aut potuiſſe conce-
. Igitur aut inani tum titulo eſt affectus Carolus, aut ſi
uid accepit, illa nactus eſt quæ in Italia extra Langobar-
cum regnum erant, cum juribus occupandi ea quæ Con-
antinopolitanus Imperator poſſidebat. Cæterùm cum
quæ Conſtantinopolitani poſſederunt jure poſſederint, in
la certè nihil juris Carolus potuit nanciſci. Sed nec in
Carolus quidquam ſibi ſumpſit; eòque laboravit, in
aternitatem & amicitiam aſſumi Cæſarum Conſtantino-
olitanorum. Eam verò impetravit primùm quidem à
icephoro *anno 810*: teſtibus *Annalib. Francic. & Adone*;
erum ab eodem *anno 810*, redditis Venetiis, quod iidem
ſtantur Annales; tertiùm à Michaële Nicephori ſucceſ-
re *anno* 811: & ultimò à Leone *anno 813*, iisdem teſtibus.
on arbitror extare hodiè fœderum & pactorum illorum
eras. Nam quod Sigonius *l. 4. de Regno Italiæ* ſcribit,
primo illo fœdere *nominatim expreſſum, ut Veneti in-
r utrumq; Imperium poſiti, liberi atq; immunes & ab utroq;
urè viverent*: id neſcio an fide nitatur Antiquorum ejus
culi monumentorum. Certè Annales Francici memorant
enetias à Pipino captas, redditas Nicephoro. Id certius;
eo fœdere Calabriam & maritimas civitates Liburniæ I-
iæ & Dalmatiæ, manſiſſe Orientali Imperio. Teſtatur e-
m Eginhartus, Carolum totam Italiam tenuiſſe, *ab Auguſta
ætoria uſque in Calabriam inferiorem; in qua Græcorum ac*

Beneventanorum conſtat eſſe confinia. Hiſtriam quoque Liburniam & Dalmatiam, exceptis maritimis civitatibus, qua ab amicitiam & junctum cum eo fœdus Conſtantinopolitanum Imperatorem habere permiſit. Firmum autem amicitiæ fœdus inter utrumque Imperatorem tandem coiiſſe, teſtatur idem Eginhartus. *Imperatores etiam Conſtantinopolitani,* inquiens, *Nicephorus Michaëlis & Leo ultra amicitiam & ſocietatem ejus expetentes complures ad eum miſere legatos. Cum quibus tamen propter ſuſceptum à ſe Imperatoris nomen, & ab hoc eis, quaſi qui Imperium eis eripere vellet, valdè ſuſpectus, fœdus firmiſſimum ſtatuit, ut nulla inter partes cujuslibet ſcandali remaneret occaſio. Erat enim ſemper Romanis & Græcis Francorum ſuſpecta potentia.* Quò facit illud quod in Annalibus habetur, legatos Michaëlis Carolum dixiſſe *Imperatorem & βασιλέα.* Ne in Italiam quidem omnem ergò ob titulum Imperatoris jus fuit Carolo, tantùm abeſt, inde illi collatum jus in reliqua etiam Orientalis Imperii.

XXVII. Caeterum ſi ne illa quidem Italiæ hactenus Imperatoribus poſſeſſa omnia accepit Carolus, aut titulum nudum impetravit; aut verò poteſtatem aliquam in eas terras quæ extra Langobardorum regnum erant in Italiâ, hactenus verò fuerant quaſi in Patrimonio Pontificis. Poſterius ſanè eſt verum. Erat enim jam ante quidem Carolus Patricius Romanus, adeòque jam tum fortè eo nomine habebat aliquid in ipſam Vrbem Romam juris, aſt per Imperatoriam dignitatem longè plus conſecutus eſt. Namque fuit Patricii nomen non niſi dignitatis titulus, à Conſtantino Magno inſtitutus teſte Zoſimo *l.* 2. Quà de re plura habentur *l.* 12. *Codic. Iuſtinian. tit.* 3. *l.* 3. In Carolo tamen videtur hoc nomine ipſa Exarchalis poteſtas ſignificata. Nã & vivo patre audiit quidem Patricius, ut videre eſt in literis Stephani Papæ apud Baronium ad *annum* 775: Ipſa tamen

en annos ſui Patriciatus ſolet numerare ab eo quo de-
cit deſiderium, non autem ab anno 781: quod ſcribit Ot-
Friſingenſis *l.* 5. *c.* 28. Et verò eo anno Romæ exceptus
ritibus Exarchorum aut Patriciorum Romanorum, ut di-
tè ſcribit Anaſtaſius *in vitâ Hadriani.* Vt autem non Pa-
cii jure, revera tamen jam ante impetratam Imperatoriam
gnitatem, Carolo in ipſam Vrbem Romam multum fuiſ-
poteſtatis, vel ex iis liquet quæ habentur in Annalibus
ancicis *ad annum 796. Romæ Adriano defuncto Leo Pontifi-
um ſuſcepit: & mox per legatos ſuos Claves Confesſionis S.
tri ac Vexillum Romanæ Vrbis cum aliis muneribus Regni mi-
, rogavitque, ut aliquem de ſuis optimatibus Romam mitte-
, qui Populum Romanum ad ſuam fidem atque ſubjectionem
maret. Miſſus eſt ad hoc Engelbertus.* Recitat priora illa
miſſis clavibus & vexillo Baronius quoque; ſed ſtoma-
bundus in Novatores, qui inde auſi ſint colligere ali-
am Caroli in urbem poteſtatem. Ipſe autem veterato-
in modum illa de Romanis in fidem & ſubjectionem ſu-
ionem callidè omittit: nihil aliud addens, quàm mi-
Engelbertum ad donaria & Hunnici belli manubias of-
ndas. Conſtat verò etiam, Carolum nondum Impera-
em cauſam Leonis Papæ & conjuratorem agitaſſe *anno*
teſte Anaſtaſio & Auctore Annalium.

XXIIX. QVICQVID autem ſi de poteſtate quam Patri-
habuit Carolus: haud difficile eſt probatu, per Impera-
um titulum illi collatum jus omne in Vrbem, Pontifi-
m, Exarchatum Ravennæ, & alia oppida quædam extra
gobardici regni fines poſita, quæ nempè fuerant Cæſarū
e ad ſolemnem illam rebellionem, quâ Gregorio II Papâ
nte ſuperſtites Imperii Romani reliquiæ à Leone Iſauro
equutis Conſtantinopolitanis Cæſaribus defecerunt.
atur id de Vrbe Roma ipſe Bellarminus *l.* 1. *de Translat.*

Impe-

Imper. Rom, *c.* 4. Liquet id ex adoratione, qua *more antiquorum Principum* recens coronatus Auguſtus à Leone Pontifice eſt adoratus *Annal. Franc* 801. Liquet ex ſententiâ lata in eos qui Leonem Papam malè mulctaverant. *Iidem l.c.* Liquet ex ſubſequente *ordinatione Romanæ Vrbis & Pontificis. Iidem l.c.* Referendum eodem, quod apud Eginharum in Teſtamento Carolino, Metropolitanas inter urbes Regni ejus primo loco numerentur *Roma*, *Ravenna*. Hæc autem poteſtas Cæſarum manſit per plurima ſecula, donec tandem, poſt fatalem Regiæ majeſtatis caſum in Henrico IV. per Gregorium VII cœpit novus ille Padalis Dominatus, omnibus hactenus ſeculis inauditus. Ex eò autem tempore priſca illa & vera Cæſarea poteſtas, in Vrbem, Pontificem, & oppida, quæ ratione proventuum quorundam in Patrimonio Petri, aut rectius Papæ, eſſe dicuntur, ita ſenſim eſt debilitata, ut hodie tantum non ſit intermortua.

XXIX. QVIN itaque Carolus hanc ſolùm poteſtatem titulo Imperatoris ſit conſequutus, & quin hæc pauca tantùm magnifico illo Auguſti & Imperatoris Cæſariſque nomine tum quidem venerint, neque aliud tum pertinuerit ad Imperium Romanum Occidentale, nihil ſanè eſt dubitandum. Videndum, an ſequentibus temporibus revera plus acceſſerit Imperio illi Romano ejuſque Cæſaribus Occidentalibus aliquid aut de novo fuerit partum, quod olim non habuerunt, aut dorum quæ dudum deperdita diximus recuperatum. Cæterùm ſi quid horum factum, aut vi occudatum oportuit, aut verò regiones quædam ultrò ſeſe Romanam in ditionem dederunt. Sanè nec in Hiſpania, nec in Galliâ, illâ quæ ad Rhodanum uſque à Pyrenæis montibus tendit, nec in Panoniâ, nec in Dacia, nec in Britanniâ tale quidquam contigit. Neque enim

Hunga-

Hungaros, neque Francogallos, neque Hiſpanos & Gothos, neque Anglos Scotosque, vel utrò vel vi coactos, ſe & ſua Romano Imperio poſt Caroli Magni ætatem dediſſe, uſquam legere eſt. Multo minus verò id ipſum eſt factum à Septentrionalibus Populis, Danis, Svecis, Moſchis, Polonis, Lituanis aliisque. Hinc verò eſt ſole Clarius, omnes haſce terras non tantùm non pertinere hodiè ad Imperium Romanum, ſed ne umbram quidem juris Romano Imperio in eas eſſe.

XXX. Fortaſſis tamen aliter ſe res habet de Italia Langobardicâ & Germanicâ. Non ſunt quidem illæ terræ poſt Caroli ætatem à Romano Populo victæ, adeòque jure belli nunc non poſſidentur: fortè tamen ſponte ſuâ ſeſe illis reliquiis antiquis ſive ſubjecerunt ſive ſociarunt in unum reipublicæ corpus. Neque verò inanis fortè illa ſuſpicio eſt. Hodiè enim receptum eſt, illas terras omnes unius Imperii Romani nomine nuncupare: quin obtinuit illud uſum jam ante annos plusquam quingentos. Summus quoque magiſtratus populorum illorum per multa ſecula non alio nomine quam Imperatoris Romani audivit: quod enim nunc adjicitur Germaniæ Regis titulus id nuperum eſt inventum, & vix ducentis annis auditum.

XXXI. Verùm enim vero, ſi quid tale unquam contigit, id aut ab ipſo Carolo Magno eſt factum aut ab ejus ſucceſſoribus. Carolum autem id egiſſe, falſiſſimum eſt. Certè non eo tempore id ille fecit quum Imperatorium titulum accepit. Non enim tale quid memorant Annales & monumenta alia ejus temporis, non taciturà fortè rem tam magni momenti. Nec etiam potuit id fieri. Neque enim licuit Carolo diſponere quidquam de rebus Regni Francici, inconſultis Ordinibus, quod alibi oſtendimus. Tum autem temporis profectò non conſuluerat Carolus

lus Ordines Francicos. Inopinatò enim oblatus illi titulus eſt Cæſareus. Teſtatur Eginhartus, dicere ſolitum Carolum: *Se eo die quamvis præcipua ſolennitas eſſet, Eccleſiam non introiturum fuiſſe, ſi Pontificis conſilium præſcire potuiſſet.* Sed neque poſteà hujusmodi quid ab eo factum memorant ullæ hiſtoriæ veteres. Contra verò in diplomatibus ejus & literis cernere eſt diſtinctos titulos Imperatoris & Regni Francici ac Langobardici. Privilegium Oſnabrugenſis Epiſcopatus apud Cranzium *libr. 1. Metropol. c. 2.* Ita incipit. *Carolus Imperator Auguſtus Romanum gubernans Imperium, Dominus & Rex Francorum & Langobardorum, Friſiorum dominator & Saxonum.* Datum autem illud eſt *anno 805.* Teſtamento quoque Carolino, quod Pythœus edidit & Annalibus ſuis ad *annum 806* inſeruit Baronius, præfigitur: *Imperator Cæſar Carolus Rex Francorum &c. Romani tutor Imperii.* In altero quoque ejuſdem Teſtamento, quo de mobilibus bonis diſponitur apud Eginhartum, ſeorſim nu nerantur anni Regni Franciæ, Regni Italiæ, & Imperii. Carolus itaque Italiam & Germaniam ab Imperio nunquam non diſtinxit.

XXXII. Sed & Ludovicus Pius Germaniam non minus atque Galliam, adeoque omnes ſaltim regiones transalpinas, ab Imperii Romani reverentia voluit eſſe liberas. Diviſo ſanè inter tres filios regno illius, omnes paris facti ſunt auctoritatis, nequaquam autem aliqua in re Lothario, etſi ille Cæſareo honore eſſet inſignitus, inferiores. De eâ diviſione notatu digna ſunt verba Tritthemii in Annalibus Francicis. *Partitio talis eſt: Regnum Francorum Germaniæ perpetuo per ſe habeat proprium Regem nulli penitus mortalium, ne Romano quidem Imperio ſubjectum, ſed priſtina Francorum conſuetudine liberrimum. Regnum quoque Francorum Gallorum à noſtro diviſum, ſimili modo Regem, uti conſtitutio ſonat*

t, proprium habeat liberum, qui non minùs quam Rex Germa-
a liber ſit & nulli omnino ſubjectus. Manifeſtum enim eſt,
od Franci ab origine ſemper fuerint liberrimi, & neque Ro-
anis, neque alteri alicui certè unquam ſervierint, aut exti-
rint ſubjecti. Quin potius ipſi deſtruxerunt Romanorum
iperium ſibique fecere ſubjectum. Et propterea Reges ambo
diviſione Regni priſtinam libertatem Francorum ubiq; alterū
teri illæſam ſervare ſtatuerunt. Porrò nec Italiam Lango-
rdicam alius ipſe Pius conditionis fecit. Etſi enim illam
ià cùm Imperiali dignitate voluerit eſſe penes unum Lo-
arium, per accidens tamen ea tantum conjunxit, non au-
m quaſi dederit Langobardicum Regno Romanum Impe-
). Certè, id factum, nullibi legere eſt. Bene proinde Hugo
rotius *l. 2. de Jure belli ac pacis. c. 9 num.* 11. *Carolus Magnus*
ſque ſucceſſores jus Imperii, quod habebant in Francos, ut &
Langobardos, à jure Imperii in Romanos, ut novâ ex causâ
æſito, ſollicitè diſtinxerunt.

XXXIII. Et vero ſollicitè hæc obſervata fuerunt
i etiam poſt Ludovicum. Quum enim Lotharius filius ejus
tu maximus propter primogenituræ & Cæſareæ digni-
is honorem ſibi jus aliquod in fratres arrogaret, orto
le bello, victoque Lothario, libertatem ſuam fratres egre-
tutati ſunt. Eâ de re in medio ſunt verba Hincmari Ar-
epiſcopi Rhemenſis, viri ea ætate ſummæ auctoritatis
ſt. 1. *c* 4. *ad Ludovicum Balbum. Qui cum Lothario erant,*
niſerunt illum in hoc, ut fratres ſuos exheredaret, & Regni
mores, qui cum illis erant, annularet, quoniam ipſe primo-
itus & nomine Imperatoris erat: illi autem qui erant cum
roli & Ludovico dicebant, quod ſeniores illorum (i. e. domi-
ui Carolus & Ludovicus) *Lotharii fratres erant, & ſacra-*
nto Regnum inter illos diviſum fuerat, & illi nec genere
poteſtate inferiores erant, & ideò non ſe contra illos conce-

derent. Latius omnia iſta narrat Nithardus *libris 4.* Ubi inter alia, poſt fatalem illam inter fratres pugnam, ſcribit miſſos à Lothario legatos ad Carolum & Ludovicum, qui nomine Lotharii dicerent: *Si vellent illi aliquid ſupra tertiam partem Regni, propter nomen Imperatoris quod illi Pater illorum conceſſerat, & propter dignitatem Imperii, quam avus Regno Francorum adjecerat, facerent; ſin aliter, tertiam tantummodo partem totius ſibi concederent: regeretque quiſque illorum portionem Regni ſui prout melius poſſet, frueretur alter alterius ſubſidio & benevolentia.* Et vero poſterius placuit. Itaque Ludovico ceſſit Germania pleno jure & nullâ in re dependens ab Imperio Romano gubernanda, non minus atque Gallia Carolo. Non latuerunt hæc Baronium: itaque ad *annum 848.* Trithemium his verbis accuſat: *errat dum ait juſſu Lotharii conveniſſe* (Germaniæ Epiſcopos) *cum id factum per Ludovicum Regem eſſe in Regno ipſius non ſit dubium; nam nullam Lotharium facultatem habuiſſe diſponendi aliquid in Regno Germaniæ, ſpectante ad Ludovicum, certum eſt.*

XXXIV. Manſiſſe eandem libertatem Germanici Regni ſuperſtite Carolina Regum familia, liquidum eſt. Plærique enim qui illi præfuerunt, cum Italiâ aut cum Imperio nihil habuerunt commercii. Diviſo enim poſt obitum Ludovici Germanici Regno, Carolus & Ludovicus & Carolomannus ſinguli ſuam Regni partem propriâ auctoritate tenuerunt, ut conſtat *ex hiſtoria Landgravier. Thuring. c. 6.* Arnolphus quoq; aliquamdiu Germaniâ rexit, antequam Imperatoriam dignitatem conſequeretur. Poſt hunc verò neq; Ludovicus neq; Conradus vel Italiam vel Imperium habuit. Quo ſatis conſtat, ea certè tempeſtate, Germaniam non fuiſſe partem Imperii, nec adminiſtratam fuiſſe auctoritate

re Cæſare à, ſed proprios ſibi Reges habuiſſe, & liberam
ė diſtinctamque ac ſui juris rempublicam.
XXXV. Italiæ quidem Regnum qui tenuere, iidem
omnes & Imperatores fuerunt Imò ea occaſione poſt o-
m Caroli Craſſi,in Italia Pontifices deliberarunt de eli-
do impoſterum aliquo Italiæ Rege cum Imperatorio ti-
. Quod teſtatur Carolus Sigonius *l. 5. de Regno Italiæ*.
re tamen tunc & Reges Italiæ ſine titulo Imperatorio.
interea temporis conſtat factum aliquod decretum
ſenſu Carolinæ familiæ, (penes quam jus erat hæredita-
in Regnum Langobardicum) de ſubjiciendo illo Re-
Imperii Romani auctoritati & legibus, Itaque & Lan-
ardicum Regnum eo tempore manſit liberum ab imperii
nani poteſtate.
XXXVI. EXTINCTA porrò Carolina familia Henricus
eps ejuſque filius Otto Magnus, ab anno 919 ad 962
maniæ Regnum cum Regno Lothani tenuerunt, nullā
rea dignitate ornari, nullo etiam modo Imperium
od Romanum reverentes. Neque enim verum eſt,
l nonnulli evincere pertendunt: Henricum Aucupem
Cæſarem. Quin alibi oſtenditur, illum ne quidem
habuiſſe ad occupandam Italiam aut Imperii dignita-
poſtulandam. Sanè nihil Italiæ illum poſſediſſe, eſt
um. Etiam illa ergò ætate Germania non fuit habita
rii Romani portio. Eodem autem tempore nunc Be-
ar'us Dux Forojulienſis, mox Lambertus, iterum Lu-
cus Burgundus, modò Rudolphus Burgundus, modò
Arelatenſis, ejuſque filius Lotharius nec non denique
ngarius Eporegiæ Marchio, ab Italiæ Optimatibus, in-
alto vel Populo vel Pontifice Romano, imo his nihil
ra nitentibus, Italiæ Reges ſunt Papiæ creati, in Regni
gobardici Metropolitana urbe, Et verò horum vix
G 3 unus

ceres Italiæ, appropinquante jam Ottone, Adelberto Berengarii Regis dixiſſe: *Velemus Domine, ut Papiam paucis pergas, & tuo genitori dicas, quatenus Langobardo- Regnum ſub veſtra ditione committat; quia nos minimè llius poteſtate ampliùs jam durabimus. Si vobis committit num, nos totis viribus pugnabimus; ſin autem, nos Italia num extero Regi committemus.* Id ipſum autem cum A- bertus non potuiſſet impetrare, proceres omnes Berenga- u pariter & Adelbertum reliquiſſe. Addit autem ille ſcri- r: *Itaque Otto Rex ſine impedimento in Italiam introivit, e Italiæ Regnum obtinuit.* Luitprandus, qui itidem eo pore vixit, in narratione legationis ſuæ Conſtantinopoli- æ, quam à Caniſio editam inſeruit Baronius decimo An- um tomo *ad annum* 968, ita rem omnem narrat Nice- ro Imperatori: *Palàm eſt, quod Berengarius & Adelber- ſui milites* (i. e. Ottonis Vaſalli) *effecti, Regnum Italicum tro aureo ex ejus manu ſuſceperunt, & præſentibus ſervis qui nunc uſque ſuperſunt, iurejurando fidem promiſerunt. quia hanc perfidè violarunt, juſtè illos quaſi deſertores ſibiq; elles Regno privavit.* Tenuit ergo etiam Otto Lango- dicum Regnum antequam Cæſarea jura eſſet conſequu- adeoque & Regnum illud Italiæ cum Imperii juribus ni- habuit commercii. Etſi verò ſequente anno Otto Im- ator ſit creatus, etiam tunc tamen ſatis curatè diſtinxit icum illud Regnum à reliquiis Imperii Romani quas Papa fidebat. Recitat Gratianus *cap. 33. diſt. 63.* Juramen- Ottonis Papæ Joanni præſtitum, quod & Baronius ha- *anno 960.* (de cujus vide non eſt meum nunc diſputare) diſertè verò legitur: *cuicunque Regnum Italicum commi- , iurare faciam illum ut adjutor tui ſit.* Habet idem Baro- s anno 962 diploma, quo Otto creditur confirmaſſe Ro- na Eccleſiæ bona; ubi inter alia legitur: *inſuper of-*

feri-

errore conſtrictis. Si Germanico autem Regno & Ita-
manſit ſummum jus adminiſtrandi rempublicam ſuam
Populi Romani conſenſu , non in unam profectò
publicam hæc coierunt. Quot enim ſunt ſummæ po-
tes; totidem ſunt reſpublicæ; utut unum habeant Prin-
m, aut arcto aliquo fœdere συμμαχίας, civitates illæ ſint
æ. Quale quid de civitatibus Helveticis Joſias Simle-
k Bodinus , de Fœderatis Belgico-Germanicis provin-
optimè Hugo Grotius *in Apologetico ſuo cap.* 1. annota-
. Cæterum non conveniſſe omnia illa in unam rempu-
im , manifeſtum fit etiam diverſis illis coronationibus
um noſtrorum. Corona enim indicium eſt & ſignum
dammodo reipublicæ. Seorſim autem primò accipitur
ona Regni Germanici, ex antiqua quidem conſuetudine,
lege Carolinâ quod nonnullis etſi falsò placet , Aquis-
i. Perperam ſanè vulgò creditur, & nuncupatur illa Co-
Cæſarea. Veteres utique rectiùs , (inter quos eſt &
ricus I Cæſar *epiſtola ad Ottonem Friſingenſem*) dixere
Coronam *Regni Teutonici*. At Cæſaream coronam
er, & quidem jam per annos octingentos, ſolus Papa
anus addidit. Quin & multi pòſt Ottonem Papiæ quo-
oronati ſunt Reges Langobardorum ; adeoque triplici
na ; Germaniæ nempe Langobardiæ & Imperii Roma-
ſigniti. Accedit, quod nunquam quiſquam poſt Caro-
Magnum voluerit Cæſareum titulum uſurpare ante ac-
m Coronam illam Romanam ; etſi jam eſſet Coronâ
anici Regni honoratus : omnes enim ante ſunt tantùm
s dicti, etiam nunc non niſi Electi Cæſares audiunt, licet
ati ſint Germaniæ aut Italiæ Reges. Adhoc, ſatis ho-
e diſtinguunt ipſi Cæſares Regnum Germanicum ab Im-
Romano, cum Electos ſe dicunt Imperatores Roma-
ſed ſibi ſimul addito titulo Regum Germaniæ; quod

H nempe

nempe alind ſit eſſe Regem Germaniæ aliud electum Cæſarem Romani Imperii,

XLI. Igitur unam profectò cum Imperio Romano rempublicam neque Germania hodie neque Langobardicum Regnum conſtituit. Tantùm verò abeſt, Germaniam & Langobardiam à Germanis domitam, ſeſe Romano Imperio ſubjeciſſe, ut contrà potius illud olim Germaniæ ſeſe dederit magnâ ex parte. Omnem enim Imperatoris eligendi poteſtatem Romani eorumque Pontifices in Germanos æternâ lege contulerunt: quo ipſo jus Germanis dederunt, ſummum magiſtratum Romano Imperio creandi: quod eſt magnam majeſtatis partem alteri tribuere, ſibi eripere. Id quando cœperit aliàs exponitur. Id certum vero eſt: moderatis adhuc Paparum rebus, & ante monſtrum illud ambitionis Hildebrandum aut Gregorium VII Papam, magnam ſatis fuiſſe Cæſarum à Germanis electorum in Pontificem & Populum Romanum auctoritatem ac potentiam, & nihilominus tamen in Germanorum fuiſſe poteſtate, eam omnem dignitatem ac vim, electis ex ſuo arbitro Regibus ſuis, in alienam rempublicam conferre. Quin manet hodieque, ut non ſolus Germanorum Rex audiat Cæſar, priſcâ auctoritate licet adempta. Quo patet; quaſi ſurrogaſſe ſibi potiùs Romanum Populum in ſua jura Germaniam, quàm ut Germania ſeſe illi Imperio ſubjecerit.

XLII. Haec autem omnia quum longè ſint certiſſima, nihil eſt quur non apertè tandem pronunciemus; *neq; Germaniam neq; Langobardicum Italiæ Regnum verè partes eſſe Romani Imperii, ſed Reſpublicas ab illo diſtinctas, adeoque nec Imperatorem, in quantum eſt Imperator, eſſe vel Germanici vel Langobardici Regni caput aut magiſtratum, ſed quatenus idem ſimul Rex eſt.* Nec verò ex illo, quod jam multis ſeculis vulgò Germani quoque & Italia illa Langobardica Im-

peri

rii Romani nomine audiat, ſequiùs quid eſt colligere. Fa-
liare enim eſt & receptum, ſi multæ reſpublicæ coëant in
um fœdus, ab una aliqua illarum omnibus commune
men indere. Ita olim Achæorum reſpublica omnibus
deratis nomen dedit, & Vrbs Romana omnibus ſociis,
die fœderati omnes Helvetii ab uno pago Suiceri, fœde-
æ item omnes Belgico Germaniæ provinciæ vulgò Hol-
diæ nomine uſurpantur. Eadem verò ratione & Impe-
Romani nomen ſociis rebuspublicis eſſe inditum, vel hæc
ba indicaverint Gotfridi Viterbienſis. Hic enim cum
raſſet, Lotharium Imperatorem Regni ſui tres in partes
iſi partem unam, Italiam ſcilicet, cum Imperatorio
nine, majori natu filio tribuiſſe, addit: *vide ad quan-
a defectum Romanum Imperium devenerit, ut inter tres
tres diviſo Regno Francorum, tertiæ partis tertia pars eſſet
erium.* Apud nonnullos ſcriptores, tempore Caroli Calvi,
lia quoq; Imperii nomine audivit, excluſâ Germaniâ. Ot-
Frigenſis, cum egiſſet de diviſione Regni Francici in-
filios Ludovici Pii inſtitutâ, ita loquitur. *l. 5. c. 35.* *Ex-
diviſo Regno, Regna modò duo Orientale & Occidentale,
orum alterum* (Orientale) *partem Ludovici & Lotharii,
mque Regni Francorum Palatium Aquuſgrani, ac Imperi-
Urbis Romæ habet; aliud verò* (Occidentale) *quod adhuc
ncorum, eò quod iſtud Romanorum vocatur, appellatum,
em Caroli Calv. tenet*) *inveniuntur.* Vnde perſpicere eſt, jam
e Friderici Barbaroſſæ Germanicum & Langobardicum
num vocatum vulgò Regnum Romanorum, ità ta-
, ut non lateret diſtinctio inter illa Regna & Imperium
is Romæ.

XLIII. Igitur ex illo nomine Romani Imperii haud
lem licet colligere, Langobardicum & Germanicum
num pertinere reapſe ad Imperium Romanum. Ne-

glexerunt autem diu & ipſimet Reges Germanici, Imperatorio titulo Regnorum Germaniæ & Italiæ memoriam adjicere; fortè quod mos ſeculi non ferret cumulum titulorum, nomen autem Cæſareum eâ ætate adeò haberetur magnificum, ut adjicere quidquam videretur indecens. Conſtat ſanè, eos nec adjeciſſe titulos Ducatuum & Comitatuum, quos tamen unà cum Regia & Imperatoria dignitate poſſidebant. Primus quantum videtur, Fridericus II præter Cæſareum nomen Siciliæ & Hieroſolymæ Regnum tum uſurpavit, Suevici tamen Ducatus mentione non adjecta. Eum imitatus centum & quinquaginta ferè annis pòſt Carolus IV, & Romanorum Imperator ſemper Auguſtus & Bohemiæ Rex voluit dici. Ejus filius Sigismundus & Imperator & Hungariæ & Bohemiæ Rex audivit. Fridericus III non multò pòſt adjecit cognomenta plurima, propter Ducatus, Comitatus & alias provincias ſibi ſubditas, Germanici licet Imperii feuda eſſent. Qui mos ab eo usque tempore invaluit. Maximilianus porrò & Germaniæ Rex voluit dici: non tantum optimo jure, ſed & utiliſſimo inſtituto. Secuti autem Maximilianum eâ in re ſunt Carolus V & omnes, quotquot in huuc diem ab eâ ætate Germaniæ præfuerunt. Poſſet autem eodem jure & Italici (imò, ut alibi oſtenditur & Burgundici aut Arelatenſis) Regni, titulus uſurpari: quantum ex ſuperioribus eſt manifeſtum. Nec verò id ipſum non eſſet magno cum reipublicæ bono conjunctum: quo unicuivis poſſit eò rectiùs conſtare tota reipublicæ natura. Certè intereſt rerumpublicarum conjunctarum, ad tuenda jura ſingularum, ut etiamſi unum Principem acceperint, nomina priſca ne obliterentur.

XLIV. Qvin igitur quaſi ratum eſto, ac conſtitutum: *Germanicum & Italicum Regnum reſpublicas eſſe diſtinctas ab eo quod verè Imperium Romanum eſt dicendum, nec Imperato-*

peratorem,in quantum eſt Imperator vel Germaniam regere vel Langobardicum Regnum: Hinc verò ſequitur, graviſſimè illos hallucinari, qui Germaniam cenſent teneri legibus Juſtinianeis; aut Imperatori in Germaniam arrogant poteſtatem priſcorum Cæſarum in Imperium Romanum, & nomine quod Germania ſit verè Imperium Romanum,&quod Imperator, quatenus eſt Imperator, Germaniæ præſit. Vtrumque ſanè eſſe longè falſiſſimum, jam oſtenſum eſt. Non attingam enim nunc quàm imbecillis ſit illa collectio,etiamſi utrumque verum eſſet quod ſumunt.

XLV. Non minus verò hinc liquet, quàm iniquè Papæ, Romani Imperij nomine abuſi,regimini Germaniæ ſeſe immiſcuerint,eaſq; perturbarint aliquot ante ſeculis:ut & quàm iniquè non adeò pridem Paulus IV voluerit ſuas in manus reſignari Romanum Imperium, Gregorius verò XV Electoralem dignitatem Bavaro collocatam confirmare. Habuit enim olim quidem Papa Romanus,unà cum aliis civibus Romanis, eligendi Cæſarem poteſtatem, (& verò elegit ille & Carolum Magnum ac pòſt Ottonem Magnum)ſed in electionem Regis Germaniæ nihil unquam habuit juris; jam Ottonum verò tempore etiam Cæſarum electionem in liberum Germaniæ Procerum arbitrium tranſtulit. Quà de re alibi. Certè ut hodie etiam aliquid juris ſit Papæ in electionem Cæſaris (quod tamen eſt falſum,) eo tamen nomine non debuit ille ſui juris quoque facere electionem Regis Germaniæ & Italiæ.

XLVI. PORRO & hoc conſentaneum eſt; ſi poteſtas Cæſarem creandi jure queat Germaniæ adimi; aut ſi illa noilet aliquem creare, eo ipſo tamen non amittere illam creandi Regis Germanici & Italici Regni facultatem. Ita, ſi licuiſſet Alexandro III Papæ Imperii Occidentalis dignitatem in Conſtantinopolitanos iterum transferre, quod

rogaſſe Emanuelem Conſtantinopolitanum ſcribit Blondus *l. 5. decad 2.* & Platina *in vita Alexandri III*, aut verò ſi Bonifacius IIX jure potuiſſet promiſſis ſtare (pollicitus autem erat ſe Imperii dignitatem in Gallos translaturum) non tamen ea propter jure potuiſſet Germaniæ & Italiæ reſpublica à Germanis in alios transferri.

XLVII. DENIQUE & hoc ſequitur: non eſſe, quur nonnulli adeò contendant, Imperii Romani dignitatem non eſſe à Romano Papa collatam, vel Carolo Magno vel Ottoni, eo argumento quod uterq; jam ante coronationem Germaniam ac Italiam poſſederit. Non enim eſt difficile probatu, factum id omninò eſſe à Papa & Populo Romano; ſed quod collatum fuit, id verò ſi cum Germania & Italia Langobardica contendas penè eſſe nihil. Certè non eſt quur hac de cauſa ſeſe jactitent Romani Pontifices, quaſi ſc. magno beneficio Germaniam affecerint, utpote quum, ſi rem ipſam videas, potius opinione collatio illa inſigne quid habeat, quàm reapſe. Verùm de toto hoc negotio non eſt hujus loci latiùs agitare.

XLIIX. QVUM AUTEM, nec Germania, nec Italia Langobardica ſubſit hodiè Imperatori, ut ille eſt Romanus Cæſar: ergo aut reliquum omne Italiæ illi iſthoc nomine paret, aut aliquid ejus, aut verò nihil. Oſtenſum autem eſt ſupra: quum Carolus Magnus Imperii rerum eſt potitus, tum ex pacto Calabriam Inferiorem manſiſſe in ditione Imperii Orientalis, Venetorum quoque Vrbem iisdem redditam, reliquum autem omne, utut pareret Pontifici, in Caroli ut Imperatoris ſupremam poteſtatem perveniſſe. Fuit autem & Ottonis eadem propè conditio. Namque & tunc nihil reliquum relictum eſt Orientali Imperio præter Calabriam: Venetorum Vrbs itidem tunc manſit libera; cætera verò omnia Imperii

rii veteris in Italiâ, tametſi eſſent in Pontificis manu, â tamen cum ipſo Pontifice in Ottonis ut Cæſaris perium pervenerunt. Luitprandus, ſive alius quis au- r eorum, quæ à capite usque ſexto ſunt aſſuta *libro ſexto uitprandi*, ſcribit: Ottonem ab Johanne Papa unctionem ſcepiſſe imperii, addens: *jusjurandum verò ab eodem Pa- i Joanne ſupra pretioſisſimum corpus Petri atque ab omnibus vitatis proceribus, ſe nunquam Berengario atque Alberto au- iliaturos, accepit.* Otto Imperator *c. 10.* conqueritur: Jo- nnem Papam eſſe *immemorem juramenti & fidelitatis quam ſibi ſupra corpus S. Petri promiſerit.* Vnde claret Pa- pam *fidelitatem* juraſſe Imperatori Ottoni, quæ vox quàm habeat vim, ex more ejus ævi notum eſt. In diplomate Ottonis illius Joanni Pontifici dato, de bonis Epiſcopatus Romani, apud Baronium *ad annum 962.* diſertè bona illa omnia donantur, ſub hac conditione: *Salvâ in omnibus po- teſtate Noſtrâ & Filii Noſtri, poſterorumque Noſtrorum.* Item ne quis pontifex impoſterum conſecraretur (verba Cæſaris ſunt) *priusquam talem in præſentiâ Miſſorum noſtrorum, vel filii noſtri ſeu univerſæ generalitatis, faciat promisſionem pro omnium ſatisfactione atque futura conſervatione, qualem Do- minus & venerandus ſpiritualis pater noſter Leo ſponte feciſſe dignoſcitur.* Atqui Leo tertius Carolo Magno ſubjecit ſeſe, prout olim Cæſaribus fuere ſubjecti Papæ, eóque Carolum ſtatim adoravit: quod jam ſupra eſt dictum. In eodem porrò diplomate notandum illud eſt, conventum tunc eſſe, ut quotannis per Legatos Cæſari nuncietur: *qualem ſinguli Duces ac Judices populi juſtitiam faciant.* Si enim ſecius quid fiat quam oportet, tum verò Imperatorem per Legatos ſuos id emendaturum,

XLIX. Ex QVIBUS profectò liquet, ſtatim illo anno 962, Ottonem unâ cum Cæſareo titulo jura veterum Cæ- ſarum

ſarum in Papam ipſum accepiſſe. Et verò eo jure uſus eſt contra Joannem illum Papam ſtatim ſequente anno. Quo tempore, de novo cives Romani *fidelitatem* promiſerunt, *hæc addentes* (verba ſunt Luitprandi l. cit.) *& firmiter jurantes, nunquam ſe Papam electuros & ordinaturos præter conſenſum atque electionem Domini Imperatoris Ottonis Cæſaris Auguſti Filiique ipſius Regis Ottonis.* Rogavit autem tunc Synodus Epiſcoporum ab Ottone congregata, & ut Joannem Papam exui honore, & alium in ejus locum eligi pateretur. Vtrumque autem effectum eſt. Eidem verò Ottoni Romani cives perjuri *anno 964* & tertia vice *fidelitatem* jurarunt: ut poſt Reginonem narrat Baronius. Quo anno iterum Cæſareâ auctoritate uſus Otto, in exilium relegavit Benedictum, quem Romani cives crearant Pontificem. Eidem porrò Ottoni, omnibusque ejus ſucceſſoribus Leo Papa præter illa jam dicta conceſſit *in perpetuum facultatem eligendi ſucceſſorem*, (in Imperio ſcilicet) *atque ſummæ ſedis Apoſtolicæ Pontificem ordinandi, ac per hoc Archiepiſcopos ſeu Epiſcopos; ut ipſi ab eo inveſtituram accipiant.* Habentur omnia hæc veeba ex Bulla quâdam Leonis deprompta, apud ipſum Gratianum *diſt. 63. cap. 23.* Extat quoque apud Cranzium *Metropol. l. 4. cap. 10*, ejusdem Leonis alia Bulla, qua omnia quæ Pipinus aut Carolus Magnus donaverant Romanæ Eccleſiæ, Ottoni ejusque ſucceſſoribus redduntur. Impugnat quidem acriter utriusque fidem Baronius *ad annum 964.*: quicquid verò ſit de illis Bullis, id certum eſt, Leone mortuo, jus illud Cæſareum eligendi ex arbitrio Pontificem, non latuiſſe Romanos. Continuator Reginonis *ad annum 965* ita notat: *Eodem anno dominus Papa Leo obiit. Tunc Legati Romanorum Imperatorem pro inſtituendo quem vellet Romano Pontifice, in Saxonia adeuntes, honorificè ſuſcipiuntur & remittuntur.*

Et

Et Otgarus Spirenſis Epiſcopus & Luitprandus Cremonenſis cum Sindem Romam ab Imperatore diriguntur. Tunc ab omni plebe Romana Ioannes eligitur. Imo ex eo uſque tempore, omnes Pontifices Romani, aliique Archiepiſcopi pariter & Epiſcopi, pedum Epiſcopale ab Imperatoribus acceperunt, donec rem omnem turbaret Gregorius VII. Id quod alibi oſtenditur.

L. QVIN ITAQVE OTTO MAGNUS verè Cæſaream obtinuerit in Pontificem Populumque Romanum poteſtatem, non eſt dubitandum. Poteſt autem de ſucceſſoribus ejuſdem ad Henricum quartum uſque, idem haud difficulter oſtendi, ſi opus foret. Verùm id operosè agere fuerit forte ſoli facem fœnerari. De Ottone III. tamen quæ dicit Glaber Rodulphus non poſſumus prætermittere. *Contigit*, ait, *initio Imperii Ottonis, ut Sedes Apoſtolica Urbis Romæ proprio viduaretur Pontifice.* (is erat Iohannes XV) *Ipſe vero illicò Imperiali uſus præcepto quenquam ſuum conſanguineum* (Brunonem, pòſt dictum Gregorium V) *elegit, atque ex more in Sede Apoſtolicâ ſublimari mandavit.* Quum verò eodem tempore Creſcentius Conſul Principatum Urbis ſibi ſumſiſſet, aliumque inſtituiſſet Pontificem, narrat idem atque ex eo Baronius *ad annum 996*: Ottonem & urbem occupaſſe & Creſcentium curaſſe præcipitari, Papæ autem à Creſcentio electo & manus amputatas & aures abſciſſas & oculos erutos. Idem ille Otto Sylveſtrum II Papam inſtituit, fatente Baronio *anno 999.* Idem Otto Sylveſtro illi Papæ octo urbes Marchiæ Anconitanæ donavit. Refert illud Theodoricus de Niem *lib. de privileg. & jurib. Imperii.* Ipſum verò donationis diploma edidit primus Marquardus Freherus & inſigni commentario illuſtravit. Poſt illud à Baronio *tomo 12. Annal ad ann. 1191* editum. Liquet verò inde, eo tempore magnum illud

ris notatu etiam hoc occurrit dignum, quod Romam appellet Cæſar *ſuam Urbem Regiam*. Hujus porrò Ottonis adhuc pueri mater Theophane per triennium ipſa Romæ viꝛit & rempublicam filii ſui in uſum tenuit. Quomodo anno 1033 Conradus II integrum annum Romæ commoratus rebelles compeſcuit.

LI. QVAMQVAM autem hæc vera Cæſarea poteſtas integra manſerit ad Henricum uſque Quartum (cujus pater Henricus III adeò jure ſuo eſt uſus, ut non dubitaverit Baronius *anno 1046*, illum hoc nomine neſcio cujus Hæreſios Henricianæ auctorem proclamare) imò quanquam ipſe Gregorius VII Papa confirmari voluerit per Henricum IV: primus tamen ille incudito hactenus facinore non tantùm exuere Cæſarem omni dignitate eſt auſus, ſed & ſumere ſibi poteſtatem in Imperatorem, Reges, Principes. Preſſerunt autem ejuſdem veſtigia omnes ſecuti Pontifices. Quanquam verò ſtrenuè jura ſua antiqua tueri ac ſervare ſtuduerint, cùm ipſe Henricus IV tùm ejus filius Henricus V, nec non Fridericus primus & ſecundus, tandem tamen, (poſt obitum ſcil. Friderici II) violentia Paparum victoria pene Imperatoribus excuſſit. Igitur jam quidem annos propè quadringentos, neq; in Papam, neq; in Urbem Romam, neque in illas antiqui Imperii reliquias, Cæſarum priſtina quidem juſta potentia fuit exercita. Superſtes tamen manſit Imperatorium nomen. Sed, ſi verum eſt dicendum, fermè inane atque procul re ipſa: quantum quidem ſtetit penes Curiam Papalem. Quod jam olim rectè intellexit fortiſſimus Germanicorum Cæſarum Fridericus primus. Eoque, cum Adrianus IV. Papa *anno 1159* inter alia à Friderico

jure poſceret : *nuncios ad urbem ignorante Apoſtolico ab Imperatore non eſſe mittendos , cum omnis magiſtratus inibi S. Petri ſit cum univerſis Regalibus*, ſtatim hic reſpondit : *cum divina ordinatione ego Romanus Imperator & dicar & ſim, ſpeciem tantum dominantis effingo, & inane ubiq; porto nomen ac ſine re , ſi Vrbis Romæ de manu noſtra poteſtas fuerit excuſſa.*

LII. NON diſputabo nunc, an quadrangintorum annorum poſſeſſione id quod initiò per vim & nefas pepererunt ſibi Pontifices nunc verè ſuum fecerint : præſertim cum tanto temporis ſpatio pauci Cæſarum id ipſum videantur in controverſiam vocaſſe. Id certum haud forte injuria videtur; ſi tot annorum præſcriptione perierint noſtris Regibus & Cæſaribus , omnia vera illa & antiqua Cæſarum jura (quod tamen neutiquam admitti poteſt,) non eſſe ampliùs , quur vanè jactent nonnulli neſcio quod Orbis aut Vrbis Romæ dominium : multò minus fortaſſe nunc eſſe magnis ſumptibus & ingenti periculo in Italiam proficiſcendum Cæſaribus electis , quo à Romano Pontifice Cæſaream coronam conſequantur. Quin imò haud obſcurè hinc eſt deſpicere , cum Orientale Imperium Romanorum per Turcam pridem ſit deſtructum , nec Occidentalis quidquam pene ſuperſit apud Cæſares noſtros præter nomen Imperatorium , haud abs re fortaſſis poſſe affirmari , vel Imperatorium Romanum funditùs periiſſe, vel verò Papam Romanum reapſe frui nunc poteſtate Imperatoria , ſi demus licentiam titulum illum uſurpandi , aut in alium conferendi.

LIII. CAETERUM his quæ ultimò attigimus nonnulla poſſe objici videntur. *Primo* enim Sacris literis videtur prædictum , non interiturum Romanum Imperium ante ultimum diem. *Ex* Legibus quoque Juſtinianeis conſtat,

Imperatorem dominum eſſe orbis ; certum verò eſt noſtros Cæſares Juſtiniani eſſe ſucceſſores ; itaque & noſtris illis in orbem quoque univerſum eadem hodie jura ſunt. *Poſtremo* ſi Cæſares hodie reapſe non niſi Imperatorium titulum habent, haud videtur eorum eſſe aliqua præ aliis Regibus dignitas ac prærogativa.

LIV. Verum enim verò, quod *primo* quidem loco adducitur, promitti nempe in Sacris literis Imperio Romano æternitatem, id temerè probari non poteſt. Quomodo totum illud, de non niſi quatuor magnis futuris Monarchis ſeu imperiis mundi, plus habet famæ quam veri. Quippe quum olim in Aſia jam ante Alexandrum tot numero floruerint ampliſſima imperia, Aſſyriorum, Babyloniorum, Medorum, Perſarum, non autem duo tantùm quod vulgò creditur : Aſia eadem poſt Romani Imperii interitum itidem habuerit, hodieque ex parte habeat, vaſtiſſima Regna Sarracenorum, Turcarum, Tatarorum, Perſarum, & Sinenſium. Europa verò viderit Francorum Regnum maximum jam ante ademptum Cæſareum nomen ; etiam nunc verò ibi floreat vaſta Hiſpanorum potentia & Gallorum. Nec verò reperitur quid in Sacris literis, quod ad perpetuitatem Romani Imperii jure debeat trahi. Sive enim ſomnium Nabuchodonoſaris videas ; ſive ipſius Danielis quod eſt *c. 7.* omnia illa vix attingunt Cæſarea tempora, ut optime obſervant eruditiores ; quod tamen hîc diſputare alienum eſt. Quid, quod Apoſtolicæ literæ excidium non Romani Imperii tantùm, ſed & ipſius Vrbis haud paulò ante finem mundi futurum, videntur prædicere ? Antichriſti certè tempora exceptura demum interitum Romani Imperii, communis omnium primæ ætatis Chriſtianorum fuit ſententia. *De ipſius autem Vrbis Romæ extremo excidio accipienda videntur omnino illa quæ *c. 18 Apocalypſ.* leguntur.

LV. Ad

LV. Ad *ſecundum* reſpondemus. Eo argumenti genere uſos quidem perquam multos, à Lotharii Cæſaris uſque temporibus ad noſtram hanc ætatem; ex ordine eorum qui Romani juris doctrinam profeſſi ſunt, quorum nonnullis penè perſuaſum eſt, omnia omnino illa competere hodieque Cæſaribus noſtris quæ olim Juſtiniano imò Auguſto Imperatori convenerunt. Verum hæc quidem doctrina ipſa eſt concitandis bellis, movendis tumultibus, evertendæ etiam noſtræ reipublicæ. Si enim omnia ad illam faciem Auguſtæi ævi ſunt componenda, non hæc tantum noſtra Germania ſed penè totus orbis erit commovendus. Eſt autem illa colligendi ratio frivola, ne quid dicam gravius. Nulla certè illi vis ineſt, niſi pro confeſſo & certo ſumas: Populum Cæſaremque Romanum nihil potuiſſe jure amittere, aut vero Omne quod in Corpore illo Legum Romanarum reperitur id ex jure naturæ venire, adeoque æternæ eſſe veritatis. Quæ omnia longè ſunt falſiſſima. Sanè cum jura illa plæraque valeant ex conſtituto, ſintque poſitiva, uniuſcujuſque eſt liberæ reipublicæ ea hactenus vel rejicere vel admittere. Eòque nec rerumpublicarum controverſiæ rectè ex illis poſſunt decidi: ut optimè poſt Ferdinandum Vaſquium obſervavit ſummus vir Hugo Grot. *proœf. ad libr. de jure belli ac pacis*. Stultum vero eſt, omnem, qui in nomen aut aliquo modo ſuccedit in aliorum locum, eundem in jura etiam, quæ ante aliquot centum aut mille annos alii illi obtinuerunt, ſuccedere. Non minus ſanè hoc ineptum eſt quàm illud nonnullorum commentum: Carolo V jus fuiſſe ad occupandos Americanos, eò quod eſſet Imperator adeoque dominus orbis: quos doctè confutavit Franciſcus Victoria *Relect. de Indis*. & Ferd. Vaſquius *in Quæſtionib. illuſt.* Sed bene eſt, quòd qui ſeſe olim

Cæſarianarum partium propugnatoribus illis oppoſuerunt, ac Pontificem ſumpſerunt ſibi extollendum *ſuper omne quod dicitur Deus*, non minus perperam ſeſe geſſerint. Nihil aliud ſcilicet afferentes, quàm ipſorum quorumdam Pontificum arrogantiſſima dicta, adeoque teſtimonium glorioſiſſimorum & ſuperbiſſimorum aliquot paucorum hominum in propria cauſſa.

LVI. *Tertii* ultimique argumenti rejicienda eſt ſequela. Enimverò non eſt Cæſari noſtro quidquam poteſtatis in liberas reſpublicas, ſed ratione αὐτονομίας etiam parva reſpublica libera, qualis eſt Rhaguſina ex. gr. non minus ſua habet plena majeſtatis jura quam aliqua magna: dignitas vero omnis non ex ſolis illis majeſtatis juribus eſt æſtimanda, ſed & alia multa ſunt quæ jubeant etiam inter pares ordinem aliquem ſervandum. Certum verò eſt, Carolum Magnum cum Francis quoquo verſum Imperium ſuum extendiſſe: in Germaniam ſcilicet & Galliam & Italiam & magnam Hiſpaniæ partem: fuiſſe autem Francos illos omnes natione & lingua Germanos adeoq; tum certè præcipuam Europæ vim penes Germanos fuiſſe. Certum verò & hoc eſt, à tempore Ottonis Magni non tantùm Cæſareo nomine, ſed & Imperii amplitudine Germanicum Regnum per complura ſecula longè antecelluiſſe, Hiſpaniam, Galliam, Britanniam, Daniam, Succiam, Poloniam, Vngariam: utpote quæ comprehenderit omnem Germaniam, Galliæ magnam partem uſque ad Rhodanum, Regnumq; adeo Arelatenſe, & Italiam univerſam. Denique certum eſt, ab annis ſeptingentis nullam rempublicam non ultrò ſeptem Germaniæ Regibus ejusq; Cæſaribus primum locum conceſſiſſe. Itaque quum dignitas hæc & πρωτεδρία non tam à Cæſareo titulo, quàm ab ipſa amplitudine Imperii veniat, & vero Germanicum

Regnum

Regnum in quieta eius honoris poſſeſſione hactenus fuetum manifeſtum eſt, etiamſi hodiè tollatur omne Imperatorium & Imperii nomen, (quod ſummum fuerit nefas) Jus tantum ſuum Germanico Regno permanſurum integrum.

Corollaria.

I.

Imperator; etiam in quantum eſt Rex Germanorum, primarium eſt Princeps Chriſtiani orbis.

II.

Regnum Germaniæ ſemper fuit electitium: etſi uſque ad tempora Henrici IV ſemper ex parte habuerit aliquid hæreditarii.

III.

Regnum Germaniæ merè electitium fuit redditum, occaſione tumultuum contra Henricum IV excitatorum.

IV.

Prior modus conſtituendi Regem, qui nempe aliquid admiſtum habet hæreditarii, Germa-

Germaniæ rebus eſt convenientior altero illo pure electitio.

V.

Regnum & Imperium non in Papæ ſed in Electorum manus recte Carolus V reſignavit.

VI.

Non eſt jure naturæ vetitum uſuram capere.

VII.

Neque jus naturæ obſtat, quo minùs magna Oceani pars in privatam poſſit redigi poſſeſſionem,

EVER-

EXERCITATIO TERTIA

DE

VRBIBVS GERMANICIS

Habita XXI Decembris, Anno cIↃ IↃ XLI.

RESPONDENTE

GERHARDO BODE

Hamburgenſi.

THESIS I.

DE Regni Germanici Vrbibus agere quoniam animus eſt, priùs in genere de Civitatum & Vrbium origine atque cauſis quædam præfari, forte haud abs re fuerit: ſi modò quid Civitatis quid item Vrbis nomine indigitemus, paucis antè expoſuerimus. Ita enim non tantùm præſtantiſſimorum Philoſophorum ductum ſequemur, verùm etiam multò rectiùs in ſequentibus progredi poterimus.

II. Eſt verò ἡ πόλις aut *Civitas*, juxta optimum & dicendi & ſapiendi magiſtrum Ariſtotelem, nihil aliud quam ſocietas liberorum hominum benè beatéque vivendi gratiâ conſtituta. Vrbs autem propriè mœnibus definitur aut loci alicujus munitione.

III. Eſſe aut inter hæc maximum diſcrimen, cùm per ſe manifeſtum eſt, tùm vel exinde patet; quod totum aliquem Ducatum aut provinciam liceat quidem appellare civitatem; (ſi nimirum iisdem legibus utatur)

non tamen unam Vrbem. Abſurdum etiam foret, Peloponneſum v gr. aut Cimbricam Cherſoneſum, utraque licet mœnibus cincta eſſet, unam Vrbem dicere, ſi quidem diverſæ in iis ſitæ fuerint reſpublicæ.

IV. Quamquam verò hæc prima ſit ſignificatio vocabuli Civitatis, eâque ratione ab optimis Latinis antiquis ſcriptoribus uſurpetur; ſequentibus tamen ſeculis fere Vrbem cœpit notare & nihil aliud. Sic & Vrbis acceptio cœpit diffundi ad loca neutiquam munita: modò majorem ædium frequentiam conjunctam comprehenderent. Scilicet aut ſparſim amplis ſpatiis locantur domus, aut ſedibus conjunctis habitatur. Hoc verò fit, vel paucis, vel paulò pluribus, vel denique eâ multitudine coëuntibus hominibus, quæ ad vitam ſic ſatis benè degendam requiritur. Prior congregatio nobis ein Dorff / Latinis Vicus, nonnullis vulgò pagus audit. Altera, imo & Tertia, ſi mœnibus careat, nobis ein Flecken / ſequioris ævi ſcriptoribus minus Latinè Villa, nonnunquam & Vrbs dicitur. Sola tamen illa tertia eine Stadt appellatur; præcipuè ſi eadem ſit mœnibus cincta, quod proprie claſſicis ſcriptoribus Latinis Vrbs eſt.

V. Sed quicquid ſit, quia de nomine tantùm eſt illa quæſtio, non eſt quod hic operoſe ſimus ſolliciti: ſed nobis quidem *Civitas & Urbs* dicentur prout modò definivimus. Interim vocabulo Vrbis potiſſimum utemur, utpote quòd omnium commodiſſime & ſtructuram & ipſam hominum ſocietatem denotat.

VI. Hiſce præmiſſis nunc videndum: quænam cauſa primùm homines commoverit civilem aliquam ſocietatem inire, & multis adeò legibus ſeſe ſubjicere.

VII. Sunt autem hac de re diverſæ diverſorum ſententiæ. Nonnulli quidem omnem Civitatem à tyrannico

impe-

imperio initium ſumſiſſe autumant; quaſi nimirum primùm tyranni domitos à ſe populos in unum coëgerint. Alii contrà credunt, ſponte homines in civitatem coiiſſe, metu tamen quaſi coactos, ſcelere improborum hominum ubivis latè graſſante.

IIX. A quibus tamen utrisque longè diſſentit Ariſtoteles. Vult enim ille hominem naturâ, h.e. naturæ innato inſtinctu ad civilem ſocietatem ferri, adeoque naturà eſſe animal πολιτικὸν. Hominem namque etiam omni malorum metu abſente, nihilominus naturâ civilem hanc ſocietatem appetere.

IX. Videatur autem Ariſtotelis ſententia præ aliis veriſimilis, adeoq; ut in cæteris ita & fortasſis hac in re maximè ſequenda. Nam primæ quidem illius & ſecundæ opinionis autores affirmare coguntur, quod ſi per Adami lapſum non in vitia defeciſſet humanum genus, nullam futuram fuiſſe Civitatem; contrà quàm tamen omninò res ſe habere videtur.

X. *Primò* enim certum eſt, homini naturâ quaſi, ante lapſum etiam, inditum eſſe ſermonem. Quorſum vero niſi ſocietatis gratia? Quippe cum ſermo inſtrumentum ſit nulla alia de cauſa homini conceſſum, quàm ut ea quæ nocent ſibi quæve proſunt, & per conſequens quid juſtum ſit ac injuſtum, eo ſignificare posſit; ſi autem nullus ſit cum quo loquaris, ne quidem ſermone tibi opus fuerit. Eſt autem homini ſermo non tantùm de iis quæ ad domeſticam, ſed de omnibus etiam quæ qualicunque modo ad vitam feliciter degendam requiruntur. Quod ſi igitur naturâ homini datum eſt illud quod non tantùm requiritur ad ſocietatem, verùm etiam non aliam ob cauſam requiritur quàm ob ſocietatem, manifeſtum utique dixerit, hominem naturâ quoq; ferri in ſocietatem civilem:

niſi fruſtra ſermonis uſum homini à natura eſſe conceſſum, dicere velis.

XI. *Secundo* certum eſt & illud: quod licet homines non eſſent lapſi, tamen quidam ad imperandum quidam ad parendum fuiſſent nati; utpote cum diſcrimen hoc naturale prorſus ſit homini, uti præclare obſervatum eſt Ariſtoteli *lib. 1. Polit c. 5.* Videmus enim naturâ fœminam quoad ingenii & judicii vires, non minùs ac ratione corporis, viro eſſe imbecilliorem. Videmus quoque naturâ inter jam adultos & pueros ut ætatis ita & ingenii diſcrimen vel maximum reperiri: habent enim pueri natura imperfectam conſultandi vim, eòque eſt aliis opus à quibus manu ducantur, virtusque eorum perficiatur. Quòd ſanè diſcrimen in hominibus etiam non lapſis animadvertere licuiſſet; quippe cum & ipſemet Salvator noſter nullo licet peccato contaminatus, ſapientiâ ſcribatur profeciſſe. Vt autem minùs prudens obſequatur prudentiorum conſilio & monitis, id verò recta ratio ſuadere videtur. Hinc itaque patet: tametſi lapſus nullus primorum parentum interceſſiſſet, futurum tamen fuiſſe ordinem quendam & diſtinctionem obſequentium & imperantium. Talis autem ordo citra ſocietatem nequaquam poteſt conſtitui.

XII. Procul dubio autem etiam tunc, alii quidem omnia illa juſſiſſent quæ ad vitam feliciter degendam poſtulantur; alii vero iis in omnibus illis obtemperaſſent. At ubi eſt ſocietas imperantium & obſequentium in omnibus vitæ negotiis quæ ad felicitatem requiruntur, ibi eſt civilis ſocietas. Nihil enim aliud eſt Civitas quam talium hominum ſocietas perfecta, benè vivendi gratiâ inſtituta.

XIII. *Tertio* & illud: conſtat quoniam ob mutuam

tuam operam & vitam feliciter degendam ad ſocietates inter ſe ineundas naturâ homines ducuntur, licet lapſi non eſſent, multò certè magis ad civilem ſocietatem eoſdem propendiſſe. Quilibet enim, quoad fieri poteſt, benè & feliciter quam potiùs miſerè ſatagit vivere. Atqui id nemini rectiùs quam in civili ſocietate viventi obtingere poteſt: utpote quæ omnium perfectiſſima eſt & totius ferè ſufficientię ſummam in ſeſe continet. Vnde rectè inquit Ariſtoteles. 1. *Pol. c 2. eum qui natura in ſocietate vivere nequit aut extremæ malitiæ eſſe aut homine potiorem.* Et ſanè conjungi hominibus non poſſe ferorum eſt; at conjunctione non egere ſolius ferè eſt Dei.

XIV. Quanquam verà tam altè arceſſenda merito fuerit origo civilis ſocietatis, omnino tamen concedendum eſt: aliam longè futuram fuiſſe faciem reipublicæ; ſi quidem homines nullis ſeſe peccatis contaminaſſent, quam nunc neceſſitate exigente paſſim ſolet inſtitui. Multa enim nobis nunc deficiunt, & tranquillitatem vitæ plurimùm perturbant hominum ſcelera. Quibus omnibus occurrendum nunc eſt per varii generis artificia, arma, conſilia, opes, ſi modò velimus tranquillè vivere; quorum tamen nullus fuiſſet uſus, ſi homines in primogenia integritate vitæ perſtitiſſent.

XV. Verùm hoc quidem coacti ſunt homines variè ſe contra petulantium hominum injurias munire. Inde autem progreſſu temporis Vrbes ſunt exortæ, in quibus jam non tantùm rerum ad vitam neceſſariarum incolis copia ſuppeteret, ſed quarum etiam beneficio hoſtium injurias à ſe illi propulſare poſſent.

XVI. Caeterum quò ad res Germanicas tranſeamus, Vrbium nullas Germanorum populis ante mille

ſexcentos præter propter annos habitatas fuiſſe, antiquam memoriam repetentibus facilè apparet. Enimverò quæ de antiquiore Vrbium nonnullarum initio à quibuſdam memorantur, figmenta mera ſunt & inanes fabulæ; ut quorum fides nullis neque peregrinis neque domeſticis monumentis ſit ſubnixa. De ſuo ævo, hoc eſt, ætate Trajani, diſertè Tacitus, cui res Germanicæ fuerunt compertiſſimæ: *Nullas Germanorum populis Vrbes habitari, ſatis notum eſt: ne pati quidem inter ſe junctas ſedes. Co:unt diſcreti ac diverſi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit.* Loquitur autem ille de Germaniâ magnâ. In eâ ſcilicet quæ parebat Romanis cis Rhenum Germaniâ Vrbes tum fuiſſe, ipſe non ſemel alibi prodiderat. Et verò hæc videtur eſſe cauſa, quare plæræque Vrbes Germaniæ vel à fluviis, vel à campis, vel etiam à ſylvis nomina pòſt acceperint. Id quod latè deducitur à Philippo Cluverio *Germaniæ Antiquæ l. 1. cap. 13.*

XVII. Nec tamen nos Cluverio facile in aliis daſentimur, quæ de antiqua Germanorum habitandi ratione ille memorat: quaſi nempe illum morem ſervaverint quem Tacitus Fennis adſcribit: utut promiſcuè Germanis ſimile quid tribuere Seneca videatur. Sunt autem verba Taciti de Fennis: *nullos iis penates; veſtitui pelles, cubile humum: nec aliud infantibus ferarum imbriumque ſuffugium, quàm ut in aliquo ramorum nexu contegantur: huc rediiſſe juvenes: hoc ſenum receptaculum fuiſſe: id beatius arbitratos quàm domibus allaborare.*

XIIX Non enim hoc ad omnes Germanos trahendum, ſed Fennorum fuit proprium. Idem certè Tacitus Germanis omnibus non ædium uſum attribuit tantùm, ſed & uſitatam ſtruendi rationem narrat. Venedos idem inter Germanos potius referendos cenſet, quàm inter Sarmatas:

tas; *quia domos figunt, Sarmatis in plauſtro viventibus.* Neq: ille Fennos audet Germanis accenſere. Quin teſtatur, Fennis *miram fuiſſe feritatem, fœdam paupertatem*, quæ ſcil. omnia Germanis erant diverſa. Vt proinde, quæ fuſè & narrat & pingit de habitaculis Germanicis Cluverius, plus ficti habeant quàm veri.

XIX, Id verius & certius: priſcos Germanos non tantùm hinc inde diſperſos vixiſſe, ſed & vicos inhabitaſſe. Expreſsè Tacitus: *VICOS locant non in noſtrum* (Romanorum videlicet) *morem connexis cohærentibus ædificiis: ſuam quisque domum ſpatio circumdat; ſive adverſus caſus ignis remedium, ſive inſcitia ædificandi.* Dudum ante Tacitum Cæſar *l. 4. de bello Gallico* ſcribit: Menapios ad utramque Rheni ripam *ædificia VICOSQVE habuiſſe.* Et verò Hiſtorici Romani paſſim vicos Germanorum memorant & domos, rudes licet & incultas.

XX. Sed VICOS quidem incoluerunt Germani priſci, Vrbes tamen nullo modo ferre potuerunt; quin potiùs ad exemplum Lacedæmoniorum pro mœnibus juventutem & vim ſuam reputarunt, magno ſibi dedecori exiſtimantes mœniis ſe valloque cingere, Vnde quoque Tencteri apud Tacitum *l. 4. Hiſtoriarum*, Vbiis quaſi ignaviam exprobantes, ſic inquiunt: *Vt amicitia ſocietasque noſtra in æternum rata ſint, poſtulamus à vobis, muros coloniæ, munimenta ſervitii, detrahatis: etiam feræ animalia, ſi clauſa teneas virtutis obliviſcuntur; liceat nobis vobisque utramque ripam colere, ut olim majoribus noſtris; quomodo lucem noctemque omnibus hominibus, ita omnes terras fortibus viris natura aperuit.* Quomodo ſcilicet Poloni hodieque ex antiquo more oppida munita non magni faciunt, nec eorum niſi exiguum habent numerum.

XXI, Neque verò Taciti fidem in dubium quis vocaverit

caverit oppoſito teſtimonio vel Julii Cæſaris vel Claudii Ptolemæi, quem paulò poſt Tacitum ætate Antonini conſtat Geographica ſua conſcripſiſſe. Enimverò Julius Cæſar & Suevis & Vbiis, utrique Transrhenano tum populo, ſua oppida abſcribit *comment. IV. Suevos poſtquam per exploratores pontem fieri comperiſſent, more ſuo concilio habito nuncios in omnes partes dimiſiſſe, uti de opidis demigrarent: liberos, uxores, ſuaque omnia in ſylvas deponerent.* Et comment. VI. *Vbiis imperat, ut pecora deducant, ſuaque omnia ex agris in oppida conferant.* Nec poteſt negari, Ptolemæum amplius nonaginta in magnâ Germaniâ recenſere loca πόλεων nomine. Sed non eſt dubitandum, auctores illos per πόλεις aut *oppida* nil quicquam aliud quam vicos non munitos intellexiſſe. Etenim neque ἡ πόλις neque opidum proprie Vrbem ſignificat aut locum munitum. Et quidem ejus naturæ fuiſſe tunc τὰς πόλεις Germanicas, vel unum Herodiani teſtimonium evicirit *l. 7.* in hiſtoria rerum Maximini. Cum enim ſcripſiſſet: *vicosque omneis incendendos diripiendosque militibus concesſit*: ſubjungit; *namque opida eorum* (τὰς πόλεις αὐτῶν) *atque ædificia omnia ignis depaſcitur.* Vti liqueat, Herodiano τὰς πόλεις hîc eſſe idem atque τὰς κώμας.

XXII. Pari verò ratione non eſt quod ex *burgi* appellatione, jam Ptolemæi ævo nonnullis locis adjecta, mœnia & foſſas Germanis uſurpata quis credat. Etenim eſt *burgus* quidem Romanis ſequioris ævi *caſtellum parvulum*, ceu teſtatur Vegetius *l. 4. Cap. 10.*; at alia ſignificatio obtinuit olim apud Germanos. Diſertè enim Oroſius *l. 7. cap. 22.* & Iſidorus *l. 9. cap. 2.* de Burgundionum vocis origine diſſerentes: *crebra habitacula conſtituta burgos vulgò vocant.* Clarius Luitprandus *l. 3. c. 12*; *ipſi* (Germani ſcilicet) *domorum*

domorum congregationem quæ non clauditur, burgum vocant Niſi ferè τὸ *non* ſit delendum.

XXIII. Sed quid in re clarâ opus eſt verbis? Sanè nemo hiſtoricorum, qui expeditiones Romanas in Germaniam uſque ad Seculum à nato Servatore quintum ſat prolixe deſcripſerunt, vel verbulo Vrbis alicujus per Germaniam magnam ſtructæ meminerunt. Quin nec vicos aut ædificia aliter deſcribunt ac Tacitus; ceu ex Herodiano eſt manifeſtum. Ammianus Marcellinus *lib. 16. cap. 3* narrat: Argentoratum, Brotomagum, Tabernas, Seliſonem, Nemetes, Vangiones & Moguntiacum civitates, Germanos Transrhenanos poſſediſſe tunc quidem, non tamen ipſas Vrbes ſed earum territoria inhabitaſſe, *Nam*, ait, *ipſa oppida ut circumdata retibus luſtra declinant.*

XXIV. Quin igitur Magna Germania nullam habuerit Vrbem ante quintum ſeculum Chriſtianum, non eſt dubitandum. Sequentibus uſque ad ſeculum nonum temporibus paucæ itidem vel prope nullæ extructæ ſunt à Germanicis Populis, qui certe Germanico ſolo non egreſſi ſunt. Neque verò in ullo bonæ fidei ſcriptore reperias mentionem ullius Vrbis tanto temporis ſpatio ſtructæ. in immenſo illo terrarum tractu, qui Danubio Rheno Bohemicâ & Thuringica ſylva uſque in Saxoniam aut Weſtphaliam definitur: ſi unum fortè exceperis Wurtzburgum, cujus in vita S. Kiliani fit mentio, ita tamen ut neſcias Vrbsne tum fuerit an opidum aliquod nullis cinctum mœnibus.

XXV. De Thuringia autem proditur apud Gregorium Turonenſem *lib. 3. Hiſt. Franc c. 4. & 7.* & Witkindum Corbejenſem *Hiſtor. Saxoniæ lib. 1.* Vrbem munitam Schidingam ad Unſtrutum ſitam à Saxonibus occupatam, quo tempore per Theodoricum Francorum Regem Thu-

 ringiæ

ringiæ Regnum eſt deſtructum, h. e. circa annum 524. Sed præter hanc unam (cujus nunc etiam veſtigia perierunt) urbs alia nulla memoratur.

XXVI. Nec in Friſia ullam Vrbem videntur inveniſſe Franci, quando Regnum ejus everſum eſt per Carolum Martellum, ſi unum excipias Trajectum ad Rhenum à Romanis extructum. Certè ejus ævi monumenta nullam memorant urbem à Francis occupatam. Venit autem eâ ætate Friſiæ nomine omnis maritima ora à Rheno ad Viſurgim, adeoque & Hollandiam & Zelandiam tunc comprehendit.

XXVII. Id certiſſimum videtur, ætate Caroli Magni in omni Saxoniâ, i. e. Weſtphaliâ, Angariâ, omnique illo tractu qui eſt inter Viſurgim Albim Melibocum montem & Salam amnem, imò nec trans Albim ad Eidoram uſque, ubi nunc floret Holſteniæ Ducatus, nullam omninò urbem inventam eſſe. Cum enim ab Aimoino inque Annalibus Francicis aut Fuldenſibus diligentiſſime narretur, quid quoquo anno in bello Saxonico geſtum, quibuſve modis libertatem ſuam Saxones defenderint, Vrbis tamen nullius vel levis fit mentio. At verò obſidere & occupare utique debuiſſet Vrbes Carolus, ſi quæ tum extitiſſent. Quid? quod ſoli Weſtphali legantur duobus ſeſe caſtellis tum defendiſſe, Eresburgo & Sigeburgo. Sanè ne arx quidem ulla à Carolo inter Viſurgim Salam & Albim aut trans Albim occcupata memoratur. Quo colligere eſt, nullam tunc extitiſſe.

XXIIX. Enimvero & Vrbibus nonnullis & caſtellis Saxonicis longè altior origo à quibuſdam adſcribitur. Sed proculdubio habenda potius fides iis, qui illis quæ narrant vel interfuere vel non procul abfuere: adeoque ad quos incorruptior fama potuit pervenire. Is verò eſt auctor

Anna-

Annalium quos laudavimus, & porrò antiquuus vitæ Carolinæ ſcriptor. Itaque nec Bardevvicum veroſimile eſt mœnibus tunc fuiſſe cinctum. Meminit enim ejus auctor Annalium *anno 795*: ſed minimè ut Vrbis munitæ. Poëta Anonymus diſerte *nobilem VICVM* indigitat. Siquidem conſtat ex iiſdem Annalibus, tunc primò Hamburgi jacta fundamenta; caſtello contra Sclavos extructo nomine *Hudbecke* aut *Hubocke*. Teſtantur enim *anno 870*, ab exercitu Francico ab Albim conſtructum: caſtellum item *anno 808*. caſtella duo ad Albim à Carolo condita adverſum Sclavos. *Anno* autem *810*, diſertè inquiunt: *Caſtellum nomine Hochbuchi Albi flumini contiguum, in quo Odo Legatus Imperatoris & Orientalium Saxonum erat præſidium, à VVilſis captum.* Hochbuchi eſſe Hamburgum, præter alios docet nos Albertus Stradenſis *ad annum 811*. *Caſtelli* tantùm quoque nomine venit Hamburgum auctori Annalium *anno 845* Mitto alios errores. Itidem autem vel ex eo liquet, nullam Vrbem inter Viſurgim & Albim Saxonibus tunc habitatam, quoniam Carolus Epiſcopos & Bremæ & Verdæ conſtituit; quam utramque Epiſcopalem Sedem mœnibus tum caruiſſe conſtat. Et tamen locis potiſſimis datos tunc Epiſcopos ex more & lege veteri Chriſtianorum, nullum dubium eſt.

XXIX. Cᴏᴇᴛᴇʀᴜm in exſtruendis Vrbibus Germanicas gentes ſuperaverunt Venedi, illi qui circa ſeculum Chriſtianum ſextum quicquid eſt inter Salam & Viſtulam fluvios, mare etiam Suevicum vel Balthicum, uſque in Holſtenios Saxones, eâ tempeſtate habitatoribus Germanis vacuum, occupavere. Hos enim jam ætate Caroli Magni & Vrbes & caſtella coluiſſe, ſuaque habuiſſe ad Balthicum mare emporia, haud difficile eſt probatu ex Francis Annalibus, omnium antiquiſſimo harum rerum

 monu-

momento. Memorant enim illi *anno* 789. *Dragavviti* Wilſorum trans Albim Vrbem: *anno* 808. Obotritorum etiam trans Albim quædam caſtella & Vrbem à Danis aut capta aut expugnata: *Rerich* item nobile emporium ad Oceanum vel potius mare Balthicum ab iisdem Danis deſtructum, *translatis inde negociatoribus*: *anno* 809. Smeldingorum quandam *Vrbem maximam* ab Obotritis captam. Hi verò populi Venedici omnes trans Albim vixerunt ad Varnum uſque, ad mare Balthicum etiam & Cimbricam Cherſoneſum. Si vera quoque ſunt quæ de *VVinetha* Vſedomi inſulæ Vrbe, circa annum Chriſti 830, vel ab Heldungo Sueciæ Rege everſa, vel marinis fluctibus hauſtâ, nonnullis (inter quos & Chytræus *Saxoniæ lib. 1.*) narrantur, habuit jam tum & Pomeraniæ littus *Vrbem frequentiâ commerciorum, magnificentiâ, opibus & potentiâ florentiſſimam.* Forte jam tum & *Julinum* famoſum emporium, & anno 1168 à Waldemaro I. Daniæ Rege dirutum floruit.

XXX. Sed de Vrbibus illis Venedicis, ab ea quidem uſque ætate, perobſcura memoria ſupereſt. Et verò quæ tunc maximo in pretio fuere, ſequenti tempeſtate unà cum ipſa gentis illius libertate dudum perierunt: quæ verò nunc potiſſimæ ſunt famæ in omni illo trans Albim tractu, illæ aliquot poſt ſeculis demum ſunt conditæ.

XXXI. Si verum itaque fatendum eſt, (exceptis pauculis illis Venedorum) trans Danubium quidem & Rhenum, ad uſque ſeculum Chriſti nonum, nulla Vrbs Germanis eſt habitata. Sed *Ciſrhenana* Germaniæ; ab eo uſque tempore quo Gallia omnis per Julium Cæſarem in provinciam eſt redacta, alia ſemper fuit conditio. Partim enim in ipſa Gallica Rheni ripa, partim alibi paſſim, extructa ſunt è Romanis caſtella plurima, conditæ quoque

que urbes, quæ paulatim in magnitudinem inſignem excreverunt. De Druſo Florus: *Druſus in tutelam provinciarum præſidia atque cuſtodias ubique diſpoſuit, per Moſam flumen, per Albim, per Viſurgim: nam per Rheni quidem ripam quinquaginta amplius caſtella direxit.*

XXXII. Germanicæ autem originis populi tunc fuerunt, non illi tantum qui ad ripam proximè, ſed & qui remotius ab illa, Belgicæ provinciæ partem coluerunt; quod præclare demonſtravit Philippus Cluverius. Non eſt verò inſtituti mei enumerare heic omnia ea caſtella, omneſque Vrbes in utrâque Germaniæ provincia, ſuperiore & inferiore, vel prima & ſecundâ, parteque Belgicæ, florentibus Romanorum rebus, ad uſque ſeculum Chriſtianum quintum extructa. Id operæ eſt pretium heic notaſſe; Metropolitanas Vrbes tum audiviſſe Belgicæ primæ quidem Auguſtam Trevirorum; Germaniæ primæ Moguntiacum; Germaniæ ſecundæ Coloniam Agrippinenſem: quæ hodieque ſedes præbent tribus primoribus Germanici Regni Archiepiſcopis. Præter autem haſce tres Metropoles, libellus *Provinciarum Civitatumque Galliæ* ceberrimas Vrbes haſce recitat: Germaniæ quidem primæ, *civitatem Argentoratenſium h. e. Strasburg*: *civitatem Nemetum, h. e. Spira*: *civitatem Vangionum h. e. VVormacia.* Germaniæ ſecundæ, *civitatem Tungr.* Utriuſque autem Germaniæ potiſſima procul dubio Agrippina fuit, quod *Romana Colonia eſſe meruiſſet*, ut loquitur Tacitus. Eòq; & Ammianus *lib. 15.* vocat eam *Vrbem magni nominis*, ac *l. 16. Vrbem munitiſſimam*, Zoſimus *lib. 1. Vrbem Rheno adjacentem maximam.*

XXXXIII. ITAQUE jam ea tempeſtate habuerunt Germani Ciſrhenani florentiſſimas Vrbes. Fuere autem jam tunc, cum alibi in Galliis, tum in Provincia etiam Maxi-

ma Sequanorum aliæ iis haud impares. Cis Danubium item celebri fama Vrbes floruerunt per Rhætiam, Vindelicam, Noricum, & Pannoniam. Quæ cum ſequentibus ſeculis in Alemannorum Bajoariorum aliorumque Germanicorum Populorum poteſtatem devenerint, & hodiè ſolis Germanis habitentur, Vrbium Germanicarum originem quærentibus nefas eſt latere. Eminuit autem tunc inter omnes cis Danubium in Vindelicis Auguſta Colonia; non minùs clarâ hodie famâ, mutatis licet cultoribus.

XXXIX. Verum hæ florentiſſimæ Vrbes & munitiſſima caſtella, à Germanicis Populis, qui Rheno & Danubio trangreſſo in Galliam omnem, Pannoniam, Vindeliciam & Noricum ſeſe effuderunt, aut vaſta ſunt aut penitus exciſa, aut certè peſſimis modis mulctata. De Galliæ excidio in medio eſt querela S. Hieronymi epiſt. II. *Moguntiacum nobilis quondam civitas capta atque ſubverſa eſt, & in Eccleſiâ multa hominum millia trucidata. Vangiones longâ obſidione deleti. Rhemorum Vrbs prapotens, Ambiani, Atrebates, Morini, Tornaſius, Nemetes, Argentoratus translatus in Germaniam,* Attingit autem ille tantùm eam cladem, quam circa annum quadringenteſimum à Vandalis & confœderatis Populis duce Caroco & Godegiſilo paſſæ ſunt Galliæ. Quam ludum jocumque dixeris præ illa, tempeſtate quam Attila cum omnibus ferè Scythicis Germanicíſque gentibus ſibi ſociatis Galliæ intulit. Et tamen de Caroco memoriæ proditum eſt ab Aimoino *lib. 3. cap. 1*: quærenti quomodo *magni* nomen conſequi poſſit, reſpondiſſe matrem: *maximis Vrbibus & munitionibus deſtructis & incolis interfectis, neque enim poſſe eum pulcriores firmioreſque Vrbes condere, eòque proximmum*

mum eſſe, earum everſione belli gloriam ad poſteros propagare. Quod ille conſilium haud ſegniter ſanè eſt exſequutus.

XXXV. Paſſæ autem hanc cladem ad Rhenum ſunt potiſſimùm Maxima illa Sequanorum Provincia, inque eâ nobiliſſimæ Vrbes Vindoniſſa & Auguſta Rauracorum, ut & Germania prima vel ſuperior, hujusque Vrbs Argentoratus. Multò minùs Germaniam ſecundam & Belgicam primam alteramque Franci videntur tractaſſe: neque enim mœniis leguntur Vrbes nudaſſe: etſi incolarum magna parte trucidata, etiam ipſi ſolitudinem prope iis induxerint. Et ſanè eâ de cauſa Belgicæ utriusque & Germaniæ primæ Vrbes poſt illam tempeſtatem primæ omnium videntur reſpiraſſe.

XXXVI. Quamvis verò de victis Alemannis, Burgundis, & Bajoariis, quicquid cis Rhenum & Danubium Germani occupaverant, in ditionem Francorum pervenerit, Merovingica tamen Regiâ Familiâ rerum potiente, paucæ Vrbium antiquarum valuerunt ex ruinis nonnihil reſurgere; tantùm abeſt, ut priſtinum ſplendorem recuperaverint, vel in majorem excreverint amplitudinem. Multo minùs novæ quædam Vrbes tunc ſunt conditæ. Nihil ſanè horum leges in ejus ævi monumenti. Benè Franciſcus Guillimannus *lib. de epiſcop. Argentinenſ. cap. 3*: *In agriculturam, relicto deinceps bellandi ex parte ſtudio, converſi Alemanni Francique VICOS incoluere; neque quas recuperaverant Vrbes vel munimenta inſtaurarunt, aut vero habitavere. Sive ne rurſus illis, ut ante ſæpius, ejicerentur à principio formidarint: aut vetere & ex Germania allata conſuetudine manendi in aperto* Vix ſemel legere eſt: *Chilpericum Regem miſiſſe ad Duces & Comites civitatum,* Galliæ ſc.) *ut muros componerent Vrbium, reſque ſuas cum uxoribus & liberis inter murorum munimenta concluderent, atque repugnarent*

gnarent viriliter, ſi neceſſitas exigeret. Frigidum certè mandatum caruit effectu; nec quis paulò nobilior temerè intra mœnia receſſit.

XXXVII. Scilicet nihil tum fuit quod incrementum daret Vrbibus: non immunitas incolarum; non commercii frequentia; non inhabitatio denique illuſtrium hominum, quorum vita profuſior attrahit opificum aliorumque miniſtrantium manum. Quæ omnia diu poſtea inſequutis demum temporibus evenerunt. Igitur aut ſine mœnibus inter rudera ſua manſerunt tunc illæ Ciſrhenanæ & Ciſdanubianæ Vrbes, aut verò ſi mœnia antiqua ſervarunt, incolis deſtitutæ magnas ſolitudines iis comprehenderunt.

XXXIIX. Paulò melior fortuna videtur Vrbes reſpexiſſe ſub Carolovingis. Omnes ſcilicet nobiliores Vrbes Epiſcopos tunc acceperunt, adeoque ædibus ſacris & monachorum clauſtris paſſim ornatæ ſunt. Mitigatus quoque imperii in cives priſtinus rigor videtur, & pacatis magis Germaniæ rebus, ſine dubio commerciis quoque locus major eſt apertus. Sed tamen & hanc fortunam unà cum Imperio Francorum, cis Danubium quidem Vngarorum, cis Rhenum verò Normannorum in mediam Germaniam fœdæ & crudeliſſimæ incurſiones turbaverunt. Quam rem acerbiſſimis querelis ejus ævi ſcriptores perſequuntur: ex quibus conſtat, pleraſque tunc Vrbes iterum ferro & igne omne decus perdidiſſe.

XXXIX. Sed Saxonicorum Cæſarum florente imperio, uti toti Germaniæ ita & Vrbibus nova lux affulſit. Eum verò ſtatum antequam exponamus, fortè operæ fuerit pretium paucis exponere, quæ reipublicæ facies fuerit priſcæ Germaniæ: quæ conditio Vrbium Provinciarumque, & antiquo Romanorum & ſubſequenti Francorum Imperiis floren-

florentibus. Hiſce enim expoſitis, & Vrbium & Vicorum Germaniæ vetus quidem fortuna clariſſimè eluceſcet, & quæ pòſt invaluere longe rectiùs poterunt doceri.

XL. De Republica autem acturis ante omnia latere nequaquam oportet, aliud eſſe noſſe integram aliquam Vrbem, aliud cognoſcere rempublicam alicujus Vrbis. Quæ enim diſtinctio eſt inter cognitionem totius & notitiam partis principalis, ea quoque differentia eſt inter notitiam integræ alicujus Vrbis & cognitionem urbicæ reipublicæ. Nam omnis Civitas ſignificat perfectam hominum ſocietatem beatè vivendi gratiâ inſtitutam; reſpublica autem ac πολιτεία eſt quaſi anima ac ratio & forma illius ſocietatis, & quidem potiſſimùm circa partem imperantem alioſque magiſtratus ac judicia.

XLI. Sanè qui integram aliquam Civitatem novit, idem non poteſt ignorare & ſtatum ſeu formam illius ſocietatis, hoc eſt, rempublicam; at verò qui rempublicam tantùm novit, non novit omnia quæ ad Civitatem iſtam pertinent. Quamplurima nempe ad eam requiruntur, quæ nequaquam reipublicæ nomine veniunt. Primùm enim omnis civitas conſtat multitudine hominum, conſtat etiam loco quodam, poſtulat deinde alimenta, poſtulat prætereа & munimenta, aliaque quamplurima, utpote cum non unius tantùm commodi gratia ſit inſtituta, ſed omnem prorſus reſpiciat vitam. Vnde qui propoſitum ſibi habet integræ alicujus civitatis naturam pernoſcere, illi profectò ad omnia iſthæc & ſimilia eſt attendendum. At cum πολιτεία ſeu reſpublica denotet ſolùm conſtitutionem civilis alicujus ſocietatis circa regimen ejus ac magiſtratus & judicia, manifeſtum eſt, qui horum ſibi notitiam comparavit in aliqua civitate, illum ea quæ ad rempu-

blicam iſtius Civitatis attinent omnia, penitus habere exploratа.

XLII. IN GERMANIAE igitur antiquam rempublicam inquirentibus, principiò notandum: majores noſtros, propter ingenitam animorum ferocitatem non tantùm nullam communem habuiſſe rempublicam, ſed ne junctas quidem ſedes inter ſeſe paſſos eſſe. Quod cùm ex aliis, tùm verò omnium optimè ex C. I. Cæſare licet cognoſcere. Ita enim ait ille VI. comment. libro: *Civitatibus maxima laus eſt, quam latiſsimè circum ſe vaſtatis finibus ſolitudines habere. Hoc proprium virtutis exiſtimant, expulſos agris finitimos cedere, neque quenquam propè ſe audere conſiſtere. Simul hoc ſe fore tutiores arbitrantur, repentinæ incurſionis timore ſublato.* Quapropter in Romanorum monumentis videmus, eos non cum vicinis tantùm gentibus, verùm etiam inter ſeſe perpetua ferè bella geſſiſſe. Et certè florentibus Romani Imperii rebus, nullus fuit populus magis ad bella natus, nullus Romanis plus negotii faceſſivit quàm Germanorum. Et Tacitus quidem *libro de moribus Germ. cap.* 37 Martium illum animum his verbis prodit: *Sexcenteſimum & quadrageſimum annum Vrbs noſtra agebat, cum primùm Cimbrorum audita ſunt arma, Cæcilio Metello ac Papirio Carbone Coſſ. Ex quo ſi ad alterum Imperatoris Trajani conſulatum computemus, ducenti fermè & decem anni colliguntur. Tam diu Germania vincitur. Medio tàm longi ævi ſpatio multa invicem damna. Non Samnes, non Pœni, non Hiſpaniæ Galliæve, ne Parthi quidem ſæpius admovere. Quippe Regno Arſacis acrior eſt Germanorum libertas, &c.* Hæc ille: majora profectò dicturus, ſi Imperii Romani vires armis Germanicis fractas conſpexiſſet.

XLIII. VERUM enimvero tametſi non in unam rempublicam

publicam tot populi potuerint conſpirare, unius licet originis atque ejuſdem linguæ eſſent, ſingulis tamen non fuiſſe nullam reipublicæ formam, vero valdè eſt ſimile, imò ex antiquis quoque monumentis licet perſpicere. Sicuti enim in univerſum nulla ſocietas ſine legibus ſtare poteſt, ita quoque populos iſtos feroces, ut non absque ſocietate, ſic nec absq; legibus & ſaltē imagine quadam reipublicæ vivere potuiſſe, certiſſimum eſt; licet optimam quidem reipublicæ formam non habuerint, utpote qui rudes eſſent & veræ virtutis ignari.

XLIV. Quænam verò ea fuerit, & oſtendunt nobis clariſſime Romanorum ſcripta, & verò iis etiam tacentibus ingenium & mores ipſorum eandem abundè produnt. In tanta enim animorum ferocia & fortitudiue, quis dubitaverit ingens quoque fuiſſe libertatis ſtudium? Eſt quippe libertas finis quaſi fortitudinis, omnisque militaris rei & gloriæ mater vel nutrix. Et verò hanc ubique etiam à Romanis hoſtibus noſtris deprædicatam legimus; atque eo quidem magis, quo ægriore animo ereptam ſibi eandem per Cæſares dolebant. Sufficiat unius è multis Lucani teſtimonium adduxiſſe, qui *libro VII* ſic canit:

Libertas ultra Tanaim Rhenumque receſſit,
Et toties nobis jugulo quæſita negatur,
Germanum Scyticumque bonum

At verò ubi libertatis cura maxima, ibi indubie non potuit non ſuapte ſponte prodire aliquid illius reipublicæ, quam popularem vel Democraticam vulgo appellitamus. Hæc enim ſeſe præ omnibus effert civium ſuorum libertate: adeò ut Libertatis vocabulum Regio & Oligarchico dominatui ab optimis ſcriptoribus plerumque ſoleat opponi, & multi juxta Philoſophum *6. Polit. cap. 2,* in ſo-

la hac reipublicæ forma libertatem ſe conſequi poſſe, arbitrentur.

XLV. Quamvis autem hæc ita ſeſe habuerint, veriſimile tamen per ſe ſtatim fit, etiam ſilentibus imò amiſſis Romanorum monumentis: non potuiſſe meram aliquam Democratiam tunc temporis ullo in populo Germanico obtinere. Vbicunque enim populus rudis eſt, avidus tamen bellandi, ſponte ſuâ ſtatim abitur à pura Democratiæ forma, & nonnihil Ariſtocratici ſtatus ſuboritur: poteſtatem quamlibet majorem ipſamet neceſſitate ſolis nobilioribus adeoq; prudentioribus imponente. Itaque non potuit non commune olim fuiſſe omnibus Germaniæ civitatibus, reipublicæ formam non ſimplicem habere, ſed ex Populari & Optimatum ſtatu temperatam.

XLVI. In quibusdam verò etiam neceſſariò aliquid Regium, Laconicum tamen aut Æſymneticum, non potuit non commiſceri. Neque enim bella adminiſtrari rectè niſi uno imperante poſſunt. Qui perpetuus ſit neceſſe eſt, ſiquidem non multi fuerint paris prudentiæ, bellum tamen perpetuò trahendum ſit.

XLVII. Ad hunc verò modum Germanicos populos rempublicam ſuam olim inſtituiſſe, multis teſtimoniis veterum ſcriptorum aliàs oſtenditur. In ipſis autem Germanicis vicis ex parte penes nobiles, ex parte penes plebem ingenuam arbitrium fuiſſe reipublicæ, vel unus Tacitus nos docuerit. Diſertè enim teſtatur, fuiſſe Germanis *Principes qui jura per Pagos Vicosque reddiderunt.* Hos autem fuiſſe nobili ſtirpe natos, idem prodit: *inſignis*, inquiens, *nobilitas aut magna patrum merita Principis dignationem etiam adoleſcentulis aſſignant.* Juris itaque dicundi poteſtas in ſingulis Germaniæ Vicis penes unum aliquem fuit nobilem. Verùm ille ſolus quidem jus illud haud tenuit, ſed

ex ipſa

ex ipſa plebe delecti nonnulli, omni judicio aſſeſſores ſunt dati. Disertè iterum Tacitus: *centeni ſingulis ex plebe comites, conſilium ſimul & auctoritas adſunt.* Ingenuos autem hosce *comites* ſeu aſſeſſores fuiſſe, non ſervili aut libertino genere natos; itidem nos docet Tacitus: *Liberti* (inquit) *non multùm ſupra ſervos ſunt: rarò aliquod momentum in domo, nunquam in civitate, exceptis duntaxat iis gentibus, quæ regnantur. Ibi enim & ſuper ingenuos & ſuper nobiles aſcendunt. Apud cæteros, impares libertini libertatis argumentum ſunt.*

XLIIX. Illis verò *principibus* nullum fuit jus, aut tributum aliquod ſuis indicendi aut leges ſtatuendi: nullum item belli ac pacis arbitrium, niſi plebis conſenſu impetrato. Principum porrò illorum ſucceſſio neque planè hæreditaria fuit, neque planè electitia, ætate quidem Taciti, ſed ea quæ hodiè in Dania & Polonia eſt Regum. Conſtituti ſcilicet ſunt in majoribus totius populi comitiis. Clare Tacitus: *eliguntur in iisdem conciliis & Principes.* Adeoque eligendi jus non fuit penes unius alicujus pagi incolas, ſed apud Optimatum & Delectorum ex omni plebe concilium.

XLIX. Verum hæc alibi rectiùs docentur: id hoc loco adjiciendum ſolummodo eſt: *Principes* illos, quos appellat Tacitus, ab antiquiſſimis uſque temporibus Germanice Graben dictos, utpote cum hæc vox judicem ſignificet. Aſſeſſorum quoque illorum jam antiquitus receptum nomen Germanis eſt Schepen/ Schöppen/ Schöpffen. Quo liquet: antiquiſſimis illis temporibus jurisdictionem in pagis & vicis fuiſſe penes *Graviones & Scabines* aut delectos ex ingenuis: nuſquam autem omnem eam commiſſam vel ſoli plebi, vel uni alicui quamvis præcipuæ nobilitatis.

L. Quæ juriſdictionis autem, eadem & meri mixtique imperii fuit ratio. Neque enim legas, vel delectos illos Scabinos ſine Gravione, vel ſine Scabinis Gravionem, in quenquam animadvertiſſe. Ita nec de ſumma reipublicæ quidquam conſtituere, vel plebi licuit ſoli, vel ſoli Gravioni: ſed ad concilium, ſi quid majoris rei eſſet conſtituendum, etiam ex plebe delegati una cum Principibus convenerunt: quod expreſſis verbis docet Tacitus. Absq; dubio tamen, in omnibus hiſce maxima vis & auctoritas Principum fuit. His enim inter ſeſe de minoribus rebus conſulere & ſtatuere fas, etiam inconſultâ plebe; de majoribus negotiis προβουλία fuit; cujus quæ vis ſit, notum prudentioribus. In jure dicundo etiam Scabini ſuis Gravionibus *conſilium* ſolummodo & *auctoritatem* addiderunt: potiſſima autem poteſtas uſq; adeò fuit Gravionum illorum, ut nullâ plebis facta mentione ſimpliciter dicat I. Cæſar comment. VI: *In pace nullus eſt communis magiſtratus: ſed principes regionum atque pagorum inter ſuos jus dicunt, controverſiasque minuunt.*

LI. HAEC antiquiſſima reipublicæ in Germaniâ forma ut omnibus ejus populis placuit, ita & in hac Saxonia obtinuit ad uſque ætatem Caroli Magni. Omnes enim pagi ſeu Govæ (ut ſemigermanicâ utar voce) habuerunt ſuos Comites, (quomodo Graviones cœperunt dici) qui jura dicerent cum delectis è populo aut Scabinis. Ita & in vicis omnibus, quorum pars Vrbium dignitatem pôſt accepit, juriſdictio Comitum fuit, ſimulque merum ac mixtum imperium; ut tamen & in his locum aliquem ſuum plebs per delectos ſervaret. Cum autem tres in populos, adeoque totidem civitates, Saxonia divideretur, ne ſingulis quidem pacis tempore unus aliquis communis magiſtratus fuit; ſed imminente bello, Comitum aliquis prout

virtute

virtute fuit major, in ſua gente Dux creatus eſt, *certis terminis exercitus congregandi poteſtate contentus*: quæ verba ſunt Widekindi Saxonicorum ſcriptorum antiquiſſimi. Nec vero trium populorum communis aliquis Dux electus, *niſi univerſali bello ingruente*. *Quo peracto*, (iterum verba ſunt Widekindi) *æquo jure ac lege, propriâ contentus poteſtate unusquisque vivebat*. Verùm hæc teſtimoniis oſtendere alterius eſt inſtituti.

LII. Igitur nulli tum vici, nulli pagi non ſub Gravionibus fuerunt, illuſtri & antiquiſſima ortis proſapia. Nec tamen illis libera fuit aut infinita in plebem ingenuam poteſtas, ſed in ipſius jurisdictionis partem ipſa etiam hæc venit. Tantùm abeſt, ut legum aut pacis belliq; arbitrium, ad ſolos Graviones pertinuerit. Hæc autem omnia uti in proclivi eſt demonſtrare, ita fabuloſa liquet eſſe quæ à nonnullis memorantur de ejus tempeſtatis republica. Quaſi nempe Saxonia metropoles aliquot habuerit, atq; eas liberrimæ poteſtatis, nullique nobilium imperio ſubditas. Aut, quod alii narrant, omnem jurisdictionem cum mero ac mixto imperio, item arbitrium belli & pacis, tantùm in Comitum vel unius Regis infinita poteſtate fuiſſe collocatum, plebi tantum obſequii gloriâ relictâ.

LIII. Sed ab antiqua illa liberæ Germaniæ republica ad eos pergendum eſt, qui in Romanorum Imperium conceſſerunt. Ciſrhenanis igitur Germanicis populis, poſtquam in Romanorum ditionem pervenerunt, haud eſt dubium parum vel nihil priſtinæ libertatis reliquum manſiſſe. Dura quippe provinciarum ſub Romanis fuit conditio. Accipiebant enim ab iis magiſtratus ſuos & judices annuos, cum imperio & ſecuribus: qui juxta mores & præſcripta Romanorum eos vivere cogerent, propriis ipſorum legibus & inſtitutis abrogatis: imò quo magis ſervitutem agno-

ſcas,

agnoſcas, lingua non ſua ſed Romana uti oportuit. Civilis Batavus apud Tacitum *l* 4. *Hiſtoriar.* Treveris genti originæ Germanicæ, ſervitutem illam exprobans, ſic infit: *Vos autem Treveri, cateraque ſervientium anima, quod pretium effuſi toties ſanguinis exſpectatis, niſi ingratam militiam, immortalia tributa, & dominorum ingenia?* Scilicet tria potiſſimũ fuerunt Romanæ ſervitutis tunc incommoda. Primum, quod cogerentur habito delectu eoq; ſæpè iniquiſſimo, Romanis etiam inviti militare. Alterum, quod immanibus tributis per publicanos, i. e. harpyias & hirudines, attererentur. Tertium, quod herilem magiſtratum quotannis Româ acciperent; qui cum faſcibus ac ſecuri, abolitis patriis legibus, jus diceret. Nec verò dubium eſt, hanc fuiſſe conditionem penè totius Romanorum Germaniæ. Attamen Batavis in Rheni inſula ad ſuam uſque ætatem *manſiſſe honorem & antiqua ſocietatis inſigne*, prodit Tacitus: *viros* tamen etiam Batavi *& arma Imperio miniſtrarunt*, avariſſimè interdum delectum exercentibus Romanis: quâ de re extat Civilis querela apud Tacitum *l. 4 Hiſtor.*

LIV. Vrbium quoque, ſi non omnium, multarum tamen, & cis Rhenum & cis Danubium, haud paulò melior fuit felicitas. Namq; nonnullæ coloniarum, aliæ municipiorum jura acceperunt. Onuphrius Panvinius *l 3. comment.* ſeptem numerat colonias Galliæ Belgicæ: *Agrippinam Vbiorum, Auguſtam Rauracorum, quæ hodie ſit Baſilea, Auguſtam Trevirorum, Auguſtam Vlpiam Trajanam, Coloniam equeſtrem, Coloniam Juhonum, Lutarburgium Tarbelliorum.* Quæ omnes in Germaniâ Ciſrhenanâ fuerunt, ſi unam excipias & alteram. Quanquam fortè nec Juhonum aliqua colonia fuerit, populi ſcilicet non cis ſed Transrhenani, quod rectè oſtendit Cluverius *lib. 3. Germ antiq. c. 8.* Jam verò harum coloniarum Agrippinenſem fuiſſe juris Italici,

ſcribit

ſcribit Paulus *lib. in Luſit.* §. *2. ff. de cenſib.* Idem porrò Onuphrius Colonias Rhetiæ quinque recenſet: *Auguſtam Quintanorum*, *Auguſtam Tiberii*, *hodie Reginoburg*, *Auguſtam Rhatorum*, *Coloniam Conſtantiam*, *Curiam*: Vindelicorum unam *Auguſtam Vindelicorum.* Taceo nunc Norici colonias: quam terram omnem hodiè incolunt Germani. Alias porrò nonnullas Vrbes fuiſſe Municipia, vel unum hoc teſtimonium Ammiani Marcellini oſtendit *lib. 15. Prima,* ait *Germania: ubi præter alia municipia Moguntiacus eſt, & Vangiones, & Nemetes, & Argentoratos, barbaricis cladibus nota*

LV. Conſtat verò, Colonias quidem reipublicæ ſuâ adminiſtratione effigem quandam Romanæ retuliſſe. *Nam ut Roma erat Populus & Senatus*, (verba ſunt Onuphrii) *ſic hi novos colonos in Decuriones & Plebem dividebant. Decuriones Senatus Plebs, Populi Romani imaginem referebat. Ex Decurionibus ſingulis annis duo vel quatuor viri creabantur juxta Coloniæ magnitudinem vel parvitatem, qui Duumviri vel Quadrumviri juri dicundo vocabantur. Hi Conſulum Romanorum ſpeciem repræſentabant. Creabatur inſuper Ædiles qui viarum & ædificiorum publicorum, item Quæſtor, qui ærarii publici curam habebat. Atque hi erant præcipui Coloniæ magiſtratus. In cæteris omnibus more legibus & inſtitutis Romanis vivebant.* Jus porrò Italicum quo Agrippina olim floruit, ſi communi credimus interpretationi, immunitatem tributorum dedit, ſi Cujacio *lib. 3. obſerv. cap. 35*, *levationem cenſitionis*: fecit autem porrò, *ut in reliquis eodem jure ſit ejus Coloniæ reſpublica, quo ipſa Italia, puta in traditionibus nexi, in uſucapionibus, in annali exceptione, & in jure capiendi.*

LVI. Municipiorum rationem Gellius nos docet *lib. 16. cap. 3. Municipes,* inquit, *ſunt cives Romani ex municipiis*

ſuo jure: & legibus ſuis utentes, muneris tantùm cum Populo Romano honorarii participes: à quo munere capeſſendo appellati videntur, nullis aliis neceſſitatibus, neque ullâ Populi Romani lege adſtricti. Itaque veroſimile fit, ſicut Colonias Romanorum, ita Municipia illa Germanica Germanorum mores ritus & leges maximè obſervaſſe.

LVII. Caeterum & alia dura multa paſſæ ſunt omnes illæ Vrbes: & illud præcipuè non potuit non eſſe acerbum, quod perpetuo præſidio militari tenerentur. Scilicet & Germaniæ primæ & Germaniæ ſecundæ & Belgicæ primæ Metropoles ſedem ac domicilium præbuerunt *Ducibus*; reliqua omnia *Præfectis militum*, cum validâ & numeroſâ militum manu. Quæ res quomodo circa Arcadii & Honorii tempora ſeſe habuerit, exponit optimè liber vetus, cui titulus *Notitia utriuſque Imperii*, quem inſigni commentario illuſtravit Guido Pancirollus. Quorum ſcrinia nolumus compilare. Adeò impotens verò tandem fuit Romanorum dominatus, ut omnis libertas ſublata, omnia jura tandem confuſa ſint.

LIIX. Quò factum, ut provinciæ pertæſæ laborum & herilis dominatus Romanorum, externa novaq; imperia circumſpicere cœperint: præ aliis verò Francos dominos deſideraverint. Teſtatur id Gregorius Turonenſis *lib.* 2. *cap.* 23: *Terror Francorum reſonavit in his partibus, & omnes eos amore deſiderabili cupiverunt regnare.* Item *cap.* 36. *Multi tunc ex Galliis Francos dominos ſummo deſiderio cupiebant.* Nec vero Romanorū corruptiſſimos mores & ferè latrocinia quis ſatis mirabitur, tantùm ſi Salviani Maſſilienſis libros *de Divina gubernatione* eâ tempeſtate ſcriptos inſpexerit. Et verò Franci, quorū teſte in *vita Caroli Magni* Eginharto, *ſemper Romanis & Græcis fuerat ſuſpecta potentia*, tandem etiam

etiam omni Romanos ditione exuerunt, magnamque Imperii illorum partem ſibi ſubjecere.

LIX. VERUM TAMEN nec Franci ſubactos à ſeſe populos multùm leviore freno quàm Romani continuerunt. Non enim verum eſt, quod *lib. de Origine Saxonum* ſcribit Reineccius: *Francos in Germanici nominis provinciis ſubactis imperio contentos, nulla alia re indigenis graves fuiſſe.* Eſt enim in promptu oſtendere, Francos more Romanorum provinciis ſuis per Germaniam Galliam Italiam, & gravia tributa impoſuiſſe, & magiſtratus dediſſe, qui ex ipſorum nutu penderent, alios ordinarios, alios extra ordinem delegatos, jus quoque militem legendi ex omni ingenuorum numero ſibi ſumpſiſſe. Quorum omnium poteſtas cum Regibus eſſet commiſſa, procedente tempore *regalium* vel *regaliarum* nova vox, aut nova certe vocis acceptio, hinc invaluit.

LX. Non eſt noſtri inſtituti argumentum hoc pleniùs exponere: ſuffecerit nunc, adducere in medium Italicæ gentis propriam de jure illo Regio confeſſionem à Friderico I Cæſare iis expreſſam. Radevicus ejus ætatis ſcriptor *lib.* 2. *cap.* 5 rem illam ita narrat: *Requiſitique de hoc jure quid eſſet, adjudicaverunt Ducatus, Marchias, Comitatus, conſulatus, monetas, telonia, fodrum, vectigalia, portus, pedatica, molendina, piſcarias, omnemque utilitatem ex decurſu fluminum provenientem: nec de terra tantùm, verùm etiam de ſuis propriis capitibus cenſus annui redditionem, Hiſque omnibus in fiſcum adnumeratis &c.* Guntherus *lib.* 6. de eodem negotio in hunc modum canit:

Ac primum Ligures ſuper hoc à Rege rogati:
Vectigal prorſus, cudenda jura monetæ,
Cumque molendinis telonia, flumina, pontes,
Ad quoque quod fodrum vulgari nomine dicunt,

Et capitoliciumcerto ſub tempore cenſum:
Hac Ligures ſacro tribuerunt omnia fiſco.

Jus Feudale Langobardicum. *l.* 2 *t.* 56 hæc loquitur: *Regalia. Armandia, via publica, flumina navigabilia, & ex quibus fiunt navigabilia, portus, ripatica, vectigalia, quæ vulgò dicuntur telonia, moneta, mulctarum pœnarumque compendia, bona vacantia: & quæ ut ab indignis legibus auferuntur, niſi quæ ſpecialiter quibusdam conceduntur: & bona contrahentium inceſtas nuptias, condemnatorum & proſcriptorum, ſecundum quod in novis conſtitutionibus cavetur: angariarum, parangariarum, & plauſtrorum & navium præſtationes, & extraordinaria collatio ad feliciſſimam regalis numinis expeditionem: poteſtas conſtituendorum magiſtratuum ad juſtitiam expediendam: argentaria & palatia in civitatibus conſuetis: piſcationum reditus & ſalinarum, & bona committentium crimen majeſtatis, & dimidium theſauri in loco Cæſaris inventi, non datâ operâ vel loco religioſo: ſi datâ operâ, totum ad eum pertineat:*

LXI. NON tantùm autem hæc in Italis poſt devictos Langobardos, ſed & per Galliam & Germaniam in ſubditis provinciis obtinuerunt. Sanè hoc durum jugum & Alemannos cum Bajoariis, & Friſios omnes â Rheno ad Viſurgim uſque, & Thuringos, Ciſrhenanos etiam Germanos omnes, florente Francorum Imperio paſſos, aliâs oſtenditur. Scilicet ſumebant ſibi Franci in populos devictos jura victorum ex more Romano. Itaque aut tributarios tantùm eos reddiderunt, aut ſi planè ſibi ſubjeciſſent, magiſtratus & jura etiam dedere. Et verò illud belli in victos jus, unicum fundamentum eſt Regaliarum quas appellant: ut nihil iniquius ſit iis, qui ſine diſcrimine in omni quamvis libero Principatu aut Regno eas Regibus vel Principibus conantur vindicare.

LXII

LXII. Enim verò ipſi Franci, ſive Orientales ſive Occidentales ab his oneribus immunes, non eam Regibus ſuis ſervitutem debuerunt. Neque enim tributum aut cenſum penderunt, ſed ſola annua dona Regibus contulerunt, præter mulctæ partem. Servatâ ſcilicet priſtinâ conſuetudine, omnibus olim Germaniæ liberis populis uſurpatâ. De quâ Tacitus: *Mos eſt civitatibus, ultrò ac viritim conferre Principibus vel armentorum vel frugum, quod pro honore acceptum etiam neceſſitatibus ſubvenit.* Item: *Pars mulcta Regi vel Civitati, pars ipſi qui vindicatur vel propinquis ejus exſolvitur.*

LXIII. De Saxonum ſub Francis conditione, res videtur explicatu impeditior. Adamus Bremenſis *cap. 9. Thuringi & Saxones, itemque cætera quæ juxta Rhenam ſunt nationes, ex antiquo Francis tributaria leguntur. Quibus deinde à Regno eorum deficientibus, Papinus genitor Caroli bellum intulit.* Crantzius *l. 1. Saxon c. 31.* Clotharium Regem Francorum tributum annuum Saxonibus impoſuiſſe ſcribit quingentorum boum, circa annum 572. Annales Francici *ad annum 758. Pipinus coëgit Saxones, ut promitterent ſe omnem voluntatem ejus facturos, ſingulis annis honoris cauſa ad generalem conventum equos trecentos pro munere daturos.* Sequutum deinde bellum illud atrox cum Carolo Magno: ac tandem pax compoſita eſt. Leges pacis ita memorat Eginhartus: *Ea conditione à Rege propoſita & ab illis ſubſcripta, tractum per tot annos bellum conſtat eſſe finitum, ut abjecto dæmonum cultu, & rejectis patriis ceremoniis, Chriſtianæ fidei atque religionis ſacramenta perciperent, & Francis adunati VNVS cum eis populus efficerentur.* Quibus verbis videtur indicari, Saxones in pari cum Francis libertate relictos. Poëtaſter, antiquus vitæ Ca-

tolinæ ſcriptor, paulò pleniùs rem exponit. Inter alia ita canit.

At vero cenſum *Francorum Regibus ullum*
Solvere, nec penitus deberent atque tributum
Cunctorum pariter ſtatuit ſententia concors:
Sed tantùm decimas *divina lege ſtatutas*
Offerrent ac Præſulibus parere ſtuderent,
Ipſorumque ſimul clero, qui dogmata ſacra
Quique fidem Domino placitam vitamque docerent.
Tum ſub Judicibus *quos Rex imponeret ipſis,*
Legatiſque *ſuis, permiſſis legibus uti*
Saxones patriis & libertatis honore.
Hoc ſunt poſtremò ſociati fœdere Francis,
Ut gens & populus fieret concorditer unus,
Ac ſemper Regi parens æqualiter *uni.*

Faciunt huc verba nonnulla, in tabulis, quibus Epiſcopatum Bremenſem inſtituit Carolus Magnus. Servavit nobis eas Adamus Bremenſis, & qui exſcribere illum ſolet Albertus Sradenſis, & poſt utrumque Crantzius. Diſertè autem ait Carolus: *Saxones priſtinæ libertati donatos & omni nobis debito cenſu ſolutos: pro amore illius qui nobis victoriam contulit, ipſi tributarios addiximus. Videlicet ut qui noſtræ poteſtatis jugum hactenus ferre detrectaverunt, victi jam Salvatori noſtro Jeſu Chriſto & ſacerdotibus ejus, omnium ſuorum jumentorum & fructuum totiusque culturæ decimas & nutrituræ, divites ac pauperes, legaliter conſtricti perſolvant.* Pertinet huc & illud antiqui ſcriptoris *de vitis Romanorum Pontificum*, qui vulgò Luitprandus creditur, in vita Hadriani ſecundi: *Carolus omnes decimas*, ait, *in Saxonia conſtituerat ad regale ſervitium, & eas Rex dare potuit cui voluit.*

LXIV. Ex his verò conſtat, tametſi Saxones initio pende-

[illegible] tributum Francis, more aliarum gentium victarum, illo tamen onere à Carolo liberatos, priſtinæque libertati hactenus fuiſſe reſtitutos, niſi quod decimas ſolvere tenerentur cultui divino. Conſtat porrò, magiſtratuũ collationẽ Regem ſibi ſumpſiſſe. Quod ſcilicet antea penes totius populi concilium aut plerumq; hereditarium fuit, id poſterum Regio arbitratui eſt commiſſum. Fuit autẽ tunc duplex magiſtratus, alius nempe Eccleſiaſticus in Epiſcopis circa ſacra & cultum religioſum occupatus; alius civilis, uti vocant, iſque viciſſim vel ſtatus vel extra ordinem miſſus. Et ſtatus quidem *Judicum*, alter *Legatorum*. Quorum nominum illo quidem *Gravionės*, qui tunc Latinum nomen ex more Romanæ reipublicæ acceperant *Comitum*, hoc verò ſignificari eos qui aliàs Francis *Miſſi* audiunt, benè notat doctiſſimus Reineccius. Quæ juriſdictionis ratio in ipſo Francorum libero populo fuit. Vt proinde rectè queat dici concesſiſſe Saxones in eandem cum Francis civitatem, æquali libertate gaudentes; eòque illorum conditionem longe meliorem manſiſſe quàm reliquarum provinciarum.

LXV. Si hic autem fuit ſtatus Saxoniæ ſub Carolo, non poteſt non falſum eſſe quod legitur in Vita Ludovici Pii à P. Pithœo edita, utut eadem verba recitet Aimoinus *lib. 5 cap. 10. Quo etiam tempore Saxonibus atque Friſonibus jus paternæ hereditatis, quod ſub patre* (Carolo M.) *ob perfidiam legaliter perdiderant, Imperatoriâ clementiâ reſtituit. Quod alii liberalitati, alii imprudentiæ aſſignabant; eo quod hæ gentes naturali libertati aſſuefactæ talibus habenis deberent coerceri, ne ſcilicet effrenes in perduellionis procacitatem ferrentur. Imperator verò* (Ludovicus) *eò ſibi arctius eos vinciri ratus, quo eis beneficia potiora largirentur, non eſt ſpe ſua deceptus. Nam poſt hæc eaſdem gentes ſemper*

ſemper ſibi devotiſſimas habuit. At jure paternæ hæreditatis ſoli ſervi carent: Saxones autem (ſaltim non omnes) nunquam ſunt in ſervitutem redacti. Sed & Friſiis eſſe libertatem relictam, conſtat ex ordinibus Adelingorum ingenuorum litorum & ſervorum, qui eorum legibus antiquis diſertè memorantur. Vt taceam, omnes Friſios ne quidem armis unquam victos à Francis, ſed eos qui trans Flevum ſunt ſponte ſuâ poſt devictum Radbodum in Francorum ditionem conceſſiſſe; quod legitur in *vita S. Ludgeri*: certe Carolo vivo perfidiæ nunquam ſunt notati. Quare ſi antiquæ famæ credendum, ſaltim rerum cum fide & virtute geſtarum præmium avitam ex parte libertatem recuperarunt An Saxoniæ Friſiæq; Gravionibus conceſſa tunc iterum à Ludovico hæreditaria quaſi ſucceſſio, imperito ſcriptori minùs rectè intellecta fuit? Quicquid ſit, ne illud quidem quod Widekindus ſcribit *lib.* 1: S. Viti patrocinio per Henricum & Ottonem Magnum, *Saxoniam ex ſerva factam liberam, & ex tributaria multarum gentium dominam*, ita accipiendum eſt, quaſi Francis illa hactenus ſerviiſſet & fuiſſe tributaria. Ad Vngarorum enim & Normannorum dominatum illa ſunt trahenda: à quo liberata eſt per Henricũ & Ottonem Saxonia, quam & aliis abundè opibus illi fecerunt affluere.

LXVI. Pari autem modo liquet, alieniſſimum eſſe à vero id quod alii narrant: in plebis Saxonicæ tunc poteſtate fuiſſe ſitum, *ex Adelingis*, aut præcipua nobilitate magiſtratum ſibi creare ſiquem vellet, eamque libertatem etiam à Carolo relictam. Non enim legas, penes plebem, ipſis liberrimis Germaniæ rebus, hanc fuiſſe poteſtatem: iamq; audivimus, magiſtratuũ illorum inferiorũm aut *Judicum* creationē ſui juris feciſſe Carolum. Ne nunc adducam, plebejæ illius ele-

ctionis

ctionis in omnibus priſcis monumentis nec volam repe-riri nec veſtigium.

LXVII. Enimverò non minus id dictu abſonum eſt, atque illud quod de Hollandiæ Comitibus nonnulli viri inſignes memorant, eos ab Ordinibus illius provinciæ primùm libera propriâque auctoritate creatos. Atqui conſtat Hollandiam & Selandiam exiguas tunc habitas Friſiæ portiones. Diſertè Regino, Gotfridum Danorum Regem teſtatur, *anno* 881 cum innumerabili multitudine equitum peditumque inſidere cœpiſſe locum propè Moſam Haslou tunc dictum. Illi autem à Cæſare Carolo Craſſo Ducatum Friſiæ conceſſum feudi jure poſſidendum ſtatim ſequente anno. Mox idem Scriptor *anno* 888 ita loquitur: *Normanni qui in Chinheim & Denemercam venerant adſentiente Gothofredo, Rhenum navigio aſcendunt.* Eſt autem Chienheim pars Hollandici Comitatus, *Denemarca* autē nomine nihil fortaſſe intelligi poteſt præter Hollandiam atq; Selandiam, à Danis ſcilcet, novis incolis, nominibus tunc Danicis appellatas. Igitur tunc quidem certè Hollandia Selandiaque Ducem Gothofredum accepit à Francorum rege. Ejuſdem auctoritate Gothofredo ſucceſſit fortè Eberhardus Saxo & huic frater Meginhardus *anno* 898, teſte Regione. Ex quo etiam videre eſt; Ducibus illis ſubjectos fuiſſe illius provinciæ Comites, ut Gothofredo Dano Gerolphum & Gardolphum, atq; Eberhardum Saxonem pòſt à Walgatio Gerolphi filio interfectum. Incidunt autem hæc tempora in extrema Francici imperii.

LXIIX. Sed de hiſce obiter: Qui verò Provinciarum in univerſum, idem Vrbium Vicorumque florente Francorum imperio fuit ſtatus. Certè non in Codice Legum Francorum, non in aliis ejus ævi monumentis ob

ſervare eſt, meliore tunc fuiſſe conditione Vrbes aut nobiliores Vicos præ aliis in agro viventibus. Primò enim incolæ Vrbium fiſco regio penderunt vectigalia & tributa, Monetarum quoque cudendarum jus & molendinorum, telonia, portus, pontes atque ſimilia omnia, non in Vrbibus minùs quàm alibi, per omnem Germaniam ad Regium Fiſcum pertinuerunt. Neque verò horum quidquam in Vrbibus illis (Carolo certè Magno ejuſque filio Ludovico imperantibus) temerè legas in ſubditorum aut nobilium aut plebeji ordinis fuiſſe peculio. Ex adverſo perſpicere eſt, ſequutis demum ſeculis Regum largitionibus in variorum poteſtatem hæc deveniſſe. His certè oneribus eâ ætate obnoxias fuiſſe Vrbes ad Rhenum & Danubium, paſſim docet Lehmannus horum peritiſſimus. Auctor etiam Chronici Colonienſis jam olim ex neſcio quibus Prumienſis cœnobii annalibus annotavit *pag. 91. & 131*, à Clodovæi uſque ætate ad Ottonem Magnum Agrippienſes tributum Regibus Francorum ſolviſſe.

LXIX. Sacra porrò omnia jura adminiſtrata tunc fuiſſe per Epiſcopos; non in Vrbibus minùs quam alibi, nihil eſt notius. Sed & meri ac mixti imperii, quod vocant, vis penes *Comites* fuit aut *Miſſos* à Regibus conſtitutos. Gregorius Turonenſ. *lib. 6. hiſtoriar. Franc. cap. 22. Rex Chilpericus in civitatibus novos Comites ordinat, & cuncta ſibi jubet Vrbium tributa deferri.* Idem diſertè variorum Comitum Vrbibus. Gallicis præfectorum meminit *lib. 9. cap 5. lib. 5 cap. 48.* alibiq;. In Capitulis Caroli Magni *lib. 2. cap. 25.* fit mentio Comitum Veſontii, Moguntiæ, Trevirorum, Coloniæ, aliorumque, qui unà cum Epiſcopis illorum locorum fungi debeant munere, *Miſſorum* Regiorum. Per Comites autem & *Miſſos* illos jura tunc dicta populo, argumentis oſtendere facillimum eſt. Scilicet

licet tametſi in omnibus pene Vrbibus Epiſcopi ſederent, juris tamen dictio non illorum ſed Comitum fuit & Miſſorum, qui regiâ auctoritate præerant. Neque verò inter Vrbium adminiſtrationem & agri, ratione jurisdictionis, in omnibus ejus ætatis monumentis quidquam eſt reperire diſcriminis.

LXX. Qvvm verò præter Vrbes, vici villæq; tunc fuerint ut & Palatia Regia, horum feliciorem fuiſſe conditionem, nemini fiet facilè probabile. Cæterùm uſque ad Saxonum etiam imperium pauciſſimi Vici per omnem Germaniam muniri cœperunt. Certè quæ potiſſimâ tunc fama fuit & auctoritate in Saxonibus Brema, ætate Caroli *Villæ publicæ* audiit nomine; ut patet ex fragmentis tabularum Carolinarum apud Adamum Bremenſem *cap.15*; nec muro cingi cœpit ante Normannicam tempeſtatem, circa annum 990, eodem teſte *cap. 75*. Etiam hanc verò non niſi diu pòſt â Comitum poteſtate liberatam fuiſſe, infra patebit.

LXXI. Hac verò occaſione non poſſumus non in eos animadvertere, qui Vrbium Saxonicarum neſcio quam libertatem jam inde à Carolo Magno arceſſere conatur. Manifeſto autem eos errore implicari, haud difficile fortaſſis eſt probatu. Aiunt enim, Carolum Magnum quibuſdam Saxoniæ Vrbibus ſtatuam Rolandinam in ſignum libertatis dediſſe: quod nimirum à Rulando juſſu Caroli liberam judiciorum poteſtatem accepiſſent. Aſt ex ſuperioribus conſtat, tunc temporis nullam adhuc Vrbem præter Ciſrhenanas in Germania fuiſſe. Certè nullius Inferioris Saxoniæ Vrbis in hiſtoria Caroli Magni fit mentio: quod tamen haud dubiè Scriptores, utpote rem notatu dignam, tam ſicco pede non præteriiſſent. Imò duas tantum arces, ut ſuprà etiam eſt dictum, in Germania Tranſrhenana, & quidem in Weſtphalia, obſediſſe legitur Carolus Ma-

gnus. Quod ſi autem plures tunc temporis extructæ fuiſſent, non profectò ita occupare Saxoniam Carolus potuiſſet: quippe cum libertatis ſuæ Saxones fuerint tenaciſſimi. Quid? quod Eginhartus in *vita Caroli Magni* inter cauſas belli Saxonici etiam hanc referat, quod termini Francorum & Saxonum pene ubique in plano eſſent contigui, præter pauca loca, in quibus vel ſylvæ majores, vel montium juga interjectæ utrorumque agros certo limite diſterminarent; eòquem iis cædes rapinas & incendia fieri non ceſſaſſe.

LXXII. Taceo, Rolando duce Carolum in expugnandis Saxonibus uſum, nullis priſcis monumentis referri: & omninò ſtultum videri, ducis ſtatuam erectam in occupatis Vrbibus à victore Rege. Quin imò Rulandi coloſſos demum poſt annum milleſimum & quod excurrit erectos, nec non plæraſq; Vrbes quæ illos oſtendunt poſt tempora Caroli Magni primùm eſſe exſtructas, monumenta hiſtorica pervolventi non poteſt eſſe obſcurum. Denique, cum eæ Vrbes quæ tempore Caroli Magni ad Rhenum fuere florentiſſimæ nullam habuerint juriſdictionem, multò minùs obſcuros quosdam in Saxonia Vicos libertatem accepiſſe, vero valde eſt ſimile. Quare cum tota hæc aſſertio fabulæ quàm veritati ſimilior eſſe videatur, non eſt quod eam pluribus refutando operam ludamus. Interim ſi quid ea veritati habet conſentaneum, videtur id rectiſſimè omnium à Goldaſto *Tractatu de immunitat. & privileg. Reip. Magdeb.* hactenus non edito eſſe obſervatum: nimirum omnia quidem illa quæ de duce Rolando Caroli Magni ex ſorore nepote commendantur hiſtoriographi, quaſi ejus ope & conſilio pleraq; in Saxonia Carolus geſſerit, & quæ ſunt hujus generis alia, eſſe merè fictitia & nullâ prorſus fide hiſtoricâ niti; *attamen certam*, inquit,

Rulandi

Rulandi nomen non eſſe proprium aliquod, ſed appellativum, qu. ſi dicas Rügeland; *compoſitum nimirum ex vocabulo.* Rügen / *quod eſt veteri idiomate Germanico, cauſam ſuam proponere, & diligenter ponderatis cujusque litigantium partis argumentis ſententiam pronunciare, & territorio ſeu deſtricta. Vt ita ſtatua Rolandina ſignificet ſignum, per quod notatur, ibi eſſe forum publicum cauſarum, juriſdictionem, locum juſtitiæ, territorium, ſeu ut ſuo idiomate Germani vocarunt, Mallum publicum* ein Mahlſtadt da man frey Käyſerlich Gericht helt. Hæc ille. Cujus rei indicia adhuc hodièque in Vrbis nonnullis licet animadvertere. Id ſcilicet certum, coloſſos illos conſtitutos in ſignum liberæ juriſdictionis, accedente fabula, à Carolo Magno illam eſſe profectam: præ rerum veterum imperitiâ haud diſtinguente vulgo libertatem à Carolo conceſſam ab ea quæ pòſt demum nata eſt. Vt illa ætàs fabulis obnoxia fuit. Crantzius *lib.* 10. *cap.* 2. narrat, Hamburgenſes à Carolo IV Holſatiæ Comitibus parere juſſos, *Rolandi ſtatuam quam pro ſigno libertatis olim erectam habuerant dejeciſſe.* Viſuntur autem hodie ejuſmodi coloſſi alii & in Marchia Brandenburgica, alter Kinſpergæ alter Prinslaviæ: ne quis ſolis Saxonicis Vrbibus eos tribuat.

LXXIII. IGITUR ut revertamur in viam, Francorum tempeſtate omnis Vrbs omniſque Vicus jura à Comitibus aut Legatis Regiis acceperunt. Et verò Duces ſi qui fuerunt Comitum illa poteſtate ſunt uſi. Neque enim nomen Ducis aut Comitis, ut hodie, alicujus familiæ ſive dignitatis, ſed officii olim nomen fuit: veluti nunc aliquem Marſchallum aut judicem provincialem appellitamus. Magnâ autem poteſtate Comites illi præditi fuere; quippe cum Imperatoris & Imperii nomine jus belli atque pacis habuerint, & flagitante neceſſitate in aciem cives eduxerint,

rint, adeoque ipſum Imperatorem in Vrbibus repræſentarint. Negat quidem auctor *de Præfecturis*, eos olim habuiſſe aliquando jus gubernandæ reip.; ſed fortè fallitur: nam ipſe Lehm. *l.* 4. *Chronic. Spirenſ.* cogitur id fateri. Sed & ratio eſt manifeſta: cum enim olim Comites illi fuerint præcipui magiſtratus, omninò eoſdem regimen aliquod habuiſſe neceſſum eſt utpote cum id maximè propiè magiſtratum conſtituat, ut rectè dicit Ariſtoteles 4. *Pol. cap.* 15.

LXXV. Nec tamen velutum ab omni juriſdictione excluſa plebs fuit, ſed ex ſuo ordine *Scabinos* judicio dedit ſeptem aut plures. Quorum eligendorum jus penes Legatos Regios fuit, ex parte tamen & penes Populum cum Comite. Nec electi ſunt ad id munus, niſi ſoli meliores & in plebe potiſſimi. Eâ de re in medio hodièque ſunt leges variæ ipſiusmet Caroli Magni & Ludovici Pii in Capitulis Anſegiſi *lib.* 3. *cap.* 33. *Miſſi noſtri Scabinos per ſingula loca eligant, & eorum nomina quando reverſi fuerint, ſecum ſcripta deferant.* Cap. 56: *Vt Judices, Advocati, Scabini quales meliores inveniri poſſunt & Deum timentes, conſtituantur ad ſua miniſteria exercenda. Cum Comite & Populo eligantur manſueti & boni.* Capit. Addit. l. V. c. 73. *Miſſi noſtri, ubicunque malos Scabinos inveniunt, ejiciant, & cum electi fuerint jurare faciant, ut ſcienter injuſte judicare non debeant.* Ibidem Cap. 74: *Vt in Comitatu hi, qui meliores & veraciores inveniri poſſunt, eligantur à Miſſis noſtris, ad inquiſitiones faciendas & rei veritatem dicendam ut adjutores Comitum ſint ad juſtitias faciendas.* Item Cap. 75: *Volumus, ut quicunque de Scabinis deprehenſus fuerit propter munera aut propter amicitiam vel inimicitiam injuſte judicaſſe, ut per fidejuſſores miſſus ad præſentiam noſtram veniat. De Cetero omnibus Scabinis denuncietur, ne quis deinceps etiam juſtum judicium vendere præſumat.* Quæ tria ultima

ultima Capitula inſerta quoque ſunt Legi Langobardorum *lib. 2. tit* 41. Sed de Scabinis ſatis.

LXXV. QUONIAM autem omnis Civitas eſt ſocietas quædam maxima, & verò præter hanc juriſdictionem etiam alia varia eſt civium communio, quæ ſine rectore inſtitui non poteſt, abſque dubio omnibus Vrbibus jam tunc ſui Burgimagiſtri fuerunt, dirigendis ſcilicet negotiis civilibus, minoris quantumvis momenti. Neque enim probabile fit, Conſularis hujus regiminis originem Henrico quinto Cæſare primùm cœpiſſe. Ipſa enim ſocietatis natura aliud exigit: eòq; videmus Vicis licet minimis ex antiqua conſuetudine hodie ſuos eſſe Magiſtros. ATQUE Vrbium Germanicarum uſque ad tempora Saxonum & Franconicorum Imperatorum ferè hæc fuit conditio.

LXXVI. Hiſce verò conſtitutis nemini jam tum non liquet, etiam illa tempeſtate Vrbes fuiſſe admodum ratas, earumque ſummam reipublicæ in Ducum Comitumque non niſi vicariâ fuiſſe poteſtate, arbitrio potiſſimo penes Reges conſtituto. Nec Epiſcopos tunc, ut alibi ita etiam in Vrbibns, ubi ſedes ſuas locaverant, præter ſacra curam civilium rerum habuiſſe. Nondum verò ullam tunc Vrbem libera populi poteſtate fuiſſe gubernatam. Vnde & id conſectarium eſt. Tunc temporis ratione regiminis quidem nullum fuiſſe inter Vrbes diſcrimen, quaſi nempe aliæ Imperiales aut Regiæ, aliæ Provinciales audiverint: utpote quum omnibus æquali ratione ſui magiſtratus fuerint per Reges præfecti.

LXXVII. CÆTERUM inſequentibus temporibus omnia hæc magnam viciſſitudinem paſſa ſunt. Vici enim, villæ, caſtra, imò loca inculta hactenus, paſſim Vrbium dignitatem acceperunt, atque eâ quidem frequentiâ, ut Vrbium numero contendere hodiè Germania poſſit, cum

omni-

omnibus regionibus quaquâ verſum patet Europa. Inter quas nonnullæ & civium copiâ quam maximè abundant naturâ atque arte penè inſuperabiles, ſplendore ædium opibuſque prorſus ſtupendæ. Reſpublica etiam immane quantum mutata parum retinet antiquæ conſuetudinis, nec ipſa eſt uniuſmodi, ſed quam maximè varia. Quæ omnia quibus initiis quâve de cauſâ contigerint, nunc dicendum. Ac principiò quidem eſt differendum, quibus cauſis impulſi Germani tot Vrbes extruxerint, curve patentibus campis relictis contra morem avitum intra mœnia ſeſe tanto numero abdiderint, nec non quid Vrbes ad eam opulentiam evexerit. Hiſce præmiſſis autem ad rempublicam accedemus.

LXXIIX. IGITVR priſci Germani nulla opum cupidine, nullo luxu, rudi tecti vellere, & cibo ſimplice, lacte, caſeo agreſtibus pomis, recenti ferâ contenti, vitam omnem in ſtudiis rei militaris tranſegerunt. Eòque commodius tunc fuit diſcretis ac diſperſis ædibus habitare, ut fons aliquis, ut campus; ut nemus maximo poterat uſui eſſe, quod ita nihil poſſent ſuæ deſiderare beatitati. Nec peregrinæ mercaturæ ergò tunc locus, vilia tantùm & obvia petentibus, & nullo opum honore; opificia verò penè omnia exularunt, luxuriæ ſcilicet & mollis vitæ inſtrumenta. At poſtquam veſtis elegantior & lautior cibus & domus ſplendior, mutatis Romanâ conſuetudine moribus paulatim cœpit allubeſcere, crevit neceſſariò artificum copia, & mercatura ad exteros extenſa eſt. Hinc opum cupido, & rationes variæ excogitatæ faciendi nummi; unde tandem non elegans ampliùs vita ſed luxurioſa in pretio. Eadem verò cauſa priſcum quoq; habitandi modum non potuit non flectere. Mollior enim vita exigit in proximo plures qui aut operam præſtent aut rem ſubminiſtrent.

Idem

Idem quietis ſtudium & mœniis juſſit opida cingere, tutum & exiguo quantumvis muro ſecurum adverſus magnam etiam latrocinantium hoſtium vim refugium. Quæſtui enim intentis & quieti deditis nihil magis adverſum, quàm ſemper in armis, vel in excubiis ſtare, aut ſi quieſcas, prædonum hoſtiumque lubidini fortunam omnem exponere.

LXXIX. Igitur à bellis ac raptibus in otium ac quietem converſis ſtudiis, cur habitandi ratio à priſcis moribus adeo promptâ Populi Principumque voluntate diſceſſerit, nihil admiratione dignum habet. Iſthæc autem mira animorum mutatio ferè cum abjecto dæmonum cultu cœpit: ad leniſſimi Salvatoris exemplum mitigatâ nonnihil priſca feritate. Cujus ſanctæ quietis occaſione, mox ad opum cupidinem & luxuriam præpropero quodam gradu tranſitum eſt. Quibus cum & Populus & Principes ſe dederent, pari ſtudio Vrbibus exſtruendis inſudarunt; quod nec Principibus liceret ſplendidè vivere, niſi Vrbium opidorumque auxilio; nec Populo facile ſit, aliter ſecure quæſtum facere.

LXXX. Et numerum quidem Vrbium auxit indubie ingens Principum per Germaniam numerus, penè cum Regiâ poteſtate, poſt attritam Cæſarum majeſtatem, ſuis imperantium: ferè ſingulis familiis ſibi Vrbes ſtruentibus, accenſo æmulationis ſtudio, & cupidine quadam mollioris vitæ & ſimul Regii faſtûs. Nec verò ſtructæ tantùm ſunt à Principibus Vrbes, ſed ad eas inhabitandas multis propoſitis immunitatibus invitatus undiq; etiam eſt Populus. Vnde Plebi factâ per varia opificia & mercaturam ad opes perveniendi haud adeò difficili viâ, & ipſa relicto aratro in Vrbes immenſo numero commigravit. Quæ res agris quidem ſolitudinem penè induxit; ut tamen & hoc ipſo nonnuſquam

agreſtium ſuperſtitum lucro haud parum acceſſerit, hiſce ſcilicet paucis in plurium rura ſuccedentibus.

LXXXI. Auxit verò hoc Plebis ſtudium indubiè innumera libertorum copia, quæ poſt annum Chriſti nongenteſimum ſuccrevit, omnibus penè ſervis per univerſam Germaniam ex pietatis fervore emancipatis. Quibus cum proprii agri nihil, adeoque ruri quidem non niſi duriſſimo ſervitio victus poterat parari, cum in Vrbibus per opificia aliaque miniſteria facilior eſſet vitæ tolerandæ ratio, quin & ad divitias pateret aditus, plærique illorum agris relictis Vrbes incolere cœperunt. Vnde Vrbibus magna acceſſit incolarum frequentia. Nec tamen Lehmanni ſententiam *lib. 2. cap. 19.* facimus noſtram, quaſi olim nulli ingenui vel mercaturæ ſe dederint vel opificiis. Præterquam enim quod idipſum nullo argumento, nullo teſtimonio hic probet, cui fiet veroſimile, etiam pauperes ingenuos nulli tunc operam ſuam locaſſe; aut honeſtâ ratione feciſſe quæſtum?

LXXXII. CAETERUM cauſæ quidem ejus Vrbium per Germaniam copiæ, hæ ferè ſunt. Primus autem præ aliis ſtruendis iis operam dedit Henricus I Rex quem Aucupem nuncupant: verè Theſeus Germanicus. Vt enim ille Athenienſes, ita hic Saxones certè, ſi non & alios Germanos, ex agro in Vrbes compulit. Vrgentibus ſcilicet inſtitutum Vngarorum immanibus irruptionibus, quò tutus daretur miſeris receptus. Eam rem his verbis perſequitur *rer. Saxonic. l. 1.* Widekindus Corbejenſis: *Henricus Rex recepta pace ab Vngaris ad novem annos, quantâ prudentiâ vigilaverit in munienda patria & in expugnando barbaras nationes, ſupra noſtram eſt virtutem edicere. Et primùm quidem ex agrariis militibus nonum quemque eligens in Vrbibus habitare fecit, ut cæteris confamiliaribus ſuis octo habitacula*

tacula extrueret, frugum omnium tertiam partem exciperet ſervaretque, cæteri verò octo ſeminarent & meterent, frugeſque colligerent nono, & ſuis eas locis reconderent. Concilia & omnes conventus atque convivia in Vrbibus voluit celebrari. In quibus exſtruendis die nocteque operam dabant, quatenus in pace diſcerent, quod contra hoſtes in neceſſitate facere debuiſſent. Vilia aut nulla extra Vrbes fuere mœnia. Eadem de re Sigebertus Gemblacenſis *ad annum 925: Rex Henricus agrarios milites recenſens, ut octo eorum in agris, nonus verò in Vrbe moraretur, & octo in agris etiam nono laborarent, nonus verò in Vrbe tertiam partem omnium frugum illorum reſervaret in ædibus à ſe ad hoc extructis, ut in bello nihil aliarum rerum deeſſet, Vrbeſque rebus & vini plena eſſent.*

LXXXIII. IGITUR ex Henrici inſtituto nonus quiſque ingenuus in Vrbem conceſſit. Soli ſcilicet ingenui eâ tempeſtate militabant. Atque omnibus his victus ex agro allatus eſt, nullo ſuo ruſtico labore. Quod ad robur Vrbium fecit plurimùm. Sicut & illud juvit incrementum earum haud leviter, quod omnes conventus & convivia publica non niſi in Vrbibus ſint celebrata. Hinc enim & quæſtui Vrbium & dignitati conſultum eſt. Extant hodieq; veteris ejus inſtituti nonnulla in Saxonicis Vrbibus vetuſtiſſimis indicia. Potioribus enim & antiquioribus civibus ab agro manent cognomenta, unde primùm in Vrbem commigrarunt. Nundinæ quoque publicæ haud alibi temere quàm in Vrbibus exercentur. Eſt & ubi hodieque nuptialia convivia non niſi in Vrbibus celebrent agreſtes.

LXXXIV. Multas Vrbes nominatim recenſet Dithmarus Merſburgenſis *lib. 1.* ab Henrico exſtructas, interque eas Miſnam Quedelenburgum & Merſburgum. Patris verò exemplum ſecutus Otto, & ipſe haud paucas condi-

dit, quarum præcipua Magdeburgum: Vicum tamen jam diu ante, nullis licet mœnibus, commerciis celebrem, ceu liquet ex *l. 2. capitular. Carolin.*

LXXXV. Non patitur inſtitutum noſtrum Vrbium omnium originem exponere: id omninò monendum, rarum per Germaniam & non niſi viliorum fuiſſe commerciorum uſum, uſque ad annum à nato Servatore præterpropter poſt milleſimum centeſimum. Vnde fortuna Vrbium in aperto eſt, ceu quæ mercaturæ magnam opum partem debeant. Hactenus ſcilicet paucæ peregrinæ merces & vix aliunde quàm ex Italiâ; Oceano omni piratica Normannorum infeſto, & aliàs Germanicis navigiis penè ignoto. Et verò ipſum quoque Balthicum mare circa annum 1160, poſt exciſos Venedos, Saxonibus novis accolis per commercia demum patuit. Quos tamen Venedorum, Danorum, Sueonum aliorumnuque, quibus jam antiquitùs major fuit in mari illo mercaturæ reique nauticæ uſus: exemplum dubio procul incitavit,

LXXXVI. Enimverò jam ſupra audivimus, Caroli Magni ætate à Gothofredo Dano Rerich Sclavorum nobile emporium fuiſſe deletum. Adamus Bremenſis, qui Henrico IV Cæſare vixit, cap. 208: *Ex portu Schleſvicenſi naves emitti ſolent in Sclavoniam, vel in Suediam, vel ad Semland & uſque in Graciam.* Venit autem illi Græciæ nomine Ruſſia, ut Semlandiæ Pruſſia, ceu liquet ex *cap. 66.* Idem cap. 214: *Sconiam Daniæ inſulam*, ait, *opulentam eſſe frugibus & mercibus divitem.* Cap. 218: *affirmant Dani longitudinem hujus Ponti* (Balthici) *ſæpe à pluribus expertam, ſecundo flatu per menſem aliquos à Dania perveniſſe in Oſtrogard Ruſſiæ.* Cap. 223: *Holms inſula celeberrimus Daniæ portus, & fida ſtatio navium quæ à barbaris in Sueciam dirigi ſolent.* Idem cap. 227 narrat, à Pruſſis peri tunc ſo.itas

ſolitas pelles pretioſas : nulla facta mentione ſuccini; quod merito mireris ; niſi illud eâ ætate haud adeo magno in pretio fuerit. Idem porrò *cap.* 48, deſcribens Birkam Oſtrogothorum Vrbem, addit : *Ad quam ſtationem, quæ tutiſſima eſt in maritimis Sueoniæ regionibus : ſolent Danorum, Nordmannorum, Slavorum, atque Semborum aliique Scythiæ Populi pro diverſis commerciorum neceſſitatibus ſolenniter convenire.* Cumprimis verò memoranda ſunt quæ de Julino emporio Venedico ille memorat cap. 66 : *In Odera,* inquit, *oſtio, quæ Scythicas alluit paludes, nobiliſſima Civitas Julinum, celeberrimam barbaris & Slavis qui in Civitate ſunt, præſtat ſtationem. Eſt ſanè maxima omnium quas Europa claudit Civitatum, quam incolunt Slavi cum aliis gentibus Græcis & barbaris. Nam & advenæ Saxones parem cohabitandi legem acceperunt, ſi tamen Chriſtianitatis titulum ibi commorantes mutaverint. Vrbs illa mercibus omnium ſeptentrionalium locuples, nihil non habet jucundi aut rari &c.* Iisdem verò porrò verbis Vinnetam Vrbem deſcribit Helmoldus *lib.* 1. *c.* 2. *hiſtor. Slavic.* ut ſolet ille Adamum exſcribere. Quare fortaſſis non alia Vrbs eſt Vinneta quæ nonnullis memoratur, à Julino; corrupto ſcilicet tantùm à librariis vocabulo. Quicquid verò hujus ſit, fuit nobile illud emporium jam Helmoldi ætate à Danorum Rege funditus deſtructum.

LXXXVIII. Ex omnibus autem hiſce diſcere eſt; Septentrionalibus Populis maris Balthici accolis jam tunc ſeculo undecimo Chriſtiano ſatis magnum fuiſſe mercaturæ reique nauticæ uſum, antequam in Venedorum ſedes à Saxonibus eſt penetratum. Sequente ſeculo acceſſiſſe videtur halecum ad Sconiam celebris & opulenta piſcatio. Hujus enim non meminit Adamus, qui diligenter ſatis Danica eſt perſecutus: ſed Arnoldus Lubecenſis, quem conſtat

 initio

initio tertii decimi ſeculi floruiſſe, hinc maximas Daniæ divitias arceſſit *lib.3. c.5*: *Dani*, inquit, *cum olim formam nautarum in veſtitu habuiſſent propter navium conſuetudinem, quia maritima inhabitant, nunc non ſolùm ſcharlatico vario griſio, ſed etiam purpura & byſſo induuntur. Omnibus enim divitiis abundant, propter piſcationem quæ quotannis in Sconia exercetur: ad quam omnium circumquaque nationum negotiatores properantes, aurum & argentum & cætera quæque pretioſa illuc deferunt, & comparatis halecibus eorum, quæ illi gratis ex divina habent largitate, quaſi pro vili quodam commercio ſua optima, nonnunquam etiam ſe ipſos, naufragando relinquunt.* Eandem Sconiæ felicitatem more ſuo extollit Saxo Selandicus, glorioſus Danicarum rerum præco. Notatum verò eſt aliis, hanc halecum piſcationem ex Sconia in Norvvegiæ & inde in Angliæ & Scotiæ litrora, neſcio qua occultâ, ſive numinis vi, ſive aliarum rerum viciſſitudine, translatum.

LXXXIIX. QUAMVIS verò antiqua adeò ſit ad Balthicum mare navigatio, non eadem tamen fortuna fuit Oceani littora habitantium. Enimverò jam multis antè ſeculis per Oceanum piraticâ nobiles fuerunt Chauci, qui poſt Saxonum nomine majorem ſibi famam compararunt. Eos Germaniam inferiorem levibus navigiis incurſaſſe, ſcribit Tacitus *lib. 11. annal.* Saxonum Francorumque piraticam tertio quartoque ſeculo frequenter memorant Romanorum ejus ævi ſcripta: quæ nunc adducere nihil attinet. Sed hi piratæ Saxones cum Anglis videntur penè univerſi in Britanniam migraſſe. Neque enim pòſt illa rem nauticam Saxonum, eorum qui in Germania remanſerunt, temerè quis laudari obſervaverit. Ne Franci quidem poſtea claſſe valuerunt. Tantùm de Carolo Magno Eginhartus: *Molitus eſt & claſſem contra Nordmannos, ædificatis ad hoc navibus juxta flumina, quæ*

na, quæ de Gallia & Germania ſeptentrionalem influunt Oceanum. Annales Francici ſtationem ſuam habuiſſe claſſem hanc ad Bononiam Gallicam, ipſis navibus circa Gandam ad Scaldim conſtructis, teſtantur *ad annum* 811. Verùm poſt Carolum nullius extat Francicæ claſſis memoria Normannis aut aliis piratis oppoſitæ.

LXXXIX. Ne de Friſiorum quidem aut Batavorum nauticis per illa tempora ſtudiis quidquam legas. Diu pòſt tamen Henrico III Cæſare Friſios nonnullos inſtructo navigio Orcades Islandiamque luſtraſſe, quinimo in extrema ſeptentrionis ad glaciale uſque mare penetraſſe, teſtis eſt Adamus Bremenſis *cap.* 247. Hoc Friſiorum nomine Hollandos intelligi ſuſpicatur Marcus Zuerius Boxhornius, *Apologia* quam *pro navigationibus Hollandorum* edidit: ſed Friſios Orientales illos fuiſſe, rectiùs collegeris argumento ex ipſa Adami hiſtoriâ ſumpto: quoniam nempe illi reduces ſtatim Archiepiſcopum Bremenſem convenerint, & *Sancto VVillehado reverſionis & ſalutis ſuæ hoſtias immolarint*. Hollandi enim aut Weſtfriſii Trajectinum potiùs Epiſcopum petiiſſent, votis S. Willebrordo ſolutis: utpote cum Willebrordus Hollandis & Weſtfriſiis, Willehadus Oſtfriſiis patrocinari præcipuè creditus ſit. Sed idem Boxhornius ſimili mox errore, laudem inſignis de Normannis partæ victoriæ, iiſdem Orientalibus Friſiis ereptam Hollandis adſcribit. Eam hiſtoriam fide Bononis Corbejenſis recitat Adamus *cap.* 33. Appuliſſe ſcilicet Normannos ad Friſiæ quendam pagum in remotis ac mari magno vicinis locis ſitum, Nordvvide dictum: ibique præſente S. Remberto à Friſiis cæſa hoſtium decem millia trecentos ſeptem. Quis verò crediderit Rembertum Bremenſem Epiſcopum per diœceſin Trajectinam oberraſſe, neglectâ credita ſibi Provinciâ? Malâ fide autem pro *Nordvvide* Boxhornius

Nordvvi-

Nordvvicum ſubſtituit: certè contra fidem exemplarium. Omnino autem ſignificari *Nordam* Friſiorum Orientalium hodiè opidum, patet ex hiſtoria Archiepiſcoporum Bremenſium auctoris Anonymi, cura Erpoldi Lindenbrogii editâ: ubi in vita S. Remberti diſertè legitur vox *Norden*, quem Bremenſis diœceſeos pagum jam tunc fuiſſe, habetur in *ſcholiis antiquis ad Adamum*, portu verò inſigni olim floruiſſe conſtat: quo cum careat Nordvvicum, Hollandiæ Vicus, appellendis navibus ineptum eſt.

XC. SED hoc obiter. Id certum eſt, nullum hodiè ſupereſſe monumentum, quo conſtet, vel Friſios vel Hollandos eâ quidem tempeſtate ultra littora multùm excurrere vulgò ſolitos. Ne de Flandris quidem id legas. Adducit quidem Boxhornius pro Hollandicarum navigationum antiquitate expeditionem Gothofredi Bullionii in Palæſtinam: iviſſe enim Gothofredo comites Hollandos. Sed fugit illum, terreſtri itinere in Palæſtinam tunc itum, non claſſe. Multò minùs probavit Boxhornius, navigiis Hollandicis quenquam ad ſacrum illud bellum tunc uſum, ſed ponit hoc ac ſibi credi vult ſine argumento. Piraticam tamen nonnullos tractus illius maritimi Germanos tunc per Oceanum exercuiſſe, conſtat ex auctore anonymo *Chronici Hieroſolymitani*, cujus editionem R. Reineccio debemus, *l.* 3. *c.* 14. & Guilelmo Tyrio *l.* 3. *c.* 23. Vterque enim narrat, inopinatò claſſem piratarum duce Winemaro quodam in Palæſtinam adveniſſe anno 1097, piratis ipſis è Flandriâ, Antvverpiâ, Friſiâ oriundis.

XCI. CAETERÙM circa finem ſeculi illius Chriſtiani undecimi, navigiis ultrò citroque circa Oceani littora commeantibus, jam maritima commercia paſſim cœperunt inſtitui. Adamus Bremenſis illâ ætate de *Ripa* Iutiæ ad Oceanum opido *cap.* 208 ita ſcribit: *Civitas Ripa alio tangitur*

tangitur alveo : qui ab Oceano influit, & per quam vela torquentur in Friſiam, vel in noſtram Saxoniam, vel certè in Angliam. Vnde conſtat Friſios, (quo nomine tunc dicti omnes etiam Flevi accolæ) Saxones, Jutas, littora tunc legere ſuetos, mercaturam mutuam exercuiſſe. De *Brema* idem Adamus *cap. 183* teſtatur, eam *à negotiatoribus ex omni parte terrarum mercibus frequentatam.* Non tamen eâ tempeſtate per Oreſundam commerciorum gratiâ fortè eſt navigatum. Meminit enim ejus freti Adamus *cap.* 214, nulla autem factâ mentione frequentis alicujus per illud navigiorum tranſitus: non omiſſurus indubiè rem tanti momenti, ſi fuiſſet in uſu. Idem verò, omnia circa Jutiam piratis fuiſſe quàm maximè infeſta *c. 205*: magam quoque piratarum copiam circa Lundinum Scandiæ Civitatem ſe continuiſſe *cap.* 213, teſtatur. Vt illa quidem tempeſtate per illud fretum liber tranſitus haud patuerit. Confirmatur idem eo, quod, ſi credimus Vbboni Emmio Friſicarum rerum longè doctiſſimo ſcriptori, primi Stauriæ Weſtfriſici opidi cives mare Balthicum ultra fretum illud Danorum luſtrarint. Quam Vrbem conſtat navium copjâ & commerciorum frequentiâ maximè floruiſſe ſeculo Chriſtiano duodecimo.

XCII. Ergo ab anno poſt milleſimum centeſimo melior multò fortuna Vrbibus Germanicis alluxit, republica etiam illarum in majorem libertatem aſſertâ, ceu pòſt dicetur. Vrbium ad Rhenum fortunam colligere eſt ex hiſce verbis Othonis Friſingenſis, breviter deſcribentis res circa annum 1114 geſtas, per Fridericum Sueviæ Ducem, in gratiam Henrici V Cæſaris. *Ipſe*, inquit *lib.* I. *cap* 52, *Fridericus de Alemannia in Galliam transmiſſo Rheno ſe recipiens, totam provinciam à Baſilea uſque Moguntiam, ubi maxima vis Regni eſſe noſcitur, ad ſuam inclinavit voluntatem.*

Qualis Moguntia tunc fuerit, latiùs idem narrat *cap. 53.* In Saxonibus Bremæ potentiam indicant tres navales expeditiones, altera in Palæſtinam (quæ à nonnullis perperam refertur in annum 1029) altera in Luſitaniam circa annum 1141, victoriâ ereptæ Sarracenis Vlyſſiponæ nobiils, tertia iterum in Palæſtinam circa annum 1199. Quo tempore Bremenſium laudabili exemplo peregrinantium ægrorum ſuſcepta cura, Teutonico equitum, qui appellatur, Ordini initium dedit. Ab iiſdem navigatum tunc & per Oreſundam in Livoniam: quin & coloniâ Bremenſium civium eò traductâ, pactâque cum Livonis amicitiâ, & Riga Vrbs condi, & Chriſtiana religio ab ejus terræ barbaris indigenis coli cœpit circa annum 1160.

XCIII. Eodem tempore Lubeca condita brevi & incolarum multitudine & commerciorum frequentiâ magnum incrementum ſumpſit. Similiter & Wiſmaria, & Roſtochium, & Stetinum, & Stralſundum, maritima ad Balthen opida, novis Saxonibus incolis acceptis, refloruerunt. Imò omnis trans Albim Sclavorum terra maritima, deſolata penitus & incolis orbata, coloniis Hollandorum, Friſiorum, Flandorum cœpit excoli, Vrbibus multis aut reparatis aut noviter conditis, impoſterum Germaniæ accenſendis. Non minor verò fuit fortuna & ejus Saxoniæ, quæ cis Albim eſt & Viſurgim. In Friſiis Stauriam polluiſſe claſſe & potentia navali, jam ſupra teſtimonio Vbbonis Emmii probavimus. In Hollandia Flardingum & Rencsburgum celebri tunc famâ: quæ tamen ferè hoc ipſo tempore haud leve damnum paſſæ ſunt ab Henrico V Cæſare. Jam tunc & Flandria cœpit maritima commercia cum Anglis inſtituere. Quæ omnia Annalium teſtimoniis probare in promptu eſt.

XCIV. PROXIMO ſeculo Vrbium per Germaniam condi-

conditio haud parum ſolito etiam melior eſt reddita. Namque & numerus earum multùm crevit in omnibus penè regionibus,& maritima commercia aucta ferè in immenſum. Et verò hoc tempore primùm Vrbes fœderibus inſtitutis ſeſe & ſua contra prædones & hoſtes armis defendere incœperunt. Primæ videntur in ſocietatem hujuſmodi coiiſſe quæ Rhenum accolunt, anno 1255. Eo de fœdere in hæc verba loquitur Arnoldus Abbas Stadenſis, qui tum vixit: *Quidam validus civis in Moguntia cæpit hortari concives ſuos, ut pro pace reſtauranda juramento ſe invicem conſtringerent. Conſenſerunt ei & aliæ civitates plurimæ. Vocarunt eum VVatbodonem. Non placuit res Principibus, nec militibus, ſed neque prædonibus, & maximè his qui habebant aſſiduè manus pendulas ad rapinam: dicentes, eſſe ſordidum mercatores habere ſuper homines honoratos & nobiles dominatum.* Notatu digna quoque ſunt, quæ Chronicon Auguſtanum vetus habet. *Interea VVilhelmo Rege Romano cum Comitiſſa Flandriæ & Friſonibus bellica agente negotia, Civitates Rheni, quaſi deſtitutæ Regiâ defenſione, vinculo ſocietatis fortiſſimo adinvicem conjunguntur. Capitaneum eligunt: telonia ejuſdem fluminis, quæ à pluribus fuerunt aggravata, removent: vicinos Principes & Comites ſuæ ſocietati adhærere compellunt: undique in finibus ſuis pacem ordinantes optimam & hactenus inauditam. Cui ſuperveniens primus Ludovicus, novus Palatinus Comes Rheni, fœdus laudabile ſocietatis iniit cum Civitatibus ſupradictis. Iſta autem pax more Lombardarum Civitatum incheata, propter malitiam reſiſtentium, non diu durat.* Fuere autem in fœdere illo Vrbes 41, ut & Principes aliquot, quorum nomina poſt Aventinum & Cuſpinianum conſignavit Lehmannus *l. 5. Chron. Spirenſis cap. 92.*

XCV. In eadem penè tempora incidit quoq; initium

fœderis ejus quod HANSICVM appellatur. Sanè Chytræus *lib. 22.* ſcribit: *De Hanſicorum in exteris Regnis emporiorum initiis, ut & de ipſius etiam Hanſicæ ſocietatis certâ origine, quo anno Chriſti cœperit, & quando emporia ſingula occupârit, ſæpè multùmque ex præcipuarum Vrbium Syndicis, Secretariis, & aliis ſciſcitatus ſum; qui non modò de emporiorum origine certi nihil docebant, verùm etiam quo anno ipſorum Civitates in Hanſæ ſocietatem primùm receptæ eſſent, plerique non indicabant.* Credit tamen ille, cœpiſſe Societatem paulò ante tempora Friderici II, circa annum ſalutis CIƆCC, Eum ſequitur ut in plerìſque aliis Germanicarum rerum narrationibus, Thuanus *lib. 39*, verbis Chytræi non niſi leviter mutatis. In ſpiſſis ſuis quatuor centonibus Joannes Angelius nihil de fœderis origine certi prodit: ineptus autor, ut molliter dicam. Videtur tamen eam repetere interdum ab Henrici Leonis ævo. Scriptor Italicus *Theſauri Politici* ſeſe originem fœderis certam nullo ſtudio potuiſſe diſcere, fatetur: Henricum tamen Sudermannum Societatis conſiliarium eam rejeciſſe in tempora vetuſtiſſima, quæ annum Chriſti milleſimum ducenteſimum longè antecedant. Sed cum Lubeca, illius Fœderis unà cum aliis Vandalicis, quæ appellantur, Vrbibus caput ſemper audierit, non poteſt profectò Societatis origo excurrere ultrà ipſa earum Vrbium primordia. Cœperunt verò illæ condi ſeculo illo duodecimo declinante. Quis porrò credat, fœdus illud coiiſſe, quo tempore Lubeca, Hamburgum, & reliqua penè omnis ora Balthica impotentem dominatum Danicum paſſa eſt? Excuſſum autem illud jugum eſt anno 1226. Neque legas in bellis pro libertate contra Woldemarum ejuſque filios Ericum Abelem & Chriſtophorum Daniæ Reges geſtis, Vrbium ad

Balthin

Balthin ſociis armis Lubecenſes uſos. Confectum autem id bellum fuit circa annum 1259.

XCVI. Itaq; poſt annum ſeculi Tertiidecimi ſexageſimũ Fœdus illud demum coiit: pace ſcil. cum Danis pactâ, adeoq; magis magiſque florentibus jam maritimis commerciis. Ipſe Angelius *parte tertiâ* centonum ſuorum *cap.* 10, Vrbes Hanſicas firmiorem ſocietatem iniiſſe teſtatur *anno* 1270: tabulas verò Fœderis ſervari hodieque in archivis. Neque verò fidem meretur quod idem ſcribit *cap.* 15, viſa ſibi antiqua documenta privilegiorum *anno* 1194 Societati huic conceſſorum: aut quod alii narrant, ab Henrico III Angliæ Rege *anno* 1206 ampliſſimis privilegiis Societatem hanc ornatam. Namque Henricus III puer patri ſucceſſit primùm *anno* 1217: Anno autem 1194 Vrbes Vandalicæ plæræque vix cœperant coli. Credimus tamen, ab Henrico III illo data quædam privilegia Societati, quoniam id ipſum teſtatur Polydorus Virgilius; at Henricus ille Regia eſt dignitate uſus *ad annum* uſque 1273. Confirmatur conjectura, quod Angelius producens excerpta ex Tabulis Norvvegicis, non potuerit laudare aliquid antiquius *anno* 1278. Sed nec in Compendio legum Fœderis, quod à Domanno confectum *Partis quartæ capiti* 11 inſeruit Angelius, ulla legitur antiquior conſtitutio *anno* 1312. Vt fortaſſis illo demum tempore juſtum corpus coierit.

XCVII. Caeterum ſcrupuloſior hæc indagatio fortè haud convenit inſtituto noſtro. In naturam autem ſcopumque cùm Moguntini illius tùm Hanſici Fœderis inquirentibus, facilè ingens utriuſque diſcrimen apparet. Illud enim pro ſalute publica ipſarum Vrbium eſt initum: exprimente id neceſſitate, quod everſâ tunc Cæſarum auctoritate omnia rapinis & potentiorum libidini paterent, adeoque nullum ſupereſſet remedium ex republica conſervandis

Q 3 rebus

rebus quàm factâ ſocietate vim omnem prohibere. Etſi autem vix novennium duraverit fœdus illud,& in præſens tamen fuit utile & exemplo conſuluit poſteritati. Comperto enim ſemel ſocietatis beneficio, inſequentibus temporibus ejuſmodi Vrbium fœdera, quoties neceſſitas viſa exigere, plurima coierunt, in diverſis locis diverſa. Donec Maximiliano I Cæſare diviſâ in Circulos, quos vocant, Germaniâ, iiſque optimis legibus inſtructis, inſtituto item Cameræ judicio, tranquillitati publicæ nonnihil rectiùs conſultum eſt. Omnia verò hæc συμμαχίας fœdera, uno Helvetiorum excepto, ad breve tempus, & plæraque intra paucas Vrbes ſtetere. Sed Suevicum mole & numero præ aliis eminuit. De quo rectè tamen *lib.* 1 *de republ. Helvet.* Joſias Simlerus: *Avorum memoria* (inquit) *cum Friderico Auguſto auctore & Principe, Suevicæ Vrbes fœdus feciſſent, magna initiò apud omnes ejus fœderis fama fuit & opinio: verùm bello adverſus Helvetios temerè ſuſcepto, & infeliciter geſto, multum exiſtimationi ejus deceſſit. Quam tamen pulſo Duce VVirtembergico, & arcibus prædatorum totâ Suevia disjectis, recuperaſſe videbantur: niſi paulò pòſt finito præſcripto tempore fœderis, ita ſtatim in diverſum abiiſſent, ut quos ante hoſtium loco habuerant iis ut amicis, & veteribus amicis & fœderatis hoſtium penè loco uſi fuiſſent. Ita hominum memoria fœdus illud cœpit & in nihilum abiit.* Helvetica verò Societas paucas quidem Vrbes comprehendit, verùm æternitate & robore planè ſine exemplo eſt. Non enim ipſa illa antiquitati celebrata vel Achaicum vel Aetolicum Græcarum Vrbium fœdera cum Helvetico, ſive potentiâ ſive tempore, contendi merentur.

XCVIII. Alia verò natura eſt Fœderis HANSICI, ſi quidem primam ejus ætatem ſpectes. Contractum enim maxi-

maximè illud videtur, non niſi ob commercii maritimi libertatem in Regnis exteris. In eam ſanè ſententiam ſcribit diſertis verbis David Chytræus, harum rerum maximè intelligens auctor *lib.* 23 *Saxon.* & qui hunc exſcripſit Thuanus *lib.* 39. Sed & Albertus Crantzius non aliter de Fœderis hujus ſummâ loquitur: quem tamen ejus natura non potuit fugere. Ejus verba *lib.* 9. *Metropol cap.* 41. ſunt: *Diu laborarunt: priusquam ad memoratam communionem iterum reponerentur, hoc eſt, ad uſum privilegiorum in mercaturis.* Saxoniæ item *lib.* 9. *cap.* 39: *non ſunt paſſæ (Civitates reliquæ) mercatores ejus Vrbis in emporiis verſari. Hoc vocant Hanſa ejicere & proſcribere, cum illis privilegiorum uſu & communione interdicitur.* Non aliter in Wandalia *lib.* 9. *cap.* 7: *Ex quo tempore denuò admiſſi ſunt in communionem Hanſæ, hoc eſt, ad participationem privilegiorum, quæ in quatuor emporiis, in Flandria, Brugis: in Anglia, Londonis: in Norvvegia, Bergis: in Ruſſia, Novogardiæ: permiſſa ſunt olim mercatoribus, ab retrò Principibus & terrarum gubernatoribus, univerſis ejus communionis participibus,* Confirmatur idem vel eò maximè, quod in Compendio illo conſtitutionum Hanſicarum Domanniano nihil habeatur quod ad συμμαχίαν poſſit trahi. Ad hoc, cum pleræq[illegible]jus Societatis Vrbes Principibus variis ſint ſubditæ, quis crediderit eorum conſenſu Vrbes ſubditas in ſibi etiam formidabile fœdus coiiſſe? Conſtat verò à Principibus nonnullis pro Vrbibus ſuis in jura Hanſæ recipiendis interceſſum. Sed nec cum bella varia ſint geſta nonnullas hujus fœderis Vrbes inter & Principes Germanicos alioſque, tota Hanſæ Societas ad ſe olim pertinere id credidit. Itaque nec obſervare in monumentis eſt hiſtoricis, in defenſionem ſingularum Vrbium ſumpta eſſe ab omnibus ſociis arma, aut ſubmiſſa auxilia. Sane ſuppetias ſibi mutuas

tuas

tuas nonnunquam aliquæ hujus Fœderis tulerunt : at non ex Hanſæ illo communi , ſed novo & ſingulari pacto. Cujus generis & inter ſeſe & cum aliis Hanſæ non conſociatis Principibus & opidis , alia aliis temporibus , & quidem non niſi momentanea , certiſque annis definita inierunt. Formula tamen renovati Fœderis in conventu Hanſico *anno 1579* propoſita , caput habet περὶ συμμαχίας contra vim injuſtam : ceu liquet ex iis quæ narrat Chytræus *lib. 24 Chronici.* Diſertè idem continet formula Fœderis *anno* 1604 conſcripta , quam poſt alios edidit Angelius ſed barbarè de Germanico verſam *part. 4. cap.* 12. Quanquam verò ita convenerit, vix tamen ullum communibus Societatis viribus bellum eſt geſtum in unius earum Vrbis defenſionem : & formula *anni 1604* pactum illud diſertè annis duntaxat decem definivit,

XCIV. Ergò primam ſanè originem Fœderi Hanſico dedit ſtudium conſervandi maritimi commercii cum peregrinis , Norvvegis præcipuè , Danis , Suecis , Ruſſis, Anglis. Hæ enim gentes cum ea tempeſtate importatis Germanicis mercibus , ingenioſâ magnam partem manu confectis , indigerent , contrà verò abundarent plurimis rebus in Germania deſideratis , & tamen ſive præ mercaturæ ſimul & nauticæ rei imperitia , ſive quod lucri minùs cupidi periculum & labores navigantium detrectarent, ipſi conſcenſis navigiis ultrò citroque commercia maritima nulla vel rara inſtituerent ; factum hinc eſt, ut ad ſolos Germanicos mercatores ac nautas omne hoc negotiandi genus devolveretur. Magno verò uſui videntibus Exteris & ſibi hæc commercia cedere, non dubitaverunt & vectigalium immunitatibus & aliis privilegiis ultrò Germanos invitare. Qui & ipſi certâ ſpé ampliſſimi lucri , non ſegniter hoc egerunt. Sed piratis infeſto Oceano Marique Balthi-

Balthico, & exteris illis conceſſa ſemel privilegia facile mutantibus, ad tutum iter præſtandum, ſimulque ut ſemel donata integra ſervarentur, fœdus neceſſarium fuit.

C. Ac primùm quidem Vandalicæ Vrbes*, quæ appellantur, coiiſſe videntur. Manet hodièque illis, ac præcipuè Lübecæ, primarius in conſeſſu locus, ut Fœderis auctoribus. Inde plures per Pomeraniam, Pruſſiam, Livoniam, Epiſcopatum Bremenſem, Ducatum Brunſvico-Lüneburgenſem, Weſtphaliam, Friſiam & vicinas regiones, acceſſerunt: aſſumptis in ſocietatem multis etiam mediterranea colentibns, ut numerus ultra octoginta aliquando excreverit. Extendit numerum illum Angelius ad CIIX *parte 4. cap.* 16. ſed indicem inſpicienti facilè apparet, multas ab illo recenſitas ne nomen quidem unquam Fœderi dediſſe, alias ante aliquot centum annos illi renuntiaſſe. At in univerſum omnes in quatuor Diœceſes aut Ordines diviſæ ſunt: totidem quaſi metropolitanis opidis conſtitutis, Lubeca, Colonia, Brunſvico, & Dantiſco. Omniū principem tamen locum & auctoritatem Lubeca ſortita eſt in originis memoriam. Proxima dignitas Agrippinenſibus ceſſit: utpote quibus & jam ante hoc Hanſicum, ſuum aliquod fœdus cum vicinis Vrbibus fuiſſet, adeoque unà cum ſociis, in Hanſicum corpus tranſierit. Etſi porrò in omnibus penè exteris regionibus ſua Societati data ſint privilegia & immunitates, quatuor tamen potiſſimum emporia peregrina conſtituta: Londinenſe in Anglis, Novogrodum aut Narva in Ruſſia, Bergenſe in Norvvegia, & Brugenſe in Flandris, quod pòſt Antvverpiam in Brabantinos eſt translatum.

CI. Verum hæc & alia huius fœderis narrare non eſt inſtituti noſtri. Adeò multas autem Vrbes in Societa-

tem accipere primi fœderis auctores ſunt coacti, quod ſoli non ſufficerent defendendis immunitatibus ſuis adverſus vim & injuriam. Lucri verò exſpectatio in adeò multis Societatis deſiderium excitavit: quia ſoli ſcilicet Socii ad commercciorum hæc beneficia admittebantur. Quâ de causâ, conſenſu etiam Principum dominorumque contractum eſt fœdus, aliàs Principibus iſtis meritò ſuſpectum: quia nempe & hi Vrbes ſuas omni commerciorum genere florentiſſimas eſſe cuperent. Id verò non minimam Germanici Imperii labem arguit, quod ingens adeò Societas coierit nulla auctoritate publica. Eo enim effectum, ut cum exteris Regnis & provinciis pacta contractus conventusq; ſint initi, non publico Imperii nomine, ſed privato ſubditarum aliquot Vrbium. Quod in benè conſtitutâ republica minimè profectò eſt tolerandum. Fuit autem & ipſis Sociis Vrbibus privatim id noxium: utpotè quæ publicâ Imperii auctoritate deſtitutæ, ſolæ excipere vim omnem exterorum populorum coactæ ſint. Verùm quo tempore cœpit Societas, & aliquot pôſt ſeculis, perturbatiſſima Imperii ratio, & attritâ Cæſarum dignitate, parum in republica præſidii fuit poſitum. Ut ergò plurimi alii errores tunc commiſſi, ita & hic recepto tunc more contigit. Aliàs haud fortè difficile fuiſſet, & toti Imperio & Vrbibus ſociis conſulere ab initio ad illum modum, quem in ſocietatibus mercatorum Indicâ, Americanâ, Septentrionali, aliiſque inſtituendis, Belgico Germani Ordines magna cum prudentiæ laude obſervaverunt.

CII. Quamvis verò hæc celeberrima ac nobilis Societas ipſis primis centum annis in Regibus Principibuſque, quorum beneficjis nata erat, formidabilem potentiam excreverit, bella quoq; pro ſibi conceſſis ſemel immunitatibus cum Danis Succis Anglis aliisque popu-

lis

lis magna felicitate geſſerit ; pòſt annum tamen milleſimum quingenteſimum ſenſim cœpit deficere , ita ut anno præterpropter ſexageſimo pôſt , animam propè agere viſa fuerit. Actum quidem deinceps anno 71 de inſtaurandâ Societate Hanſicâ & renovando Civitatum fœdere , formula quoque pacti nova in conventu propoſita anno 79 , à paucis tamen in eam conſenſum eſt. Aliæ leges fœderis anno *1604* conſcriptæ, nec minùs ſtrenuè à nonnullis laboratum de Societate reparanda : ſed poſt tot etiam labores magis magiſque ad paucas Vrbes ingens illa olim Societàs, magno ſanè Vrbium damno: contracta eſt.

CIII. In cauſas verò ejus decrementi inquirentibus non unæ videntur illæ occurrere. Præcipua fortè eſt, ſociarum Vrbium magna inæqualitas: quæ ut omnium ferè ſeditionum mater eſt & cauſa , ita quoque omnes in univerſum ſocietates ſolet diſſolvere. Cum nempè parvæ Vrbes exiguum ex hoc fœdere fructum percipere ſe exiſtimarent, pleraque ad ſe majoribus trahentibus , primùm ab his negligi Societas , mox & relinqui cœpit. Adhoc, ipſæ illæ exteræ gentes nauticis commerciis operam dare Hanſicorum exemplo didicerunt, quibus tamen in Germaniâ non eæ immunitates conceſſæ. Hinc orta invidia & Societati ſua libertas paſſim eſt erepta. Quæ alibi fruſtra iterum quæſita, alibi reparata quidem , non niſi ſumptuoſiſſimis tamen bellis ſuſceptis. Vnde maximum ærarii damnum enatum, reliquantibus plæriſque , etiam potentiam ſocietatemque ipſam ſenſim labefactavit. Denique haud parùm detrimenti attulit quoque Hanſicis Flandrorum & Hollandorum mercaturæ & rei nauticæ ſtudium : quo illæ gentes ab anno uſque milleſimo ducenteſimo, cumprimis autem poſt quingenteſimum , floruerunt. Primò enim interce-

ptus monopolii fructus, mox præcipua nautici commercii vis ab Hanſicis in Hollandos tandem tranſiit.

CIV. Sed de fœderibus Vrbium ſatis. Sine dubio autem magno & fœderatis Vrbibus ipſis, & toti Germaniæ commodo Fœdera illa fuerunt. Nam illis quidē συμμαχικοῖς & tranquillitatem publicam & libertatem popularem aliquot per ſecula debemus. Vt enim nonnunquam exceſſerint modum, ſi verum tamen fateri velimus, abſque hoc remedio extrema ſervitus omnes dudum oppreſſiſſet: qualis ſanè fuit aliquot centum annis Germaniæ ἀναρχία. Judicavit idem Caſpar Peucerus magnæ doctrinæ & prudentiæ vir; itaque de Fœdere Moguntino, *lib.* 6. *Chron.* verba faciens ita loquitur: *Profuit hoc exemplum poſteritati. Similibus enim conſiliis deinceps & malis publicis obviam itum, & multorum audaciam ac molitiones repreſſas eſſe, conſtat. Nec aliter ſervari res communes poſſunt, publicis periculis augeſcentibus.* Sic magnam partem Hanſicæ Societatis beneficio certum eſt ad eam opulentiam, eamque omnium rerum abundantiam, cùm Vrbes tùm & reliquam Germaniam perveniſſe. Illa certè Septentrionis & Britanniæ Galliæve opes cum Germanis, & noſtras cum illis viciſſim communicavit. Unde copia rerum & lucri ingens magnitudo. Nec fœdere illo ſalvo in Germaniam moliri quidquam auſi ſunt maritimi exteri populi. Ut ſecuritatem etiam Germaniæ Hanſico fœdere aliquot ſeculis ſtetiſſe, fatendum ſit.

CV. Caeterum quibus præcipuè de cauſis ſeptingentorum annorum ſpatio, & in hunc numerum & in illam fortunam Germaniæ Vrbes excreverint, penè jam dictum eſt. Vnum tamen adjiciendum, de metallorum & ſalſorum fontium copia, quorum eadem plæraque hoc annorum intervallo aut inveniri aut excoli cœpta. Abundare

dare autem Germaniam hod.è præ aliis Europæ regionibus omnis generis ditiſſimis metallis ut & ſalis fontibus, notum in vulgus eſt. Illa verò & originem Urbibus plurimis dederunt, & immenſam pecuniæ vim ſubminiſtraverunt. Hinc autem pariter ſplendore & luxu nimium quantum creſcente, opificum quoque variorum induſtria ad ſummam acuminis laudem penetravit.

CVI. CONSEQVENS eſt de Urbium republica diſſeramus. De illâ verò in univerſum ferè licet pronunciare: poſt Carolovingorum tempora juris dicundi, cum mero mixtoque imperio, magiſtratuum item conſtitutionem, nec non fiſci jura, à Cæſaribus, partim prodigis largitionibus, partim venditione, partim aliis neſcio quibus modis, in aliorum poteſtatem deveniſſe. Harum mutationum initium multi ab Ottonibus repetunt. Quod ex parte verum eſſe, ex parte non, ex iis quæ addemus patebit.

CVII. IGITUR Ottonibus auctoribus, in illis ſanè Vrbibus quæ in poſſeſſionem ceſſerunt Epiſcopis & Archiepiſcopis imò & Abbatiis nonnullis, penè per omnem Germaniam, admodum mutavit reſp. Quum enim illam hactenus per Comites, Miſſos, Duces momentaneos adminiſtrari Reges curaſſent, Ottones eandem Epiſcopis ſuis conceſſerunt: falsâ ducti perſuaſione, id cùm ad præſentis vitæ felicitatem, tum ad æternæ beatitudinis præmia capeſſenda vel maximè profuturum. Quaſi verò non multò rectiùs aliis ſacrorum animarumq., aliis verò civilium cura permitteretur: quos magiſtratus omninò diſtinguendos invicem eſſe, jam olim oſtendit quoq; Ariſtot. *6. Polit. c. ult.* Planè ſine exemplo autem fuit hæc Epiſcoporum civilis Vrbium cura. Cum enim ex veteri ævo recepto more, non aliam coërcitionis poteſtatem haberent quàm pœnitentiæ & excommuni-

cationis, nec aliud ipſorum munus eſſet, quàm hodie apud Proteſtantes eſt alicujus Superintendentis, paulatim adjecta quidem jurisdictio eſt in clericos eorum, quoad perſonas & bona: ita ut monachum vel clericum coram ſolo Epiſcopo accuſare licuerit. Negatum tamen etiam ſic fuit Epiſcopis judicio præſidere, aut bona ſua adminiſtrare aliter quàm per conſtitutos Advocatos. Neque verò ferendus eſt Albertus Crantzius, qui jam à Carolo Magno omnem reip. curam in Saxonia Epiſcopis vult commiſſam. Repugnat enim cùm omnibus aliis antiquis monumentis, tùm ſufficit illi refutando unum illud diploma Caroli Magni quo Epiſcopatum Bremenſem inſtituit, quod & ipſe in *Metropoli* ac *Saxonia* recitat, dudum autem hiſtoriæ ſuæ inſeruerat Adamus Bremenſis *c. 9.* & poſt hunc Albertus Stadenſis. Ne nunc laudem formulam Epiſcopatibus demandandis uſurpari vulgò tunc ſolitam, quæ habetur apud Marcolphum *1. & 3. edition. Lindenbrogianæ.*

CVIII. Primus autem Bruno à fratre Ottone Magno Ducatum Lotharingiæ accepit, atque ita ſimul jus gladii temporalis. Itaq; rem hactenus inſolitam narrans Witichindus *l. 1.* excuſandam ſibi eam ſumpſit exemplo Samuelis. Verba ipſius ſunt: *Brunonem Pontificis ſummi ac Ducis magni vidimus officium gerentem. Ac ne quis eum culpabilem ſuper hoc dixerit, quum Samuelem ſanctum & alios plures, ſacerdotes pariter legamus & judices.* Auctor Chronici Belgici magni, eandem rem notatu dignam duxit: *Ante hac ſua* (Brunonis) *tempora Archiepiſcopi Colonienſes, non judiciis gladii temporalis, ſed tantummodo jurisdictione uſi baculi paſtoralis.* Sicut autem Brunoni fratri Lotharingiam, ita Wilhelmo filio, Moguntino Archiepiſcopo, Thuringiam & Haſſiam, aliis alia, tantùm non pleni dominii jure poſſidenda dedit. Quod latè oſtendere hujus loci non eſt.

CIX. De

CIX. De Epiſcoporum autem novâ in Vrbes poteſtate ſeorſim nonnihil eſt dicendum. Erant bona Epiſcoporum ut & Monaſteriorum jam diu antè ſecularibus quæ appellantur judiciis exempta, ſingulari liberalitate Regum ita curante: adeòque omnibus Epiſcopalium & Monaſticorum bonorum cauſſis dijudicandis, paſſim Advocati ac Defenſores ita dicti à Regibus ipſis præficiebantur. Quod hîc probare non attinet. At omnia illa bona intra villarum, agrorum, ſylvarum, ſervorum aliquot, ac ſimilium aliarum paucarum rerum vilitatem conſiſtebant. Ab Ottonibus verò Vrbes, arces, Comitatus, imò integræ provinciæ, Epiſcopis & Monaſteriis donari cœperunt. Benè enim Theodoricus de Niem: *Otto Primus omnibus penè cathedralibus Eccleſiis, in Italiâ Galliâ Germaniâ Burgundiâ & Lotharingiâ conſtitutis, multas Civitates, Caſtra, Oppida, Villas, & multa alia dominia temporalia & juriſdictiones donavit, atque omnibus illis Eccleſiis propria inſignia perpetuò deputavit. Archiepiſcopos quoque & Epiſcopos Ducatibus & Comitatibus Baroniisque communivit, quibus nobiles & potentes vaſallos ſubjecit: ut ſemper eſſent ad reſiſtendum, & manu forti paganis & hæreticis in oportuno tempore fortunæ.* Hactenus Niemus. Qui prudenter notavit *penè omnibus* Epiſcopis multa adeò largiter ab Ottone donata. Hiſtoriam enim ejus ævi accuratè ſcrutantibus liquet, ab Ottone nonnullis eorum nihil præter decimas datum: atq; ut plerique Epiſcopi caſtra, Vrbes, & Comitatus ſint à ſucceſſoribus Ottonis nacti, aliquos tamen hodièque omnibus illis deſtitui. Iſtâ verò novâ largitione Regum multas paſſim Vrbes in poteſtatem Epiſcoporum deveniſſe, certum eſt.

CX. Caeterum cum in Vrbibus illis Cæſares, ut alibi hactenus, obtinuiſſent non tantum poteſtatem juris dicundi

dicundi per Comites & Legatos, verùm etiam Fiſco Regio ſua & quidem varia fuiſſent jura, notatu cumprimis dignum eſt, in donandis Vrbibus non eandem ſemper rationem obſervatam: ſed alibi juriſdictionem & omnia jura fiſci, alibi ſolam illam, alibi partem etiam horum, Epiſcopis ceſſiſſe. Manifeſtum id faciunt Tabulæ donationum Regiarum ejus ævi, quas omnes heic adducere, alienum eſt: quædam earum verba pauló poſt in partem citabimus. Hinc verò liquet, perperam nonnullos, ſi hoc aut illud videant donatum, omnia reliqua etiam dono illo comprehenſa autumant. Quomodo & illi falluntur, qui Epiſcopis omnibus aut pleriſque Vrbes cathedrales eo ſtatim tempore ceſſiſſe credunt, quò Vrbes ab iis nonnihil poſſideri cœperunt. Facilè enim oſtenſu eſt, a multis longo pòſt demum tempore tale quid eſſe impetratum, à nonnullis nunquam, qui aliàs Vrbes haud paucas in poſſeſſionem acceperunt. Vt proinde in his omnibus ipſæ tabulæ donationum ſint conſulendæ.

CVI. Ita Chronicon Colonienſe vetus vernaculũ *p. 119* ſcribit: Vrbis Agrippinenſis merum & mixtum imperium ante Brunonem penes Imperatorem fuiſſe. *Pag. 121*, hujus Brunonis beneficio liberatam Vrbem à tributo Regio in perpetuũ. *Pag. 132* etſi falsò inquit: *Quo tempore Saxones ſceptrum gerebant Cæſareum, Colonia Epiſcopali juriſdictioni ſubdita fuit.* An quid ulterius ceſſerit tunc Epiſcopis, haud liquet. Quid Epiſcopo Spirenſi ab Ottone Magno in Vrbem Spiram conceſſum ſit, omnium optimè patet ex diplomate Ottonis III, quo ille avitum donum confirmavit. Recitat illud integrum Lehmannus *lib. 4. Chronici cap 3.* Quædam ejus verba hujus argumenti ita ſeſe habent: *Epiſcopus donavit ac conceſſit, ut nullus Dux ſive Comes, vel nullus Publicus judex ex Judiciaria Poteſtate, aut aliqua cujuslibet*

libet Poteſtatis ignota perſona, niſi ſolus Epiſcopus & Advocatus ipſius ſupra dictæ Spirenſis Eccleſiæ, ex juſſione & conceſſione noſtra deinceps poteſtatem habeat, pro quocunque negotio, vel pro aliqua re parva aut magna, placitum retinere, ſeu publicum judicium facere, intra Civitatem Spira ſeu Nemeta vocatam, aut in circuitu extra Civitatem, id eſt, in villa Spira, & in Marcha quæ eidem Vrbi adjacens eſt, aut aliquid per Regale bannum in uſum noſtri ſucceſſorumque noſtrorum exigere, neque aliquid de prædiis, vel de moneta, ſeu de telonio, vel ex ulla re in fiſcum Regium transferre.&c. Ex quibus claret: judiciis Vrbis inpoſterum eſſe præfectum Epiſcopum & ejus Advocatum; proventus quoque ex prædiis, ex monetaria re, ex telonio aliiſque, fiſco Regio hactenus ſolitos ſolvi, poſt hac remiſſos. Num verò in totum remiſſi, an donati Epiſcopo fuerint, non liquet. Cæterùm Comitibus erepta cum ſit juriſdictio Vrbis, facilè perſpectu eſt, falli Lehmannum, quando *lib. 4. cap. 2.* Conradum II Imperatorem eſſe Spirenſem dictum ab Vrbis præfectura, ætate itē adhuc Henrici V & Friderici I ſuos Vrbi Comites fuiſſe, docet. Spirenſes enim Comites dicti ſunt & illi, qui pago aut Gouæ Spirenſi præfuerunt.

CXII. Simile verò quid ab Ottone Magno & Epiſcopo Mindenſi datum. Literas Cæſareas ſervavit nobis auctor Chronici Mindenſis. Quæ huc faciunt, ita ſonant. *Præcipientes ergò jubemus, ut nullus judex publicus* (i.e. Princeps aut Comes) *vel quilibet ex judiciaria poteſtate* (Scultetus vel Scabini) *in Eccleſias aut loca vel agros ſeu reliquas poſſeſſiones dictæ Eccleſiæ quas nunc infra ditionem Regni noſtri legibus poſſidet, vel quæ deinceps in jura ejus divina poteſtas voluerit augeri, ad cauſas audiendas, vel freda exigenda, manſiones vel paradas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines ipſius Eccleſiæ francos liberos, & Eccleſiaſticos litones,*

malman, vel ſervos cujuslibet conditionis, ſeu colonos, contra rationem diſtringendos, nec ullas redibitiones aut illicitas occaſiones requirendas, ullo nunquam tempore ingredi audeat; aut bannum ſive heribannum, ſeu ea quæ ſuprà memorata ſunt, ab illis penitus exigere præſumat, &c. Item: *Inſuper bannum noſtrum & monetam teloniumque ſive macellum publicum ibi conſtrui licere, & quicquid ad poteſtatem noſtram pertinere videbatur, eidem Eccleſiæ donavimus.* Quò patet, majori tunc dono affectum Mindenſem Epiſcopum quàm Spirenſem.

CXIII. Trahenda verò huc videntur & illa de Adaldago Epiſcopo Bremenſi, coævo Ottonis Magni, apud Adamum c. 51: *Iſte eſt qui nobis REMPVBLICAM reſtituit.* Item: *Adaldagus primò ut ingreſſus eſt Epiſcopatum, Bremam longo prius tempore Poteſtatibus ac Judiciaria manu oppreſſam, præcepto Regis abſolvi, & inſtar reliquarum Vrbium, immunitate ſimulq; LIBERTATE fecit donari. Præcepta Regis hæc continentia præſto ſunt, & alia.* Libertas ſcilicet habita tunc fuit, exemptum eſſe ſeculari; quod appellant, judicio, & Epiſcopi adminiſtrationi ſubeſſe. Multa ſcilicet indigna à *Comitibus* & *Miſſis* Regiis paſſus ante fuerat populus, ut fieri aſſolet, & ex ipſis Capitulis Carolinis non poteſt eſſe obſcurum. In mitius itaque imperium relatus indubiè tunc populus, ubi Epiſcopis cœpit ſubjici, in libertatem ſe aſſeri exiſtimavit. Et verò ejuſmodi prorſus fuiſſe *libertatem* ab Adaldago partam, probant clarè ejuſdem Adami verba *cap. 122* de Adelberto: *Et quoniam*, inquit, *magnus Pontifex vidit Eccleſiam, Epiſcopatumque ſuum, quem prædeceſſoris ſui Adaldagi prudentia liberaverat, iniqua Ducum potentia iterum vexari, ſummo niſu reddere conatus eſt eandem Eccleſiam priſtinæ LIBERTATI, ita ut nec Dux nec Comes, nec aliqua Judicialis perſona, quampiam juriſdictionem*

dictionem aut poteſtatem in ſuo haberet Epiſcopatu. Tùm verò ex eodem Adamo conſtat, Adelberti ætate omni, hoc eſt uſque *ad annum 1072*, Bremam Vrbem Epiſcopo paruiſſe. Nam & Bezolinum Epiſcopum muro Civitatem cinxiſſe c. 103, & Adelberti juſſu eadem mœnia diruta c. 121, ab ejuſdem vero miniſtris impotenti dominatu oppidanos preſſos c. 1 3, fusà narratione perſequitur.

CXIV. Lucem hæc accipiunt ex verſiculis nonnullis Dithmari, barbaris illis quidem, in teſtimonium tamen adduci heic aptiſſimis, quoniam Wormatiæ Vrbis idem fatum exponant, & auctor planè hac ætate Henrici II vixerit, illuſtri genere & dignitate Epiſcopali conſpicuus. Conſenſu ſcilicet Ottonis Ducis Wormatienſis oppidum erat conceſſum Epiſcopo.

Vrbs Vormacenſis gaudet temporibus iſtis
LIBERTATE SVA, cujus manebat in umbra
Hactenus, atque Ducum fuerat ſub lege ſuorum.
Burckhard Antiſtes lætatur & inter heriles
Ex animo proceres, quod non timet amplius hoſtes
Nunc ex contiguo, longè ſemotus ab illo.
Aula Ducis, Domini domus, eſt jam prædia Chriſti,
Et Judices varios Clerus nunc deprimit illos,
Hoc Rex Henricus fecit, pietate coruſcus,
Hanc proprius ſolvens rebus, Chriſtoque remittens.
Annuit iſta pius Otto Dux, atque benignus
Munere Regali conceſſit abunde teneri.
Ex hoc lætantes ſint ſemper quique fideles.

Idem Dithmarus de Ottonis II in Epiſcopatum Merſburgenſem liberalitate *lib* 3 ita loquitur: *Pauperem adhuc Epiſcopatum Merſeburgenſem largiflua pietate reſpexit, & ejus proviſori Giſilero, quia hunc multum dilexerat, Suencam Civitatem cum appertinentibus cunctis, ad ſervitutem Sancti*

S 2 *Johan-*

Johannis Baptiſtæ tradidit , *& quidquid Merſeburgenſis murus continet Vrbis* , *cum Judæis & mercatoribus, de moneta & foreſto &c. permiſit.* Quò ſimul patet verum eſſe quod diximus, ab Ottone Primo non omnibus Epiſcopatibus amplas adeò divitias conceſſas, multò minùs omnes Epiſcopos ejus beneficio in Vrbes cathedrales ſuas juriſdictionem nactas eſſe.

CXV. Scilicet Wormacia Henrici II primùm benignitate ceſſit Epiſcopo. Ab eodem donatum eſſe Epiſcopo Argentinenſi Strasburgum, ſcribit Guillimannus *lib. de Epiſcopis Argentinenſ. cap. 2.* Non probat tamen tabulis quas adfert, aliud Epiſcopo datum quam Monaſterium S. Stephani: in cujus ditione fuiſſe opidum, perperam diſputat *cap.* 4. Et verò nec ipſe negat, *Palatii Regii* nomine audiiſſe StrasburgumCarolinorum ætate: & paulò ante donationē, illam Henrici Cæſaris, *caput Ducatus Alſatiæ* ſub Hermanno Duce appellatur à Dithmaro *lib.* 5. Quibus temporibus paruiſſe Vrbem Monaſterio, nemini temerè probabitur. Quin fortè fuit Vrbs in ditione Ducum uſque ad familiæ illius interitum. Vrbes autem cathedrales multas in Epiſcoporum poteſtatem haud deveniſſe, conſtat exemplis Baſileæ, Ratisbonæ, Auguſtæ Vindelicorum, Lubecæ, Suerini, Ratzeburgi, aliarumque: quarum rempublicam certum eſt nunquam in ditionem Epiſcoporum deveniſſe. Nempe, quæ Vrbes jam ante hac peculium quaſi Ducum & Comitum potentiorum erant factæ, illarum pauciſſimæ ſunt ab Epiſcopis occupatæ: utut reliquæ plæræq; nimia Regum liberalitate iis ceſſerint

CXVI. Caeterùm Epiſcopi ut hactenus in adminiſtratione aliorum bonorum, ita & in Vrbibus ſunt uſi Advocatis; adeòque ex eo uſque tempore in Vrbibus quarum juriſdictio Epiſcopis conceſſa, judiciis nomine Epiſcoporum

porum

porum Advocati aut Thumvögte præfuerunt. Quibus & Scabinos aut Aſſeſſores ex populo eligendi aliquatenꝰ fuit Jus, utpote quum in Comitum locū ſucceſſiſſent, quibus hoc olim competierat. Et ſanè horum alibi major, alibi minor fuit potentia: prout nempe plus aut minus Regalium quæ appellantur conceſſiſſet in Epiſcoporum ditionem, quorum illi Advocati miniſtri erant. Hoc autem Advocati munus ab imprudentioribus nonnullis, certis familiis in feudi beneficium eſt collatum, iiſque interdum magnæ potentiæ & dignitatis, adeoque Ducibus imò ipſis Cæſaribus. Quo effectum, ut multarum Vrbium juriſdictione Epiſcopi paulatim exciderint; pene æternâ lege alteri mancipatis juribus ſuis, aut in miniſterium aſcitis iis, qui & invitis ſuis dominis poterant imperare. Id quod multis oſtendere, hujus argumenti non eſt, ſed ejus quod de bonorum ſacrorum adminiſtratione alibi pluribus eſt exſequendum.

CXVII. Quæ verò Epiſcoporum, eadem penè & Monaſteriorum antiquorum, (quæ ferè omnia S. Benedicti vivendi regulam ſolent profiteri,) conditio eſt. Namque & his à Cæſaribus villæ Regiæ, Vrbes, & arces, alibi cum fiſci juribus, alibi ſine iis, donatæ. Conſilio certè multò minus probando, quàm illo priore. Quid enim alienius eſſe debet ab hominibus ἀσκητικὴν profeſſis & vitam contemplativam, quàm negotiis hujus ſeculi ſanctum ſuum otium impendere? Fuit autē & Abbatibus niſce opus Advocatis. Adeóq; & horum pleriq;, cum auctoritate & viribus Epiſcopis ipſis eſſent inferiores, præ potentia Advocatorum, aut longi temporis mora, ſuarum Vrbium Juriſdictione exciderunt.

CXIIX. Porrò ut Epiſcopis & Monaſteriis, ita & Comitibus ac Ducibus, partim pleno dominii jure, partim in feudum, eâdem Regum aut prodigalitate aut negli-

gentiâ, plurimæ Vrbes cum fiſci Regii proventibus ceſſerint. Vnde in earum rempub. eadem vis illis novis Dominis rata eſt quæ antè fuerat Cæſaribus: imò nonnunquam per vim major dominandi vis ſuccrevit. Et verò huic præcipuè Cæſarum largitioni debetur, quod plæræq; Vrbes antehac Regiæ, Ducibus, Comitibus, ratione juriſdictionis & fiſcalium onerum hodièque ſerviant.

CXIX. Eò verò uſque & largitionibus illis & negligentiâ Regum, maximè accedentibus immanibus illis turbis ab Henrici uſque IV ævo, & paulatim magis magisq; imminutâ Regiâ vi & auctoritate, tandem eſt perventum, ut penè omnium Vrbium Germanicarum ſumma juriſdictio cum omnibus fiſci juribus, privatorum Ducum, Comitum, Epiſcoporum, & Monaſteriorum poſſeſſio hodie cenſeatur. Extorquente Regibus illa omnia nunc ſuperſtitione, nunc neceſsitate, nunc & apertâ vi. Quâ de re plenius diſſerere, alterius loci eſt. Id certum, paucas oppidò Vrbes hanc conditionem effugiſſe; puta forte Aquiſgranum, Francofurtum ad Mœnum, Goslariam, Northuſam, Mülhuſium, & ſi quæ ſunt aliæ. Has enim ſolas in aliorum ditionem non perveniſſe dixeris, in oppidanos ipſos translatâ poſtmodum à Cæſaribus ſummâ illâ vicaria juriſdictione cum multis aliis immunitatibus.

CXX. QUAMVIS verò plerarumque Vrbium reſpublica primis illis Germanici Imperii temporibus ad eum modum potentioribus Regni Ordinibus ſit occupata; in univerſum tamen omnium Vrbium conditionem ſpeculantibus forte pronunciare liceat, ſeculo duodecimo præter propter in majorem multò libertatem cœpiſſe eas exſurgere, initio tamen à paucis facto. Procedente verò tempore multæ ab Epiſcoporum, Ducum, Comitum, Monaſteriorum, aliorumque, imperio ac poteſtate, vel prorſus,

ſūs vel ex parte liberatæ ſunt, Inter has aliis tandem jus ſuffragii in Regni comitiis tributum, adjecto onere conferendi indictos publicè nummos in ærarium Regni, quas *Imperiales* vulgò appellamus; aliæ hac quidem dignitate deſtituuntur, iis tamen immunitatibus gaudent, ut in multis nonnullas prioris illius ordinis vincant, in paucis tantùm Epiſcopis, Ducibus, Comitibus, Monaſteriis & quaſi ad ſolam eorum reverentiam adſtrictæ: aliæ addictiùs quidem regnantur, etiam ipſæ tamen rempublicam habent priſtino liberiorem.

CXXI. Verùm hæc omnia quando & quomodo cœperint, non una opinio eſt. Namque ante hosce centum annos & quod excurrit, videtur multis fuiſſe perſuaſum: aut à Carolo Magno aut ab Ottone III Cæſare Vrbes aliquas ſigillatim Regni uſui eſſe adſcriptas, munere Cæſarum multis immunitatibus collatis, & tributo illo ſuffragandi jure. Poſterius narrat inter alios ſcriptor vernaculꝰ Chronici Colonienſis antiqui, vir cæteroquin haud indoctus & pro captu temporis eximio judicio. Verùm ut omnia alia quæ ibi attexit ille de inſtitutis ab eodem Ottone Electoribus, & Regni Ordinum quadripartita ſerie, fabuloſa ſunt: ita certum eſt, hujus Ottonianæ conſtitutionis in omnibus retrò monumentis nec volam nec veſtigium reperiri. Nonnullæ porrò Vrbium, quas ille auctor ab Ottone nominatim in hoc ordine vult locatas, tùnc temporis ne conditæ quidem erant, ut Lubeca, Berna, Lüneburgum, aliæ. Complures jam tunc potentioribus Ordinibus parebant: aliæ nunquam ad dignitatem illam pervenerunt, quod de Antvverpia, Göttinga, Lüneburgo & aliis quibusdam extra controverſiam eſt. Caroli M. ævo omnes Vrbes in univerſum à Regiis præfectis fuiſſe adminiſtratas, ſupra oſtenſum: nulla verò earum ſuas ita res geſſit ut nunc

fieri

fieri videmus, neque ab oneribus fiſci Regii ad hunc noſtrum morem fuit immunis. Alii quidem tempus quo cœpit hæc libertas, vel incertum putant vel varium, omnem tamen illam Cæſarum dono unicè referunt acceptam. Hos enim cùm Principibꝰ tùm Epiſcopis cumprimis, quod illorum vis nimium creviſſet, ſeorſim Vrbium adminiſtrationem iterum eripuiſſe. Alii aliud cauſantur: pleroſque tamen errare, haud difficile eſt oſtenſu.

CXXII. Et quidem tempus quod attinet, immunitates & privilegia aliis temporibus alias Vrbes ſeorſim impetraſſe, certum eſt. Certum quoque, ne ſingulas quidem Vrbes libertatem ſuam aliter quam ſucceſſu temporum conſequutas. Origo tamen horum omnium ferè poſt annum CIↃC: à quo ſcilicet tempore & numerus Vrbium & oppidanorum cùm frequentia tum opulentia ferè cœpit: ceu ſupra narratum. Minimè autem verum eſt, omnem libertatem à Cæſaribus eſſe, ſed magna pars etiam ab Epiſcopis, Principibus, Comitibus, Abbatibus profluxit. Nec liberâ donatione omnia ſunt impetrata; ſed alia etiam emtione, alia permutatione, alia vi erepta primùm, ſubſequuto contractu quodam pòſt æquiore titulo poſſideri cœperunt. Sed nec omnium Vrbium, etiam illarum quas liberas nunc dicimus & Imperiales, eadem eſt libertas, ſed varia admodum, multis hodieque ab aliorum Ordinum Regni dominio haud abſolutis.

CXXIII. Hæc omnia pro dignitate exſequi prolixius eſt, quàm ut à nobis nunc quidem præſtari poſſit. Quaſi in exemplum itaque pauca tantùm adducemus. *VVormatiam* ſupra diximus Henrici II munere Epiſcopo ceſſiſſe: at eadem Vrbs vectigalium ſolvendorum in compluribus Germaniæ locis onere liberata eſt ab Henrico IV: oneribus bidelli manus mortuæ aliiſque ſervilibus, ab Hen-

rico

rico V; exigua alia adjecit Fridericus Barbaroſſa, petente id Epiſcopo: quæ omnia legere eſt in tabulis Friderici apud Lehmannum *lib.* 4 *cap.* 22. Nec veroſimile eſt, aliis privilegiis Vrbem tùnc quidẽ ornatam. *SPIRA Nemetum* Epiſcopo ſubdita facta per Ottones, ab Henrico V liberata eſt onere [illegible] Jelli in bonis defunctorum oppidanorum, ut & ab aliis oneribus fiſcalibus: ceu liquet ex tabulis quas recitat Lehmannus *lib.* 4 *cap* 22. Confirmavit eadem nonnullis adjectis Fridericus I, quas tabulas recitat Lehman. *lib.* 5. *cap.* 64. Idem Henricus V conceſſit Spirenſibus facultatem eligendi duodecim viros ex ſuo ordine reipublicæ adminiſtrandæ. Alia quædam indulſit auctoritate Henrici VI Philippus Suevus. Tabulæ extant apud eundem Lehmannum *cap.* 99. A ſequutis Imperatoribus alia donata ſunt, quæ heic recitare non attinet. Etſi verò hac ratione Cæſaribus faventibus Epiſcopi poteſtati multum deceſſerit, vel ſic tamen manſit illi facultas conſtituendi judicium, & de cætero obſequium ac fidelitatem Epiſcopo ut Domino ſuo hodieque jurant oppidani. Quam rem latè narrat Lehmannus *l.* 4. *c.* 23. *& c.* 24. Nihilominus Spiram inter Imperiales primi eſſe ordinis conſtat.

CXXIV. *RATISBONAM* Regiam Vrbem appellat ætate Ottonis I Widekindus: eadem pòſt ceſſit Ducibus, unde Norici Ducatus Metropolis audiit ætate Friderici I apud Ottonem Friſingenſ. *lib.* 2. *de geſt. Frid. cap.* 28: at illa Vrbs ſubducta eſt Ducatui, quo tempore Henricus Leo exutus eſt omni in Bajoria poteſtate. Idem contigit *LYBECAE*, quam amplis privilegiis ornarat recenter tunc exſtructam, teſte Helmoldo, idem Leo. De quo legendus Aventinus, aliiq; *A Conrado ultimo Duce Sueviæ cives AVGVSTANI ſe ſuaq́, in libertatem non parvo aſſeruerunt argento*: verba ſunt Cruſij *Annal p. g* 3. *lib.* 2. *cap.* 17. *Nunc verò utraque ſubjecti ne*

 libe-

liberati, impoſterum ipſimet ſibi ex ſuis municipibus ingenuis proprium Senatum eligere, & Civitatis Curatores, Duumviroſve (Magiſtros tunc civium dictos., Burgermeiſter/Conſules) & Præfectos Vrbis adhuc Stadtpfleger appellati ſolitos, liberè creare cœperunt, ex quorum conſilio & induſtria totius reipublicæ ſuæ gubernatio penderet; capitalia tamen judicia, maleficiorumque actiones, ut olim ita & poſthac, penes Imperatoris vicarios manſerunt. Et verò ne hactenus quidem capitalium rerum præturam illam potuerunt ſibi impetrare: ſed nunc penes Comites, nunc penes Duces, nunc penes alios fuit, quà invitis quà volentibus Auguſtanis. *VLMAM* Regiam olim villam Carolus Magnus donavit Monaſterio Augiæ, quod divitis audit cognomento: at *à Ludovico Bavaro* (verba iterum ſunt Cruſii) *impetraverunt Vlmenſes, ut ſolverentur jugo Divitaugienſis Monaſterii. Itaq. deinde ipſi ſibi Senatum Conſules & Tribunos plebis, poteſtate à Cæſare acceptâ, fecerunt Anno circ.* 1346. *Ità ſe tunc ferè omninò in libertatem à Richenauenſi Abbate vindicarunt. Adhuc tamen Monachis eos infeſtantibus Carolus poſtea eis privilegia Ludovici confirmavit. Nondum vexare deſinentibus clauſtralibus, in Concilio Conſtantienſi & Baſilienſi; tandem Fridericus III Vlmam omninò liberavit, cùm ea Monachis dedit grandem pecuniam. TIGVRI* fuere à Regibus Francorum duo Collegia ſacra, virorum unum, alterum mulierum inſtituta. *Penes hæc olim* (ſcribit Simlerus) *maxima ex parte imperium Vrbis fuit. Caterùm in arce quæ ad Lemagum edito loco ſita olim fuit, Francicorum Regum præfecti habitabant, qui Collegiorum & Vrbis Advocati erant. Pòſt ſub Germanis Imperatoribus itidem præfecti dati ſunt Vrbi & collegiis, non tamen qui in arce habitarent, nam hoc munus plerumque Principes viri habebant. Caterum temporibus illis Vrbs nihilominus ſuum Conſilium habebat virorum 36, è quibus duodecim quadrimeſtri tempore*

impera-

imperabant. Fuit autem penes illa Collegia jus cooptandi idoneos ex oppidanis in Conſilium, donec Fridericus II conceſſit Vrbi liberam electionem hujus Conſilii, & ipſa illa criminalium rerum prætura ad Vrbem tranſiit; circa annum 1336, ſi credimus Stumphii annalibus.

CXXV. Conſtat porrò, à Ducibus Zaringenſibus *BERNAM*, *FRIBVRGVM*, & multa alia præclara oppida poſſeſſa: ſimiliter in peculio Ducum Sueviæ innumeras arces & ingentem tunc tractum & complures Vrbes cenſitas. Vtraque autem familia ſeculo decimo tertio exſpiravit, nec ſucceſſores nacta eſt: adeoque ut omnia alia, ita & Vrbes illæ omnes proximè Cæſarum imperio cœperunt ſubjici, qui criminalium rerum præturam ſibi ſervantes, aliorum munerum conſtitutionem libero oppidanorum arbitrio reliquerunt, confirmatis privilegiis & immunitatibus quas à Ducibus ſuis jam erant conſequutæ.

CXXVI. Verùm hæc & alia narrare, ſingularis erit operæ. Vel ex his paucis tamen patet, non uno modo nec uno tempore, natam libertatem & immunitates Vrbium. Cauſa verò, cur Epiſcoporum præcipuè ut & Ducum nonnullorum vis in multis Vrbibus per Cæſares poſt annum CIↃC fuerit acciſa, non alia eſt, quàm quod Saxonicorum Cæſarum nimiâ liberalitate, Franconici & Suevici Reges ſenſerint altiùs creviſſe nonnullos Ordinum quàm viſum expedire Regno; nec tamen aliam hi viam invenirent firmandæ Regiæ ſuæ dignitati, quàm Vrbes potentiores eorum imperio ſubducendo. Id quod effectu eo facilius tùm fuit, quò jam plurimùm auctis opidanorum divitiis, illi in libertatem prono admodum erant animo; ceu fieri aſſolet. Et verò ab eo uſque tempore, præ rerum omnium abundantia, præſertim quum numero incolarum florerent, ad altiora nullæ non Vrbes adſpirarunt, priſtina

tenuitate minimè contentæ Quam rem cumprimis juvit Ducatuum & Comitatuum in minutas particulas, pro multitudine eorum qui illuſtribus familiis nati erant, diviſio; qui mos à ſeculo uſque decimo tertio circiter invaleſcens, potentiam & Ducum & Comitum plurimùm debilitavit: ingraveſcente magis magiſque malo, quod in turbis illis reipublicæ plerique bellum ex bello ſererent: unde domi egeſtas. Aſt interea creſcente opulentiâ oppidanorum, Vrbibusque firmiore muro cinctis, contemta paulatim dominorum eſt impotentia, & imperium eorum detrectatum. Inde à pecuniæ egenis levi ſæpe ære immunitatis & libertatis varia jura redempta, alibi & vi expreſſa ſunt.

CXXVII. SED de hiſce aliàs latius. Quò autem conſtet clariùs, quantum mutata ſit reipublicæ urbicæ ratio quingentis hiſce retrò proximis annis, ab illo ſtatu qui Carolovingorum temporibus fuit in uſu, age rem breviter oculo ſubjiciamus. *Primùm* nullæ tunc Vrbes in ullius Ducis aut Comitis aut Epiſcopi patrimonio fuerunt: hodie earum plæræque ab iis poſſidentur. *Secundò* jus conſtituendi Senatum & Conſules, aut Judices vel Scabinos, penes Regem fuit ejuſque præfectos, *Comites* inquam & *Miſſos*: nunc in plurimis Vrbibus penes ipſos cives hæc facultas, alibi Ducibus aut Comitibus aut Epiſcopis id competit, alibi partim his partim illis, Imperatori autem fortè nuſquam. *Tertiò* deliberationes & conſultationes oppidanorum, de rebus exiguis & vilibus tunc inſtitutæ, rebus ſcilicet Vrbium admodùm acciſis: nunc de bello & pace, de fœderibus, de legibus, aliiſque negotiis momenti maximi. *Quarto* criminalium rerum judicium oppidanis nullis tunc competit: hodie idipſum plurimi nacti ſunt. *Quinto* denique in Comitiis Regni ad ſuffragia ferenda rari tunc admiſſi

miſſi oppidani, ſed plerumq; oppidorum Comites: poſt verò etiam hoc jus haud paucis ceſſit.

CXXIIX. Quantum itaque mutata ſit Vrbium conditio, in propatulo eſt. Igitur ratione reipublicæ quidem primaria hodie differentia Vrbium eſt, quod aliæ jus habeant ſuffragii in Comitiis Regni cum onere contribuendi in publicum Regni ærarium: aliæ hoc ipſo careant. Prioris generis nonnullæ olim dictæ ſunt *liberæ*, nonnullæ *Regni* vel *Imperiales*. Illis, quia aut nunquam aut non diu aliis quàm ſolis Cæſaribus paruiſſent, præ his quæ ſeriùs aliquantò in libertatem aſſertæ, dignitatis aliquam prærogativam ſibi vindicantibus. Inter autem illas nonnullæ & magiſtratuum & judiciorum omnium plenam habent poteſtatem, nonnullæ in quibuſdam quæ ad magiſtratuum conſtitutionem & judicia pertinent, hodieque vel à Cæſare ipſo, vel ab Epiſcopis, Ducibus, Comitibus, Abbatibus dependent. Poſterioris ordinis itidem quædam liberrimam habent facultatem magiſtratuum & judiciorum cùm civilium tùm criminalium: quædam neque magiſtratus neque judicia poſſunt inſtituere, niſi auctoritate Principum: quædam denique medio ſunt loco, diverſæ tamen & ipſæ rationis.

CXXIX. Magiſtratum porrò quod attinet, facile probatu eſt, Carolinâ ætate Conſules & Senatores ut & Scabinos, delectos eſſe non quidem à populo, ex populo tamen, & quidem munia hæc commiſſa ſolis primariis civibus, inſigni genere natis; opificum inſtitorum & operariorum plebe exclusâ. Neque legas ad conſultationes vocatam plebem. Servatum hoc etiam pòſt, ubi jam ipſa eligendi poteſtas Vrbibus erat conceſſa. Hinc antiquitùs in Germaniæ oppidis Oligarchiæ invaluerunt, & quidem omnis generis, ut illas optimè enumerat Ariſtoteles, unicus civi-

lis prudentiæ magiſter 4. *Polit. cap.* 5. Poſt annum tamen circiter CIↃCCO, penè ubivis exortâ ſeditione inter plebem & patricios, mutavit reſpublica, & Popularis ſtatus paſſim introductus eſt, ita ut hodiè vix una amplius & altera Oligarchia ſuperſit.

CXXX. Quod procul dubio contigit haud aliâ de causâ, quàm quod eo tempore plebs & numero & opibus jam creviſſet, ſuasque tribus paſſim & collegia haberet, Patricii verò haud ſatis obſervarent artes conſervandæ Oligarchiæ. Ex eo autem pro Oligarchiis variæ paſſim vel Democratiæ vel Ariſtocratiæ vel Mixti ſtatus nati. Quorum omnium conſtitutiones, morbos, pericula, ſalutem, remedia exponere, fortaſſis operæ quidem eſſet pretium maximum; nos tamen hodie illa ne attingemus quidem, tam nobile argumentum in aliud tempus rejicientes.

EXERCITATIO QVARTA
DE

DVCIBVS ET COMITIBVS

IMPERII GERMANICI

Habita V. Julii Anno cIↄ. Iↄ. CXLIII.

RESPONDENTE

GEORGIO ADAMO STRVVIO

Magdeburgenſe.

THESIS I.

ANtiquis Germaniæ temporibus Ducum officium atque dignitatem bellicam fuiſſe, docet nos Julius Cæſar *L. 3 de bell. Gall.* de Germanis ita ſcribens: *Cum bellum Civitas aut illatum defendit aut infert, magiſtratus qui ei bello præſint, ut vitæ necisque habeant poteſtatem, deliguntur.* Cui jungendus C. Cornelius Tacitus: *Reges*, inquiens, *ex nobilitate, DUCES ex virtute ſumunt. Nec Regibus infinita aut libera poteſtas: & Duces exemplo potiùs quàm imperio: ſi prompti, ſi conſpicui, ſi ante aciem agant, admiratione præſunt* c. 7. de Mor. Germ.

II. Licet verò id, quod *d. l.* ſtatim ſubjicit Cæſar: *in pace Germanis nullum communem eſſe magiſtratum*, de omnibus verum non ſit; ſiquidem ex jam allegatis Taciti verbis conſtat, præter pauciſſimos, quibus unus heriliter imperavit (ùti de Sujonibus notat Tacitus *de Mor. Germ. cap. 44.*) fuiſſe etiam populos, qui ſibi Regem vel Principem ex nobilitate ſumſerunt, & ſub ejus vixerunt imperio;

tio, non tamen abſoluto, ſed ita, ut majeſtas plæraq; penes populum maneret. Quod patet ex eodem Tacito dicente, *Regem in Concilio audiri autoritate ſuadendi magis quàm imperandi.* Et de his dici poteſt idem, quod Ariſtoteles alicubi ait, priſcis temporibus eundem populi eundemque exercitûs fuiſſe ducem. *5. Pol. 5.*

III. Pleriqne tamen populi ejuſmodi communem magiſtratum pacis tempore, & ſimul perpetuum quaſi belli ducem (uti de Lacedæmoniorum Regibus loquitur Ariſtot. *3. Pol 14.*) non habuerunt, Vnde Tacitus L. II Annal. cap. 44 ſcribit: *Maroboduum Regis nomen inviſum apud populares; Arminium pro libertate pugnantem favor, habebat.* Cum enim Germani libertatis famâ Græcis juxta ac Latinis monumentis maximè celebrentur, non potuit non ipſis merè Regium imperium eſſe inviſum, Democratica autem reipublicæ adminiſtratio libertatem affectantibus gratiſſima uti conſtat eſt IV. *Pol. 4.*

IV. Hi itaque populi bellum ſuſcepturi omninò neceſſe habuerunt unum aliquem, reſpectu habito ad bellicam virtutem, eligere totique exercitui præficere, quem proculdubio Heertog vel Heerzog dixere. Vide *Phil. Cluver. L. 1. ant. Germ. cap. 46.* Exemplum invenire licet apud Tacitum *L. 4 Hiſtor. cap. 15* in Brinione Caninefate Quippe cum Civilis Batavus rebellionem in Romanos Batavis ſuis perſuaſiſſet, tractis in belli ſocietatem Caninefatibus ac Friſiis, *Brinio, ſtolidæ audaciæ Caninefas, claritate natalium inſignis, quippe cujus pater multa hoſtilia auſus Cajanarum expeditionum ludibrium impunè ſpreverat; igitur ipſe rebellis familiæ nomine placuit, impoſitusque ſcuto more gentis & ſuſtinentium humeris vibratus, dux diligitur*, totius ſcilicet exercitûs, qui ex Batavis Caninefatibus ac Friſiis conſtabat. Ritum, quem in præficiendo Duce adhibuerunt,

runt, diſcimus ex proximè allatis verbis. Deligebatur nimirum dux à multitudine in Concilio; delectus ſcuto imponebatur, atque in ſublime ſuſtinentium humeris elevabatur, inque gyrum circumlatus dux belli decreti ſalutabatur. Quem eundem morem etiam in Regum conſtitutione à Germanis, ut & interdum à Romanis militibus Imperatorem declarantibus, adhibitum eſſe, teſtibus confirmat Cluverius *d. c. 46.*

V. Poteſtatem illorum ducum quod attinet, in eâ definiendâ diſcrepant Julius Cæſar & Tacitus. Ille *poteſtatem vitæ & necis* ipſis adſcribit; hic verò allegatis *th. 1.* verbis hæc ſubjicit: *cæterum neque animadvertere, neque vincire, ne verberare quidem, niſi Sacerdotibus permiſſum: non quaſi in pœnam, nec ducis juſſu, ſed velut Deo imperante.* Verùm cum Tacito res Germanicæ magis perſpectæ fuerint, potior ei meritò fides habenda; præſertim cum non veriſimile ſit, ejuſmodi temporario duci plus Germanos tribuiſſe, quàm perpetuo belli duci ſive Regi. Cujus quæ fuerit poteſtas ipſe docet Cæſar L. v. *de Bell. Gall.* ubi refert orationem Ambiorigis Eburonum dimidiæ partis Regis, in quâ habetur: *id quod fecerit de oppugnatione caſtrorum non judicio aut voluntate ſuâ feciſſe ſed coactu Civitatis: ſuaque eſſe ejuſmodi imperia, ut non dinem.* Neque tamen hinc colligendum, [illegible] poteſtatis fuiſſe ducibus. Parendum enim utique erat ipſorum imperatis, licet ipſi in inobedientes animadvertere non potuerint, nec ſoli de re alicujus momenti ſtatuere. Unde legimus apud Tacitum *L. 2. Annal. c. 45:* Inguiomerum cum manu clientum ad Maroboduum perfugiſſe, *non aliam ob cauſam, quàm quia fratris filio juveni* (Arminio duci) *patruus ſenex parere dedignabatur.* At verò

 finito

finito bello hisce ducibus nullam competiiſſe poteſtatem, ſatis apparet. Eoſdem tamen inter nobiliores relatos & magno in honore fuiſſe, quis dubitet?

VI. Caeterum cum non duntaxat opus ſit Civitati, ſi velit tueri libertatem, ut in eâ ſint qui bella gerant, ſed etiam quàm maximè neceſſarium ſit, ut ſint qui jus dicant, docente Ariſtotele 4. *Pol.* 4: hinc quoque à Germanis non tantùm bellicus magiſtratus conſtitutus eſt, ſed & electi ex nobilitate qui jura per pagos vicoſque redderent, quos ab antiquiſſimis temporibus Graben (quæ vox judicem ſignificat, *gloſſ. ſpec. Sax. L. 3. art. 13.* Ein Graff bedeut nach altem Sächſiſchen Deutſchen ein Richter / darumb haben dieſen Nahmen viel unterſchiedene Richter) dictos, ſequior ætas nomine in Imperio Romano pòſt Conſtantinum uſitato *Comites*, Cæſar & Tacitus *Principes* appellant. Ita enim ille L. VI. de bell. Gall. *in pace nullus eſt communis magiſtratus, ſed Principes regionum atque pagorum inter ſuos jus dicunt controverſiasque minuunt.* Hujus verba ſunt: *Eliguntur in iiſdem Conciliis & Principes, qui jura per pagos vicosque reddunt.* c. 12. de Mor. Germ. Item c. 11. *De minoribus rebus Principes conſultant, de majoribus omnes: ita tamen, ut ea quoque pertractentur.* De iiſdem idem c. 13. ait: *inſignis nobilitas aut magna patrum merita Principis dignationem & adoleſcentulis aſſignant:* Ex quibus monumentis apparet, à quibus & ex quibus electi, & quod eorum fuerit officium, ut & quæ poteſtas cum reſpectu totius reipublicæ, tum reſpectu vicorum vel pagorum, cui juris dicundi gratiâ præfecti erant.

VII. Reſpectu nempe totius reip. nobilium illorum magiſtratuum (der Graben) autoritas ferè in duobus conſiſte-

bat,

'bat, 1. quod haberent poteſtatem, ut ſoli de minoribus rebus conſultarent, 2. quod poſſent de majoribus rebus προαιαχρίνειν ſive προβουλεύειν, quâ de re Ariſtoteles 4. *Pol.* 14. & 15. Reſpectu verò pagi & vici, cui præerat Princeps, competebat ipſi juriſdictio, mixtum & merum imperium (ut cum jure Romano loquamur) ita tamen ut quidam ex plebe delecti aſſeſſores jungerentur. Teſtatur hoc diſertè Tacit. *d. c.* 12. *Centeni*(forte ſcrib. *Septeni*) *ſingulis ex plebe comites conſilium ſimul & autoritas adſunt*. Ingenuos autem hoſce comites ſeu Aſſeſſores fuiſſe, ex eodem Taciti libro colligere eſt, dum dicit: *Liberti non multùm ſupra ſervos ſunt, raro aliquod momentum in domo, nunquam in Civitate: exceptis duntaxat iis gentibus, quæ regnantur. Ibi enim & ſuper ingenuos & ſuper nobiles aſcendunt. Apud cæteros impares Libertini libertatis argumentum ſunt. c.* 25. Dicti illi Aſſeſſores, quos Tacitus *comites* vocat, Germanis jam olim fortè aut pòſt Schepen/Schöppen/Schöpfen.

IIX. Hic Germaniæ ſtatus & adminiſtrandæ reipublicæ ratio, adeoque & Ducum, Principum, Comitumq, (ut quidem his nominibus Tacitus utitur) conditio & poteſtas apud Germanos CisRhenanos manſit, uſque dum à Romanis victi, & in provincias redacti, iisque heriles magiſtratus præfecti ſunt. Ita enim Hottomannus c. 3. Franco-Galliæ, *Tertia Provincialium ſervitus erat, ut ne legibus ſuis patriis uterentur, ſed magiſtratus à Populo Romano cum imperio & ſecuribus mitteretur.* Sic apud Tacitum IV. *Hiſtor. c.* 55. legimus ab Imperatore Vitellio ripæ Rheni præfectum fuiſſe Julium Tutorem. Suetonius in *Domitiano c.* 6. bellum civile motum ſcribit à L. Antonio ſuperioris Germaniæ Præſide.

IX. Sciendum verò hîc, apud Romanos *Ducum Comitumque* nomen non eandem ſemper ſignificationem

 habe-

habuiſſe. Etenim *Ducis* quidem appellatio ei primùm tributa, qui exercitum ducebat: poſtea appellati Duces, qui provinciis præerant, præſertim limitaneis. Quorum officium fuit, præeſſe rei militari iſtis in ditionibus. Videatur Onuphrius Panvinius *L. 3. Comm. de Imp. Rom.* 867. Guido Pancirollus *in Not. Imp. part. 1. cap.* 139. & idem *Theſauro var. lect. L. 1. c. 5.* Id quod etiam obtinuit tempore Juſtiniani, ſicut apparet ex Reſcripto ejus ad Beliſarium quod habetur *in l. 2. C. de offic. præf. prat.* Vlterius deinde Ducum poteſtas non ad res militares ſolùm reſtricta, ſed & ad juris dicundi poteſtatem extenſa. *Comites* autem initiò apud Romanos nominabantur, qui ſocii ſive adjuncti alicujus erant. Sic Papinianus Aſſeſſores judicum *comites* vocat in *l.* 4. *de off. Aſſeſſ.* ut & Macerin. *l. 5. D. ad L. Jul. repet.* Qui ergo in contubernium Imperatoriæ Majeſtatis adſciti (uti adſcivisse optimos quosque de Senatu Hadrianum, ſcribit Spartianus) etiam *Comites* appellati ſunt, quorum operâ & Conſiliis in bello & pace Imperatores uſi. Cum deinde Conſtantinus Magnus plurimis miniſteriis aulicis, nec non provinciis, partim ut militibus præeſſent, partim ut jus dicerent, quosdam præficeret, ejuſmodi Comitibus ad iſtas præfecturas adhibitis, nomen ipſis *Comitum* manſit, & dignitas *Comitiva* dicta. Hinc paſſim occurrit mentio Comitis ſacrarum largitionum, Comitis rerum privatarum, Comitis Archiatrorum. *Vid. Caſſiodor. L. 6. var. c. 7. 8. 18.* Comitivæ Syracuſanæ, Neapolitanæ, *Vid. Idem capp. poſter. L.* 6. *Add. & L.* 7.

X. Superatâ itaque à Romanis Germaniâ CisRhenanâ, eam in plures provincias diſtribuerunt, iisque vel Duces, vel Comites, vel Duces & Comites præfecerunt. Ita legimus Ducem Germaniæ primæ, Ducem Moguntiacenſem, Comitem Argentoratenſem, Ducem Sequanicæ,

nicæ, Ducem Rhetiæ primæ & ſecundæ, Ducem Belgicæ ſecundæ &c. vid. *Notit. Imp.* & in eam Pancirol. *parte* 2. *cap.* 25. *& ſeqq.* Lehman. *L.* 1. *Chron. Spir. c.* 9. Ammianus Marcellinus *L.* 27. *ab initio* mentionem facit Carietronis Comitis per utramque Germaniam: & ſæpiùs idem ſuâ in hiſtoriâ Comites nominat, quos Romani conſtituiſſent.

XI. Apud Trans-Rhenanos Germanos diutiùs manſit antiqua reipublicæ facies: verùm Francis omnia ſibi ſubjicientibus & illa mutata eſt. Certè apud Saxones veterem reipublicæ adminiſtrationem ad Francorum tempora duraſſe, diſertè docet Witichindus *L.* 1. Verba ejus ſunt: *A tribus enim Principibus totius gentis Ducatus adminiſtrabatur, certis terminis exercitus congregandi poteſtate contenti. Quos ſuis locis ac vocabulis novimus ſignatos, in Orientales ſcilicet populos, Angarios atque VVeſtvalos. Si autem univerſale bellum ingrueret, ſorte eligebatur, cui omnes obedire oportuit, ad adminiſtrandum imminens bellum. Quo peracto, æquo jure ac lege, propriâ contentus poteſtate unuſquiſque vivebat.* Hæc ille. Unde obiter diſcere eſt, quàm fabuloſa ſint illa, quæ vulgò narrantur de Witechindi Regiâ in omnes Saxones poteſtate. Quanquam illa etiam hinc poſſint refelli, quod nullius Regis Saxonici in hiſtoriâ rerum Caroli Magni fiat mentio, & Witichindus ſolis Angrivariis dicatur præfuiſſe. Cæterum Franci, morem Romanorum ſecuti, omnes terras in provinciæ formam redegerunt, & interdũ præcavendæ defectionis ab hoſtibus, nec non commodioris adminiſtrationis, gratiâ *Duces*, id eſt ſummos gubernatores nonnullis earum præfecerunt, quibus interdum Comites adjuncti; vel etiam Comitibus provincias ſine Ducibus regendas concrediderunt. Confirmat hæc, quæ diximus, Beatus Rhenanus L. II. Germ. *In*

hoc, inquiens, *Romanos imitati ſunt Franci. Nam illi provinciarum rectores Duces appellabant, id quod ex libro magiſtratuum Romanorum ſatis liquet. Vnde formula Ducatus Rhætiarum apud Caſſiodorum in Variis. Deligebant autem Ducem ex nobili familiâ. Sic Bojaris Agilolfingorum antiqua gens diu Duces dedit, ex quâ VVelphones prodiiſſe ſuſpicor. Hoc autem privilegium habebat ea familia à priſcis Francorum Regibus, ut ſi quis fidus Regno prudensque ex eâdem progenitus compertus fuiſſet, non aliunde quiſquam aſciſceretur in Ducem. Ergo primam dignationem ſub Francis in Alemanniâ habebat Dux, proximam Comites.* Similiter Vadianus L. 1. de Colleg. Monaſterior. in Germ. vet. *Franci Reges*, dicit, *Regnum ſuum Ducum maximè & Comitum operâ moderabantur: qui in illâ quidem ætate non ſuam ſeu propriam ſed publicam Regni ditionem adminiſtrabant.*

XII. Duces igitur quod attinet, conſtat ex jam adductis Rhenani verbis, eos ex nobili familiâ optimeque de patriâ meritâ à Rege & Proceribus electos, ita tamen ut filius dignus parentis munere non facilè præteritus ſit. Dignitatem hanc ſummam fuiſſe, non tamen aliam quàm alicujus magiſtratus, Vadiani verba docent. Provinciarum videlicet, quas gubernabant, plenum dominium apud Regem & populum manſit: ipſi ſolam adminiſtrationem & juriſdictionem quoad Eccleſiaſticas & civiles cauſas habebant. Vti videre eſt ex legibus adminiſtrationi Ducis Bajoariæ præſcriptis, quæ extant apud Aventin. *L. III. Annal.* & Lehman. Chron. Spirenſ. *L.* 2 *c*, 16. Unde idem Vadianus *cit. loco. Illâ ætate*, inquit, *Duces & Comites non ſui juris, ſed Regum atque Imperatorum officiarii veluti atque miniſtri erant.* Fuit autem & horum Ducum, neceſſitate exigente, militiæ præeſſe. Sic enim

in

in LL. Alemannorum cap. 35. dicitur: *dum Dux utilitatem Regis poteſt facere, id eſt, exercitum gubernare, &c.*

XI. Sub his Ducibus aliquando erant Comites, h. e. inferiores judices, qui in Civitatibus ac pagis provinciarum & in Eccleſiaſticis & civilibus jus dicebant. Lege Lehmannum *L. 2. c. 21. 22. 23.* Atque Comites etiam belli præſides erant, ut conſtat ex Paulo Diacono *L 5. c. 14.* dicente: *Is (Alahis) dum Dux eſſet in Tridentinâ Civitate, cum Comite Bajoariorum, quem illi Gravionem dicunt, qui Bauzanum & reliqua caſtella regebat, conflixit, eumque mirificè ſuperavit.*

XIII. Quamvis autem expreſsâ lege, teſte Lehmanno *L. 2. c. 16*, cautum fuerit, ut *ſi quis Dux de provinciâ illâ, quam Rex ordinaverat, tam audax & contumax, aut levitate ſtimulatus ſeu protervus & elatus vel ſuperbus atque rebellis fuerit, qui decretum Regis contempſerit, donato dignitatis ipſius Ducatu careat: inſuper ſpe ſupernæ contemplationis ſciat ſe eſſe condemnatum & vitam ſalutis amittat:* ſucceſſu tamen temporis, autoritate & potentiâ Ducum creſcente, nonnulli iſtorum Reges ſuos ſprevêre, eoſque tanquam ſuperiores agnoſcere noluerunt. Quod pruden- [illegible] Francici Regni tum maximos. Ducatus Bojoaricum & Aquitanicum ſuſtulit, provinciis illis inter plurimos Comites diſtributis: magno Regiæ poteſtatis bono. Teſtatur hoc de Bajoarico Eginhardus in vitâ Caroli hiſce verbis: *Thaſſilo Dux Bavariæ ad Regem evocatus, nec redire permiſſus, neque provinciæ, quam tenebat, ulterius præeſſe, ſed Comitibus ad regendum commiſſa eſt.* Eodem modo & alios Ducatus in plures Comitatus tranſmutavit. Vide Lehman. *L. 2, c. 16.* Unde imperante ſtirpe Carolina, in hiſtoriâ Francica provinciarum guber-

gubernatores Comites ſeu Graviones plærumque appellantur, rarò Duces: & licet fortè ab hiſtoricorum aliquo quis Dux dicatur, idem tamen ejuſdem provinciæ ab alio Comes vocatur.

XIV. Fuit verò tempeſtate Francorum, præſertim ætate Caroli Magni & ſequenti, duplex magiſtratus, alius Eccleſiaſticus, quem gerebant Epiſcopi circa ſacra occupati, alius ſecularis: iſque vel ſtatus & ordinarius *Judicum*, vel extra ordinem *Legatorum*. Illi dicebantur *Graviones*, qui tunc Latinum nomen ex more Romanæ reipublicæ acceperant *Comitum*. Duces ſi qui fuêre Comitum poteſtate uſi ſunt. Poteſtate autem magnâ hi fuêre præditi, vicariâ tamen tantùm, non propria. Conſiſtebat ea in jure dicundo, & ſi neceſſitas efflagitaret, in ducendo cives in aciem. Fidem dictis faciunt quæ in Capitulis Caroli & Ludovici Impp. ab Anſegiſo collectis habentur L. 3. c. 25. *In Veſontio quæ eſt Diœceſis Bernoini Archiepiſcopi Herminus Epiſcopus & Monogoldus Comes. In Moguntiâ, quæ eſt Diœceſis Heiſtulfi Archiepiſcopi, idem Heiſtulphus Epiſcopus & Adalbertus Comes. In Coloniâ Hadaboldus Archiepiſcopus & Ermundus Comes, &c.* Spectant huc, quæ ſcribit Marquardus Freherus in comment. de Lupoduno p. 12. *Erat tum temporis* (Pipini Caroliique ævo) *Francorum ditio totaque Germania vetus in pagos tributa, ſingulisque pagis, quibus unus Comes præpoſitus, ſua villa: inter quas præcipua Comitis domicilio cedebat, in qua ſedem & aulam ſuam (quam Salam ipſi vocant,) tribunalque & auditorium (quod Mallum illis) haberet, ubi more majorum jus diceret, &c.*

XV. Officium horum Comitum patet ex iis, quæ ex diplomate quodam Caroli Magni adducit Heinricus Meibomius in *Vindiciis Billinganis. Quapropter in illa parte Saxoniæ*

Saxoniæ (Weſtvalia) *Trutmannum virum inluſtrem ibidem Comitem ordinamus, ut reſideat in curte ad campos, in mallo* (judicio) *publico ad univerſorum cauſas audiendas, vel recte judicia terminanda: iſque Advocatum omnium Presbyterorum in totâ Saxoniâ fideliter agat, ſuperque vicarios & Scabinos, quos ſub ſe habet, diligenter inquirat & animadvertat, ita ut officia ſua ſedulo peragant.* Idem Comitibus inculcant Capitula Caroli & Ludovici, ex quibus quod habetur Lib. 2. c. 6. adſcribemus: *Vobis verò Comitibus dicimus, voſque commonemus: quia ad veſtrum miniſterium maximè pertinet, ut reverentiam & honorem ſanctæ Dei Eccleſiæ exhibeatis, & cum Epiſcopis veſtris concorditer vivatis, & eis adjutorium ad ſuum miniſterium peragendum præbeatis, & ut vos ipſi in miniſteriis veſtris pacem & juſtitiam faciatis, & quæ noſtra autoritas publicè fieri decernit in veſtris miniſteriis ſtudiosè perficere ſtudeatis. Proinde monemus veſtram fidelitatem, ut memores ſitis fidei nobis promiſſæ, & in parte miniſterii noſtri vobis commiſſi, in pace ſcilicet & juſtitiâ faciendâ voſmet ipſos coram Deo & hominibus tales exhibeatis, ut noſtri veri adjutores & populi conſervatores juſtè dici & vocari poſſitis. Illos quoque, qui temeritate & violentiâ in furtis & latrociniis ſive rapinis communem pacem populi perturbare moliuntur, veſtro ſtudio & correctione, ſicut decet, compeſcite. Etſi aliqua perſona in aliquo vobis impedimento fuerit, quin ea quæ dicimus facere non valeatis, nobis ad tempus illud notum fiat, ut noſtra autoritate adjuti miniſterium veſtrum dignè adimplere poſſitis.* Addemus etiam ex Lib. V. c. 5. *volumus ut Comites, qui ad cuſtodiendam maritimam deputati ſunt, quicunque ex eis in ſuo miniſterio reſidet, de juſtitiâ faciendâ ſe non excuſet propter illam cuſtodiam; ſed ibi ſecum ſuos Scabinos habeat, ſic ibi placitum teneat & juſtitiam faciat,*

ciat. Vide *Lib. 2. c. 23. 24. Lib. 3. c. 50. Leg. Bojoar. t. 2. Marculphi formul. 32. in Cod. LL. Antiq. Frid. Lindenbrogii.* His Comitibus fuerunt adjuncti *Scabini* ſive Aſſeſſores, & quidem ex plebe electi, de quibus *Lib. 3 c. 39. Capit. Addit. t. 4. 73. 74.* Legatorum ſeu Miſſorum officium clarè proponitur in Capitulis Carol. & Ludov. *Lib. 2. c. 26.* his verbis: *Ad hoc à vobis Miſſi conſtituti, ut ſi quilibet Epiſcopus aut Comes miniſterium ſuum propter quodlibet impedimentum implere non posſit, ad eos recurrat: & cum eorum adjutorio miniſterium ſuum adimpleat. Et ſi talis cauſa fuerit, quæ per eorum admonitionem emendari non posſit, per eos ad noſtram notitiam deferatur. Et ſi fortè Epiſcopus aut Comes aliquid negligentiùs in ſuo miniſterio egerit, per iſtorum admonitionem corrigatur. Et omnis populus ſciat ad hoc eos eſſe conſtitutos, ut quicunque per negligentiam aut incuriam vel imposſibilitatem Comitis juſtitiam ſuam acquirere non poterit, ad eos primùm querelam ſuam posſit deferre & per eorum auxilium juſtitiam acquirere, &c.* Add. *c.* 27. 28. & *Lib. 3. c. 39.* 87.

XVI. LICET autem nec eâ ætate Comitatus dignitas hereditaria fuerit, nihilominus tamen ferè filii Comitum non negligebantur, id quod atteſtatur Capitulum Caroli Calvi apud Miræum *in Annal. Belgic. A. 877. fol.* 403. quod ita habet: *Si Comes de Regno obierit cujus filius nobiſcum, Filius noſter ordinet de his; qui eidem Comiti plus familiares & propinquiores fuerunt, qui cum Miniſterialibus ipſius Comitatus, & cum Epiſcopo in cujus Parochia fuerit ipſe Comitatus, ipſum Comitatum provideant, ſive regant, uſque dum nobis renuncietur, ut filium illius, qui nobiſcum erit, de honoribus illius honoremus &c.* Vide Chriſtoph. Beſoldum. *Theſ. pract. verb.* Graff.

XVII. Comites porrò alii Marcgraben dicti à voce

March.

March, limitem vel fines notante (vide Lindenbrog. gloſſar. *voc. Marcha*) qui finibus præfecti incurſionibus hoſtium reſiſtebant & ſimul ibi jus dicebant. Alii Landgraven / Comites provinciales. Alii Pallentzgraven / Palatii Cæſaris aut Regis præfecti. De hiſce Hincmarus. *Comes Palatii de omnibus ſecularibus cauſis vel judiciis ſuſcipiendis curam inſtanter habebat ; ut nec ſeculares priùs Dominum Regem abſque ejus conſultu inquietare neceſſe haberent , quouſque ille præviderет , ſi neceſſitas eſſet , ut cauſa ante Regem meritò venire deberet.* Eginhardus de Carolo Magno. *Si Comes Palatii litem aliquam eſſe diceret , quæ ſine ejus juſſu definiri non poterat , ſtatim litigantes introducere* juſſit ; *& veluti pro tribunali ſedens , lite cognita ſententiam dixit.* Alii Burggraven / arci cuidam præfecti. *Ita* (ſunt verba Hugonis Grotii de ant. reipub. Batav. c. 5.) *VVaſſenariorum proavi ante Didericum Burggravii fuere , hoc eſt judices arcis ejus , quæ in locum Vrbis Lugduni Batavorum à Normannis , ut credibile eſt , diruti , ſucceſſerat , ſimulque agri adjacentis : quibus etiam vectigalia , velut amnis Rheni cuſtodibus , ſolvebantur. Quæ in hunc diem penes poſteros eorum manent.*

XIIX. Ex his Ducum Comitumque originem , & uſque ad ſequiora tempora officium, ſatis conſtare opinor. Cum autem adducti Hiſtorici tradant , Ducatus & Comitatus in Germaniâ ad Romanorum imitationem inſtitutos, non adſtipulari poſſumus Cluverio *Lib. 1. c. 48. Ant. Germ.* ita ſcribenti : *Romani olim , ut multa alia à Germanis mutuati , ſic hos quoque militiæ titulos in ſuam diſciplinam adſumſerunt , præfectos provinciarum Ducum Comitumque adſicientes vocabulis.*

XIX. Etsi verò Carolus Magnus aboleverit Ducatus; poſteri tamen ejus , rebus Regni attenuatis , in Germaniâ Galliâ & Italiâ complures iterum inſtituerunt. Et quidem

ultimis Carolovingorum temporibus Germania, ut eam diſtinxeris à terris quas Venedi inhabitârunt, quinque habuit Ducatus: Bajoaricum, Suevicum, Francicum, Lotharingicum & Saxonicum. Quorum potentia tandem ea fuit, ut Duces hi de provincils ſibi proprio jure attribuendis cogitârint, liberè Regum inſtar regnaturi. Cum enim tempore Ludovici IV ultimi Regis ex Carolinâ ſtirpe, Hungari in Germaniam irruerent, ſcribit Luitprandus Libro 1, c. 6. *nonnullos Ducum Hungaris non ſolùm pugnam non intuliſſe, ſed ut proximi caderent anhelâſſe, ut dum proximi caderent ſoli ipſi liberiùs regnarent.* Et Sigebertus *A. 914.* tradit, *contra Conradum Regem potentiores Regni Principes rebellionem meditatos eſſe: ſcilicet Arnoldum de Bajoriâ, Burckardum de Sueviâ, Everhardum de Franciâ, Giſilbertum de Lotharingiâ, & horum omnium praecellentiorem Henricum Ducem de Saxoniâ & Thuringiâ.* Addatur *d. Lib. 2. Luitprandus c, 7.* Vnde ſatis liquet, hanc in curam tunc incubuiſſe Duces, ut ſe ſubjectioni ſubtraherent & inſtar Regum provinciis praeeſſent. Primus Ducum maximè crevit Otto Dux Saxoniae, qui etiam propterea à defuncto Ludovico electus in Regem. Quam dignitatem licet recuſaverit, & ejus conſilio Conradus Dux Francorum in Regem fuerit unctus, teſtatur tamen Witichindus libro 1, *penes Ottonem ſemper & ubiq; ſummum viguiſſe imperium.*

XX. Suſcipiens Conradus Imperium rurſus in ordinem redigere Duces intendit, & quia inviſam Regno poteſtatem ſibi arrogare cœperant, ſupprimere. Expreſsè hoc de Saxoniae Duce confirmat Witichindus Lib. 1. hisce verbis: *Igitur patre patriae & magno Duce Ottone defuncto, illuſtri & magnifico filio Henrico totius Saxoniae ipſe reliquit Ducatum, Rex autem Conradus cum ſaepe expertus eſſet virtutem novi Ducis, veritus eſt ei tradere omnem poteſtatem patris. Quo factum*

factum eſt, ut indignationem incurreret totius exercitus Saxonici. Ficte tamen pro laude & gloriâ optimi Ducis plura locutus, promiſit ſe majora ſibi daturum, & honore magno glorificaturum. Saxones verò hujuſmodi ſimulationibus non attendebant, ſed ſuadebant Duci ſuo, ut ſi honore paterno eum nollet ſponte honorare, Rege invito quæ vellet obtinere poſſet. Rex autem videns vultum Saxonum erga ſe ſolito auſteriorem, nec poſſe publico bello eorum Ducem conterere, ſuppetente illi fortium militum manu, exercitus quoque innumera multitudine, egit, ut quoquomodo interficeretur dolo, &c. Verum cum Conradus Henrici poteſtatem nullo modo infringere poſſet, periculoſam tamen reipublicæ ejus ὑπεροχὴν videret, optimum exiſtimans remedium huic malo afferri poſſe, ſi ipſe Henricus ſeſe mortuo Rex conſtitueretur, ſuaſit fratri Everhardo, ut eo modo Francorum Regno conſuleret. Id quod pluribus refert Witichindus. Rectè nimirum docet Ariſtoteles 5. Pol. 1. *Melius eſſe initio providere, ne iſtiuſmodi fiant ὑπερέχοντες, quàm poſt exiſtentibus illis remedium quærere.*

XXI. Ergo *primus*, eodem Witichindo dicente, *Henricus liberâ poteſtate regnavit in Saxoniâ.* Cui conſonant quæ de ſtatu Germaniæ ſub Imperatoribus Saxonicis & iis qui hos ſecuti ſunt ſcribit Rhenanus Libro II: *Primum ſub veteribus Francis liberæ poteſtatis Dux fuit in Saxoniâ Henricus Ottonis pater, qui poſteà Germanico Regno præfuit, ceu diximus. Idque eam ob cauſam, ut Sclavinos arceret: diligentiùs autem cuſtodiuntur quæ propria ſunt. Nec hoc jus cuiquam aliorum præſidum conceſſum eſt. At ſub Saxonibus libertatem nacti ſunt non ſolùm provinciarum gubernatores, ſed & Civitates ipſæ. Nam ut quæque plus bonorum, quæ ad Regnum pertinebant, habuit, ita maturiùs & faciliùs ad libertatem pervenit. &c.*

 XVII.

XVII. Hàc itaque ratione illa Comitum Ducumque poteſtas, quæ olim temporalis & miniſtra erat, partim vi, partim emtione, partim profusâ Regum liberalitate, omnino mutavit, ita ut provinciis præſint jam Duces, non ut gubernatores, ſed penè ut Reges: collatis in eos juribus, quæ ſolius olim Imperii erant atque Imperatoris. Quo enim tempore Duces adminiſtratores & rectores tantùm fuere provinciarum, non competebat ipſis autoritate propriâ jus vitæ & necis, non leges ferendi, non magiſtratus conſtituendi, non indicendi conventus, non fœdera faciendi poteſtas; minora quoque, ut vocant, Regalia, ſub quibus viæ publicæ, flumina navigabilia & vectigalia comprehenduntur, imò omnis generis reditus provinciarum non ad rectores illos provinciarum; ſed ad fiſcum Regium pertinebant. Iſthæc omnia præfectis illis *αὐτοκρατορίας* jure in provinciis conceſſa ſunt, ſalvâ tamen ſemper Imperatoris ſuperioritate. Vnde cum non omninò abſolutam poteſtatem habeant, nec majeſtatem propriè eos habere dici poteſt. Vocari verò ſolet eorum poteſtas *jus ſuperioritatis*, Landes Fürſtliche Obrigkeit/ Landes Hoheit und Herrligkeit.

XXIII. Ex his verò apparet, quantum poteſtatis virium & opum Imperatori deceſſerit, & quomodo provinc arũ reſp. in Regiam paulatim mutaverit. Anteà nempe provinciæ pleræq; pleno jure totius Imperii erant: poſt illæ ad gubernatores eorũ venêre, & hinc major ſubditorum illorũ facta eſt potentia ipſius Regis viribus. Anteà fiſcus Regius ſatis opulentus erat; poſtquam autem fiſcalina bona ad alios translata, publica Regni egeſtas ſecuta, & nervus rerum gerendarum Regibus præciſus eſt. Quo ipſo non potuit non priſca reipublicæ forma corrumpi, imò in multas partes dividi. Multis ſcilicet ad eam potentiam pervenientibus, ut cum in ordinem

ordinem à Cæſaribus cogi amplius non poſſent, domi Regna nova ſibi ſuiſque conderent. Quàm verò periculoſum ſit omni Civitati, ſi in eâ ſint, qui viribus, qui nobilitate, qui divitiis maximè excellant, præclarè docet civilis prudentiæ unicus doctor 4. *Polit.* 11. Hinc idem 3. *Polit.* 15, monet, Regem oportere vires habere tales, ut unoquoque ſeparatim & ſimul pluribus potentior ſit, populo tamen ſit impotentior. Quod fortè perpendens Conradus II Imperator Regalia quæ Ducibus conceſſerat, ipſis pòſt adimere conatus eſt, uti tradit autor *Chronici Colonienſis.*

XXIV. Iſti verò Ducum potentiæ maximum incrementum indubiè addidit, quod plures Ducatus vel Comitatus minùs circumſpectâ Regum liberalitate in unum corpus concreverint: quodq; eorundem Regum conceſſione Ducatus & Comitatus ad heredes tandem tranſierint. Etſi hoc quâ ætate factum ſit haud liceat definire. Pertinere huc diſtinctè nonnihil videntur, quæ habentur in Conſuetudinibus feudalibus Lib. 1 tit. 1: *Antiquisſimo tempore ſic erat in dominorum poteſtate connexum, ut quando vellent poſſent auferre rem in feudum à ſe datam: poſteà verò eò ventum, ut per annum tantùm firmitatem haberent: deinde ſtatutum eſt, ut uſque ad vitam fidelis produceretur: ſed cum hoc jure ſucceſſionis ad filios non pertineret, ſic progreſſum eſt, ut ad filios deveniret: in quem ſcilicet dominus hoc vellet beneficium confirmare: quod hodie ita ſtabilitum eſt, ut ad omnes æqualiter filios pertineat. Cum vero Conradus Romam proficiſceretur, petitum eſt à fidelibus, qui in ejus erant ſervitio, ut lege ab eo promulgata hoc etiam ad nepotes ex filio producere dignaretur, & ut frater fratri ſine legitimo herede defuncto, vel filius in beneficio, quod patris fuit, ſuccedat, &c.*

XXV. Porrò Ottonum temporibus Ducales & Comitum poteſtates etiam Epiſcopis atq; Abbatibus cœperunt attri-

bui,,

bui, novo & hactenus inaudito exemplo. Adeoque ex eo tempore duplex cœpit ordo Ducum aut Principum: Secularium ſcil. & Eccleſiaſticorum. Primus autem Bruno Epiſcopus Colonienſis conſtitutus, à fratre Ottone Magno Ducatum Lotharingiæ accepit. Quâ de re ita Witichindus: *Brunonem Pontificis ſummi ac Ducis magni vidimus officium gerentem. Ac ne quis eum culpabilem ſuper hoc dixerit, cum Samuelem ſanctum & alios plures Sacerdotes pariter legamus fuiſſe & Judices.* Idem notat Autor Chron Belgici: *Ante has ſua* (Brunonis) *tempora Archiepiſcopi Colonienſes non judicio gladii temporalis ſed tantummodo Juriſdictione uſi ſunt baculi paſtoralis.* Vt & Theodoricus de Niem præclarus hiſtoricus: *Penè omnibus Cathedralibus Eccleſiis, in Italiâ Galliâ Germaniâ Burgundiâ & Lotharingia conſtitutis, multas civitates, caſtra, oppida, villas & multa alia dominia temporalia, & jurisdictiones donavit* (loquitur de Ottone I) *& omnibus illis Eccleſiis propria inſignia perpetuò deputavit. Archiepiſcopos quoque & Epiſcopos Ducatibus & Comitatibus & Baroniis communivit, quibus nobiles & potentes vaſallos ſubjecit, ut ſemper eſſent ad reſiſtendum etiam manu forti paganis & hæreticis in opportuno tempore fortiores.*

XXVI. ATQVE hoc modo Eccleſiaſtica & Secularis poteſtas in unâ perſonâ jungi cœpit, Epiſcopis, perinde ac Principibus Secularibus, provinciis quibuſdam inveſtitis. Quo ipſo potentia illorum nimium quantum crevit, ad religionis opinionem in populo rudi ac pio tantis viribus & armis accedentibus. Enimverò multis ſecutis temporibus illi Eccleſiaſtici Duces potentiâ præ aliis eminuerunt: neque ipſi Cæſares alios magis metuendos habuerunt. Vnum tamen ad compeſcendam tantam potentiam frenum ſuperfuit Cæſaribus: libera nempe omnium Epiſcopatuum & Abbatiarum collatio, & quidem eò liberior,

quod

quod in cœlibe vitâ nulla illi Principum ordini legitima ſoboles naſceretur, cujus in Secularibus omninò habenda fuit ratio; maximè poſteaquam hi hæreditario jure magna illa Imperii feuda cœperunt poſſidere. Excuſſum autem & hoc frenum eſt Cæſarum manibus, Gregorii ſeptimi Papæ & ſucceſſorum ejus ſacrâ tyrannide: quo ipſo Cæſares dimidium Imperii perdidiſſe, prudenter & verè notavit Onuphrius Panvinius *in vita Georgii Septimi.*

XXVII. Occaſionem quoque Ducibus ad ſolvenda Regiæ autoritatis vincula dedit immatura Henrici IIII imperium adeuntis ætas, uti obſervavit Albertus Abbas Stadenſis; *Gubernaculo*, ajens, *Regni mulier cum puero magno Imperii præfuit detrimento. Indignantes enim Principes aut muliebri poteſtate conſtringi aut infantuli ditione regi, primò quidem conjuncti vindicarunt ſe in priſtinam libertatem, ut non ſervirent: deinde contentionem moverunt inter ſe, quis eorum videretur eſſe major; poſtremò armis audacter ſumtis Regem & dominum ſuum deponere moliti ſunt.* Laboravit Henricus quidem, recuperare pereuntem dignitatem: ſed neque ſatis omnia prudenter egiſſe dicitur, & intervenêre nonnulla fatali quadam adverſitate, quæ penitus ipſum tandem Regno atque omni plane autoritate exuerunt. Nec verò à prudentibus laudatur, quod ab Epiſcopis in ordinem redigendis reparandæ dignitatis initia voluerit facere. Quin nec id prudenter inceptum, quod cum Saxonicorum Principum potentiam, utpote ſibi præcipuè ſuſpectam, imminutam vellet; militari licentiâ irritari eós antè paſſus, mox uno illos impetu ad obſequium cogere, conatus ſit: cum tamen nec rebus ſatis firmis eſſet, & prætereà jam tum, cùm alios Principes, tùm inprimis Epiſcopos multis injuriis offendiſſet, adeoque in impietatis ac injuſtitiæ opinionem ſe conjeciſſet: quibus

Regiam vim affectanti nihil eſt pernicioſiùs. Sapientiſſimè ſcilicet Ariſtoteles jubet : *Si alicujus potentia videatur diſſolvenda , erit hoc ſenſim ac paulatim faciendum , nec univerſa ſimul auferenda ; prætereà abſtinendum ab omni injuriâ.*

XXIIX. QVANQVAM verò mirum in modum Ducum Comitumque potentia creverit , nonnullorum tamen ſenſim iterum eſt imminuta. Ejus autem rei non unam licet cauſam obſervare. Primam putamus neglectum ærarii & quod vitam luxurioſè & in ſocordiâ duxerint , prodigalitatis vitio quoque laborârint. Cum enim divitiæ ſint inſtrumentum reipublicæ teſte *Ariſtot.* 1. *Polit.* 8. neceſſe eſt, ſi illæ ærario inferri non curentur , & tamen luxurioſè vivatur , optimo conſervandæ potentiæ organo deficiente , ipſam potentiam deficere. Imminuit deinde eandem, quod bella intempeſtiva & contentiones inter ſe moverint , ſicuti teſtatur Albertus citatis verbis. Præterea maximè illis obfuit multorum bonorum feudalium in unum aliquem collatio , quâ ſubditos quoſdam potentes & divitiis excellere ſuâ in republicâ effecerunt , quod quàm noxium ſit jam antè ex Ariſtotele 4. *Polit.* 11. monuimus , ubi iſtos ὑβρισταὶ καὶ μεγαλοπονηροὶ μᾶλλον fieri , neque imperium ferre poſſe nec ſcire, eleganter dicit. Hinc ſane conſpirationes nobilium in Principes ; eandem fortunam Principibus ex nobilium ſuorum potentiâ experientibus ; quam Reges ex Principum potentiâ conſecuti ſunt.

XXIX. Plurimùm porrò Ducum Comitumque vires exhauſit Ducatuum & Comitatuum in minutas particulas pro multitudine , qui illuſtribus familiis nati erant, diviſio. Hâc enim ratione bona , quæ unus poſſidebat , & maxima , quæ apud unum erat , potentia pluribus communicata non potuit non attenuari. Quod procul dubio atten-

dens Fridericus Imperator prohibuit Ducatum, Marchiam, Comitatum dividi, ut habetur in *L. 2. feud. tit. 55.* §. 1. Hinc pulchrè Oldradus de Ponte JCtus (qui floruit anno CIↃ CCC XX. *conſ. 237. n. 7.*) *Avorum noſtrorum memoria feuda dignitatum apud unum ex familiâ, præſertim ſeniorem, ſemper ſarta tectaque conſervata ſunt; quia prudenter conſiderarunt, nihil eſſe tam magnum quod diviſione parvum non fiat.* Vide etiam Andream Gailium *L. 2. obſ. pract. 153. n. 2.*

XXX Multùm denique poteſtatis Ducibus atque Comitibus deceſſit, cum ſeculo præter propter duodecimo Vrbes, quæ plæræque illis omnino ratione juriſdictionis & onerum fiſcalium ſubjectæ fuerant, in libertatem maiorem paulatim evectæ ſunt. Auctis enim oppidanorum viribus & divitiis, atque inde ad libertatem, ut fieri ſolet, adſpirantibus, ipſi Imperatores in id incubuêre, tanquam ſublevandæ Regiæ dignitati admodum proficuum, ut Vrbes potentiores Epiſcoporum Ducum & Comitum Imperio ſubducerentur. Prætereà creſcente magis magiſque Vrbium opulentiâ, Ducum verò & Comitum potentiâ decreſcente, Vrbes Imperium eorum detrectare cœpêrunt; unde levi ſæpe ære à Ducibus & Comitibus ſuis, qui illos in officio retinere non poterant, egregias immunitates redemerunt, partim etiam vi expreſſerunt. Atque hinc factum, ut plurimæ Vrbes vel omnino, ut Imperiales, vel ex parte, ut aliàs immunitatibus gaudentes, imperio Ducum Comitumque exemptæ ſint, & reliquæ quoque Vrbes omnes liberiore republicâ nunc vivant. Id quod ſanè Epiſcoporum Ducum atque Comitum poteſtatem maximè fregit. Accedit, quod & Comites ſe Ducum, quibus ſubjecti fuêre, gubernationi eâdem ferè ratione ſub-

traxerint: atque adeò Comitum quidem potentia aliquo modo aucta, Ducum verò magis fuerit imminuta.

XXXI. Licet verò has ob cauſas potentiæ Ducum multùm deceſſerit, ſatis tamen magna ea ſemper manſit, non ſolùm reſpectu provinciarum ſubjectarum, quas eodem modo eâdemque ferè poteſtate regunt, quâ totum Regnum Imperator regit, ut dictum *th. 22:* verùm etiam reſpectu totius Imperii, cui unà cum Imperatore diviſis majeſtatis juribus præſunt.

XXXII. Conſtat quidem, jam tempore Caroli Magni Duces Comitesque provinciarum Proceres etiam Regni fuiſſe, & licet totus populus ad curam reipublicæ admiſſus fuerit, atque jus ſuffragii habuerit, illis tamen plus autoritatis tributum. Liquet hoc ex iis, quæ ex Adelhardi (propinqui Caroli Magni) libello de Ordine Palatii refert Hincmarus Epiſt. 3. c. 29.: *Conſuetudo tunc temporis trita erat ut non ſæpius ſed bis in anno placita duo tenerentur; unum quando ordinabatur ſtatus totius Regni ad anni vertentis ſpatium, quod ordinatum nullus eventus rerum niſi ſumma neceſſitas, quæ ſimiliter toti Regno incumbebat, mutabat. In quo placito generalitas univerſorum Majorum tam Clericorum quam Laicorum conveniebant. Seniores propter Conſilium ordinandum: Minores propter idem Conſilium ſuſcipiendum & interdum pariter tractandum, & non ex poteſtate, ſed ex proprio mentis intellectu vel ſententiâ confirmandum.* Quod autem per *Seniores* intelligat Primores & per *Minores* plebem claret ex iis quæ habentur c. 35. *ejuſd. ep.* Vbi diſertè ſcribitur, *diſtinctis locis in Comitiis iſtis Seniores & Multitudinem reſediſſe.* Fuiſſe verò inter Primores illos Duces & Comites, videre eſt ex aliis monumentis. Sic apud Theganum Chorepiſcopum Trevirenſem *lib. de geſt. Ludov. Imp. c. 6.* de Carolo Magno legitur, *Imperator*

perator cum intellexiſſet, appropinquare ſibi diem obitus ſui, vocavit Filium Ludovicum ad ſe cum omni exercitu. Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus loco poſitis, habuit grande colloquium cum eis Aquiſgrani in Palatio, pacificè & honeſtè admonens, ut fidem erga filium oſtenderent, interrogans omnes à maximo uſque ad minimum ſi eis placuiſſet, ut nomen ſuum, id eſt, Imperatoris titulum, filio ſuo Ludovico tradidiſſet, illi omnes reſponderunt &c. Initium Legum Alemannicarum ita ſe habet: *Lex Alemannica, quæ temporibus Lotharii Regis cum Principibus ſuis id eſt 33. Epiſcopis, 34. Ducibus, 72. Comitibus & reliquo populo conſtituta eſt.*

XXXIII. Verùm mutatâ atque auctâ Ducum Comitumque poteſtate, majorem quoque eorum autoritatem in ſuffragiis de totius Imperii rebus ferendis factam eſſe, & quamvis populus non omnino excluſus fuerit ejus tamen autoritatem admodum exiguam extitiſſe, omninò dicendum videtur: præſertim pleriſque Vrbibus Ducum Comitumq; liberæ poteſtati ab Imperatoribus ſubductis. Inde enim plurimis Vrbibus in libertatem exſurgentibus, autoritatem etiam earundem in ſuffragiis ferendis iterum creviſſe, ſequitur.

XXXIV. Caeterùm inſignis quoad Ducum, atque Comitum, ut & totius Populi jura, quæ reſpectu totius Imperii habuere, mutatio contigit, cum electio Regis, quæ ab antiquis temporibus penes omnes Epiſcopos, Duces, Comites, ac univerſum Populum erat, ad ſeptem Regni Proceres delata eſt. Hi enim paulatim alias etiam prærogativas præ reliquis Ducibus conſequuti ſunt. De hujus autem mutationis primordio maximum inter viros doctos eſt diſſidium.

XXXV. Hoc quidem certum jam antiquitus obti-

tinuiſſe, ut quidam Primorum ea haberent munera, quæ hodie etiam Electoribus adſcribuntur. Ita *Apocriſiarii*(alias *Archicancellarii*) ſæpius facit mentionem Hincmarus & alii. Vide *Lehman. Libro* 2. *c.* 7. *De Archicamerario* in Annal Franc. 828: *Ludovicus Imperator Bernhardum Comitem Barcinonæ Camerarium in Palatio ſuo conſtituit.* Mareſchalcus Comes ſtabuli dicitur Hiſtoricis. Regino *Libro* 2. *Carolus Magnus Burchardum Comitem ſtabuli, quem corruptè Conſtabulum appellamus, cum claſſe miſit in Corſicam, ut eam à Mauris defenderet.* Arcipincernæ munus itidem invenire eſt in Annal. Franc. A. 781. *Electi ac directi ſunt in legationem ad Taſſilonem in Bajoariam de parte Regis Rudolphus Diaconus, atq; Eberhardus Magiſter Pincernarum.* Archidapifer Eginhardo in vita Caroli Magni vocatur *Præpoſitus Regiæ Menſæ.*

XXXVI. VERÙM licet fortè hi miniſteriales Regii (ut appellantur ab Hincmaro) honoratiore aliquo loco fuerint, electio tamen Imperatorum ipſis ſolis non competiit. A primâ enim Imperii Germanici conſtitutione ſemper fuit obſervatum, ut omnes Principes cum Populo Imperatorem eligerent. De Carolo Magno ita Eginhardus: *Carolus fratre defuncto conſenſu omnium Francorum Rex conſtituitur.* De ejus Filio Thegani Chorepiſcopi verba idem teſtantur ſupra th. 23. allata. De Conrado Witichindus Libro I: *Regi Ludovico non erat filius, omniſque Populus Francorum atque Saxonum quærebat Ottoni diadema imponere Regni. Ipſe verò quaſi jam gravior recuſabat Imperii onus, ejus tamen conſultu Conradus quondam Dux Francorum ungitur in Regem.* De Henrico itidem Witichindus Libro I: *Everhardus (frater Conradi) congregatis Principibus & natu majoribus exercitus Francorum in loco, qui dicitur Fridisleri deſignavit eum Regem coram omni Populo*

Francorum

Francorum atque Saxonum. De Ottone I idem: *Defuncto patre patriæ & Regum maximo optimo Henrico, omnis Populus Francorum atque Saxonum jam olim deſignatum Regem à patre filium ejus Ottonem ſibi elegit Regem.* Eodem modo electus fuit Otto II teſte Reginone A. 961: *Rex Otto I in Italiam ire diſponens, maximam ſuorum fidelium multitudinem VVormatiæ coadunavit. Ibi conſenſu & unanimitate Regni Procerum totiusque populi filius ejus Otto Rex eligitur.* Sic & Otto II, A. 983, Veronæ placitum habuit (ut ſcribit Dithmarus) ut filius ejus Otto III ab omnibus in Dominum eligeretur.

XXXVII. Hujus Ottonis III tempore ad ſeptem tantùm Proceres deveniſſe jus eligendi, plerorumque eſt ſententia. Sed quò minùs iſti ſubſcribi poſſit, obſtant veriſſima & certa hiſtoriarum monumenta etiam poſt ejus ætatem non à ſolis ſeptem electionem peractam apertè tradentia. Id de Ottonis III ſucceſſore Henrico II teſtatur Dithmarus Libro 4. & 5. Sequentis Imperatoris Conradi II electionem fusè narrat Wippo his verbis: *Conſedêre Principes populus frequentiſſimus adſtabat. Archiepiſcopus Moguntinenſis, cujus ſententia ante alios accipienda fuit, rogatus à Populo quid ſibi videretur, abundanti corde, voce hilari laudavit & elegit majoris ætatis Cunonem ſuum in Dominum & Regem atque rectorem & defenſorem patriæ. Hanc ſententiam cæteri Archiepiſcopi & reliqui ſacrorum ordinum viri indubitanter ſequebantur. Tunc ſinguli de ſingulis Regnis eadem verba electionis ſæpiſſimè repetebant. Fit clamor Populi. Omnes unanimiter in Regis electione Principibus conſentiebant, in illo perſiſtebant, ipſum cunctis dominantibus nihil hæſitando propoſuerunt.* Idem de Henrico III. IV & V hiſtoricâ fide firmat Lehmannus *Libro 5. c. 27.*

XXXIIX. De Lothario II. Otto Friſing. Libro 1. de geſt.

geſt Frider. c. 16. ſcribit: *Igitur Albertus, nam id juris, dum Regnum vacat, Moguntini Archiepiſcopi ab antiquioribus eſſe traditur, Principes Regni in ipsâ Civitate Moguntinâ tempore autumnali convocat, malorumque à Duce Friderico ſibi illatorum haud immemor, cum prædictus Dux ad Regnum à multis expoſceretur, ipſe Lotharium Ducem Saxonum in Regem à cunctis qui aderant Principibus eligi perſuaſit.* Idem c. 22 de Conrado III. *Defuncto Imperatore Lothario, ac in Monaſterio Lutre, quod in ejus proprio fundo ſitum eſt, humato, Principes Regni apud Galliæ oppidum Confluentiam, ubi Moſella Rhenum influit, conveniunt, & de eligendo Principe conſilium ineunt. Igitur Conradus Friderici Ducis frater, ab omnibus qui aderant, expoſcitur, ad Regnumque levatus in palatio Aquis coronatur.* De Friderico I Libro 2. c. 1: *Decedente Conrado, in oppido Franconefurt de tam immensâ tranſalpini Regni latitudine univerſum, mirum dictu, Principum robur, non ſine quibuſdam ex Italiâ Baronibus, tanquam in unum corpus adunari potuit. Ubi cum de eligendo Principe primates conſultarent, (nam id juris Romani Imperii apex, videlicet non per ſanguinis generationem deſcendere, ſed per Principum electionem Reges creare, ſibi tanquam ex ſingulari vindicat prærogativâ) tandem ab omnibus Fridericus Suevorum Dux, Friderici Ducis filius, petitur, cunctorumque favore in Regem ſublimatur.* Eadem fuit ratio electionis Henrici VI Philippi III, Ottonis IV, Friderici II. Vide *Lehman. d. l. & Onuphr. Panvinium l. de Comitiis Imper.*

XXXIX Notanda hic ſunt cumprimis, quæ ætate Friderici II (qua etiam vixit) ſcribſit Albertus Abbas Stadenſis in Chronico: *Papa Gregorius inſolentias Imperatoris (Friderici II) contra Eccleſiam metuens, Principes ſuper electione ulteriùs ſollicitavit, ſed nihil profecit: quia quidam*

Prin-

Principum ei reſcripſerunt, non eſſe ſui juris Imperatorem ſubſtituere, ſed tantùm electum à Principibus coronare. Electio enim ad iſtos dignoſcitur pertinere. Ex prætaxatione Principum & conſenſu eligunt Imperatorem, Trevirenſis, Moguntinus & Colonienſis. Palatinus eligit quia Dapifer eſt, Dux Saxoniæ quia Marſchallus, & Marggravius de Brandenburg quia Camerarius. Rex Boëmiæ qui Pincerna eſt, non eligit, quia non eſt Teutonicus. Gemina ſunt his verba Speculi Saxonici: An des Keyſers Wahl/ ſol der erſte ſeyn der Biſchoff von Mäyntz/ der ander der Biſchoff von Trier/ und der dritte der Biſchoff von Cöln. Unter den Leyenfürſten/ ſo iſt der erſte an der Wahl der Pfaltzgrafe beym Rhein des Reichs Truchſes/ der ander der Hertzog von Sachſen des Reichs Marſchalck/ der dritte der Marggraff von Brandenburg des Reichs Kämmer/ der vierdte der Schencke des Reichs/ das iſt der König von Böhmen. Der hat keine Wahl/ darümb daß er nicht Deutſch iſt.

XL. Ex hiſce de electionibus Imperatorum allatis teſtimoniis, de ſeptem Electorum origine hoc ſtatuendum videtur: quod jus eligendi omnibus, etiam Populo, competens, primùm ſibi ſolis Principes attribuerint (*vid. th. 35.*) pòſt commodioris electionis gratiâ à toto Principum conventu quibuſdam Primatibus fuerit demandatum, ut illi præconſultarent, quis eligendus: cui, ſi toti etiam conventui ita viſum fuiſſet, Regnum eſt delatum. Hoc ſane colligere eſt ex electione Friderici I ab Ottone Friſingenſi th. 38. deſcriptâ, & ex verbis Alberti Abb. Stad. th. præced. adductis. Cum autem procul dubio illi qui Offia illuſtria Regiæ aulæ obivere aliis Principibus præcelluerint, hinc factum ut jus illud προβουλείας de eligendo Imperatore ad ſolos hos devenerit. Qui tandem, decreſcente ſenſim aliorum auroritate, ſibi ſolis omne eligendi jus, non convocatis omnibus

Principibus, arrogârunt. Atque ita conſuetudine poſt Friderici II tempora plærumq; eſt obſervatum, uſque dum expreſsâ ſanctione illis Septemviris hoc jus cum multis præeminentiis â Carolo IV eſt attributum.

XLI. Haec de Ducum Comitumque origine, incremento, & variè mutatâ potentiâ atque autoritate, jam notâſſe ſufficiat. Hoc tamen addendum, quod, poteſtate Ducum Comitumque mirum in modum, uti ſuperiùs expoſitum, creſcente, eò ferè tandem res devenerit, ut vix quicquam ſuperfuerit, quo omnia Germanici Regni membra continerentur, præter Turcicæ potentiæ & proſcriptionis metum: donec Friderico III & Maximiliano Imperatoribus de arctiùs conjungendis & cohibendis Germaniæ Ordinibus ſedulò actum fuit. Quem in finem in circulos Germania diviſa, & ſupremum Cameræ, quod vocatur, judicium eſt inſtitutum. Ea interim fuit plerorumque Ducum Comitumque, etiam ſingulos ſi ſpectes, potentia, atque in ſuos ſubditos tam æquum juſtumque imperium, ut aliquot ſeculis exteri quidem populi contra Germaniam nihil tentare fuerint auſi; ipſi ſubditi autem feliciſſimè ſub illorum alis vixerint. Et verò utinam liceat eum in modum nobis diu vivere!

Ἐπιδόματα:

I. Ariſtoteles 1. Eth. 1. *Politicam dixit ſcientiam maximè principem &* ἀρχιτεκτονικήν. *Item* 1. Met. 1. *Sapientiam maximè principem eſſe & aliis præcipere, docet. Vtrumque verum.*

II Re-

II. Regnum non eſt ſimpliciter optimus reipublicæ ſtatus.

II. Non convenit Regnum omni populo.

IV. Regnum non convenit optimo populo.

V. Regnum παμβασιλικὸν *rariſsimè utile eſt.*

VI. Reges qui ſponte (id eſt non ex præſcriptâ â ſubditis lege) acta ſua nolunt eſſe rata, niſi aut ab optimatibus aut populo probentur, non ſemper partiuntur ſuam cum Optimatibus aut Populo poteſtatem. Si namque hunc in modum ſententia Regis reſcindatur, non Optimates & Populus eam reſcindunt, ſed ipſe Rex id quod ſub conditione voluit, eâ non exiſtente, non amplius ſentit.

VII. Non ſemper obſtat ſummo imperio, promittere aliqua ſubditis ad imperii rationem pertinentia, licet ad ea ſine promiſſo non teneretur.

IIX. Non rectè dividitur majeſtas in realem & perſonalem.

IX. Non dari rempublicam mixtam, abſurde negat Bodinus.

X. Quæ æqualitas in Societatibus obſervetur, rectiſſimè tradit Ariſtoteles l. 7 Eudem cap. 10, his diſertis verbis: in Societatibus interdum æquale

 nume-

numero, interdum æquale proportione participant. Sí æquale numero argentum illatum fuerit, ſecundùm æquale numero fit diſtributio; ſin verò numero non æquale, ſecundum æquale proportione. *Quid autem ipſi ſit æquale numero* (ἴσον ἀριθμῷ) *& quid æquale proportione* (ἴσον λόγῳ) *ipſe explicat* 5. Pol 1. Duplex, *inquiens*, eſt æquale, unum numero, alterum κατ' ἀξίαν. Æquale numero dico, quod multitudine aut magnitudine idem eſt & æquale; æquale verò κατ' ἀξίαν, quod λόγῳ ſive proportione &c.

EXER.

EXERCITATIO QVINTA
DE

SEPTEMVIRIS SEV ELECTORIBVS REGNI ET IMPERII GERMANORVM,

Habita VII Septembris Anno cIↄ.Iↄ.CXLIV.

RESPONDENTE
HENRICO VVILHELMO Pape.

THESIS I.

RESpublica Romana ab initio Reges, mox Conſules, Tribunos, Dictatores, alioſque magiſtratus habuit; donec variis agitatam ſeditionibus, poſt graviſſimas Marii & Syllæ digladiationes, Cajus Julius Cæſar devicto Pompejo, ſub nomine Dictatoris, unius iterum poteſtati ſubjecit. Ejus ex ſorore nepos filiusque adoptivus Octavianus, patris interfectoribus cæteriſque inimicis devictis, cœptum à patre opus feliciùs pertexuit, feſſamque rempublicam omnem ſub titulo Principis in ſuam poteſtatem redegit. Eſtq; deinceps iis artibus ab eo ſtabilitus Principatus, ut immotus poſteà ſteterit. Ei poſt longam feliciſſimamque dominationem defuncto ſucceſſit Tiberius, Tiberio Cajus, uterque ex adoptatione. Cæterùm interfecto ob horrenda ſcelera Cajo, cum qui jure hæreditario ſuccederet non eſſet, rerum omnium ad Senatum Populumque Romanum videbatur rediiſſe ſumma, iiſque omni jure licere quem vellent ſibi præficere. Verùm ea fuit

militum potentia, ut inconſulto Senatu hoc ſibi juris ſumpſerint. *Dio Caſſius lib. 60. Cajo mortuo Conſules, dimiſſis in omnes partes Vrbis cuſtodibus, Senatum in Capitolium vocarunt. Ibi ſententiis diſcrepatum; cum alii Populo ſummam reipublicæ reſtituendam; alii unum Principem eligendum cenſerent, atque hi rurſus alius alii principatum deferret. Ita re infecta reliquum diei & nox tota abſumpta eſt. Interim milites quidam, rapinæ cauſa Palatium ingreſſi, Claudium (qui propterea quia cum Cajo agebat tum ultima metuens ſe abdiderat) in obſcuro angulo occultatum invenientes, primùm protraxerunt: alium quendam eſſe, ac ſecum habere aliquid abſconditum rati: mox cognitum Imperatorem ſalutaverunt, ac in caſtra deduxerunt. Ibi omnium conſenſu militum ei, orto nimirum Imperatorio genere ac bono viro, Imperium eſt tributum. Conſules cum aliquandiu miſſis Tribunis plebis ei edixiſſent, ne Principatum capeſſeret, ſed ſub Populi Senatusque & Legum poteſtate eſſet: poſtquam à ſuis etiam militibus deſeri ſe viderunt, ipſi quoque aſſenſi ſunt & Imperium ei decreverunt.*

II. Aliquoties tamen Senatus, idque, quantum ex Romana hiſtoria colligere licet, ter tantum, auſus eſt ante militum ſuffragia creare Imperatores. Et hac ratione electi ſunt occiſo Domitiano Nerva: contra Maximinum Thracem Cœlius Balbinus & Pupienus; interfecto Aureliano Tacitus.

III. Sed ex prædeceſſorum voluntate & jure quaſi hæreditario Imperium adepti ſunt plures, quos omnes hic recenſere nimis longum foret. Plæroſque collegit Onuphrius Panvinius *libro de Comitiis Imperialib. cap.* 1.

IV. Ex his ergo conſtat, variam fuiſſe Imperatorum Romanorum ſucceſſionem. Cujus conſtituendæ poteſtatem cum modo hi modo illi ad ſe raperent, non potuit

tuit non ea res ſæpius ingentes dare motus. Idque factum eſſe docent hiſtoriæ. Sanè ſi etiam cæteris omnibus excluſis, penes ſolos milites (quemadmodum quoq; fuit ut plurimum) fuiſſet electio, res turbis carere non potuiſſet. Quippe cùm exercitus eſſent plurimi, iique magnis à ſe invicem locorum intervallis disjuncti, omnes tamen idem in creando Imperatore jus ſibi vindicarent; non potuit non contingere ut plures ſimul eligerentur. Quibus deinde tamdiu inter ſe digladiandum fuit, donec unus eorum, cæteris non ſine ingenti reipublicæ clade everſis, ſolus rerum potiretur.

V. Conſtat quoque & illud, peſſimam tunc fuiſſe reipub. Romanæ conditionem; utpote in qua omnia ferè penes milites, eoſque mercenarios & maximam partem barbaros, quibus de jure nihil in republica debebatur, fuerint. Et verò horũ tanta fuit protervia, ut vel minima, vel nulla demum de cauſa, ſolâ vel voluptate vel avaritiâ ſtimulati, dominos mutaverint. Qua de re egregiè diſſerit Eraſmus *Præfatione in Tranquillum ad Duces Saxoniæ.* Quin eo demum proceſſere hi milites malitiæ, ut Imperiũ palàm venale propoſuerint, pluraque pollicenti dederint, ut auctor eſt Herodianus. Quare etiam non eſt quod miremur, adeo tunc cecidiſſe rempublicam Romanam, ut vix veteris gloriæ veſtigia reſtarent. Sanè Regnum in ſe diviſum ſtare non poſſe, & Sacræ literæ & ipſa recta ratio loquuntur.

VI. SED ad rem redeamus. Translato Imperii robore Conſtantinopolim à Conſtantino, duo quaſi cœperunt eſſe Imperia: Occidentis alterum, cujus Metropolis Roma, Orientis alterum, cujus Metropolis Conſtantinopolis. Regebantur autem hæc Imperia modò à pluribus, modò ab uno; quippe ea lege diviſa erant, ut ſibi mutuo Imperatores ſuccederent. Circa ipſam autem ſuccedendi rationẽ nihil mutatum

ratum eſt; donec victo & tonſo ab Herulis & Gothis Auguſtulo, deſiit Imperium Occidentis. Tum enim (forte quod recuperatio vires ipſorum excederet) quievere Imperatores, ac Gothi ſecurè Italiam poſſidere. Et hi tamen tandem, neſcio qua de cauſa moto à Juſtiniano bello, per Narſetem & Belliſarium omninò victi ſunt. Fuit autem haud diuturnum & hoc gaudium; nam offenſo Narſete, & ab eo vocatis ex Pannonia Langobardis, quæ acquiſiverant plæraq; iterum Romani amiſerunt. Ea tamen quæ retinuere, in quibus & ipſa Vrbs Roma fuit, deinceps ab Exarcho, quem Ravennam Imperatores Conſtantinopoli mittebant, gubernata ſunt. Cæterum creſcentibus quotidie Langobardorum rebus, hæ quoq; vires adeo decrevere ut vix quicquam in Italiâ Romanis auxilii reliquum fuerit.

VII. Porrò imperante Conſtantinopoli Leone Iſauro exarſit graviſſima de ſacro imaginū cultu in Orientali Imperio controverſia: quæ adeò accendit animos, ut tandē à Pontifice Romano Gregorio II anathemate percuteretur Imperator, eiq; vectigalia quæ hacten9 Imperio pendebantur in Italia negarentur. Quin & Imperatorem creare voluerunt qui in Italia erant exercitus: imò omnis Italia, niſi Pontifex id prohibuiſſet, uti conſtat ex Paulo Warnefrido *Hiſtor. Langobard. lib. 5. c. 44.* & Anaſtaſio in *vitâ Gregorii II.* Manſit tamen aliqua Conſtantinopolitanis Imperatoribus auctoritas: nam & omnem Provinciam Italiæ literas ſupplices pro erigendis imaginibus Conſtantinopolim miſiſſe, & Papam, miſſo Conſtantinopolim legato, rogaſſe Imperatorem, veniret in Italiam & Romam atq; Italiam liberaret à Langobardis, auctor eſt idem Anaſtaſius *in Vitis Gregorii II & Zachariæ.*

IIX. Premebant intereà deſtitutos Græcorum auxiliis Romanos crebris irruptionibus Langobardi, confugere

gere igitur ad Francorum opes longè lateque tunc per Occidentem florentes; qui moti Pontificum quorum ob religionem magna apud omnes erat auctoritas, precibus, ſæpius auxilio præſto fuere, & Langobardis modò tantùm auctoritate ſuâ, modo vi in ordinem redactis, non Romam liberarunt, ſed & poſſeſſionibus opulentiſſimis Romanam ditaverunt Eccleſiam. Vnde factum, ut Pontifex Romanus, qui jam antè tanquam maximus Eccleſiæ Chriſtianæ Antiſtes, ſummo à Chriſtianis proſequebatur honore, his auctus præſidiis, paulatim majus ſumpſerit incrementum, donec ad id excrevit ejus potentia faſtigium, ut nulla unquam major Chriſtianæ Eccleſiæ tyrannis incubuerit. Verùm hæc aliò pertinent.

IV. SED liberati crebris Francorum auxiliis Romani, Carolum, jam devicto Langobardorum Regno victoriis clarum, Patricium ſibi adſcivere. Fuit autem jam tempore ſuperiorum Imperatorum magna Patriciorum dignitas, utpote quos Patres Imperatoriæ Majeſtatis vocat Juſtinianus §. *2. I. quibus modis jus patr. poteſt ſolv.* Horum jam ferè obſoleta auctoritas tunc, deficientibus Imperatorum rebus, videtur revixiſſe. Quodnam autem eorum fuerit officium videre eſt ex gloſſa antiqua *in c. Adrianus 63. diſtinct. Patricius.* Ait illa: *Pater Papa in temporalibus fuit, ſicut in ſpiritualibus Papa ejus pater, quia ipſi, ut Patres filiis, reipublicæ providebant.*

X. Poſtmodum verò Pontifex Populusque Romanus, ſive ut majorem referrent pro collatis in ſe beneficiis gratiam, ſive ut tutiores ab hoſtium incurſibus eſſent, ſive etiam ut vetus ſibi iterum adſciſcerent Imperii decus, Carolum jam Francorum Langobardorumque Regem, Patriciumque & Principem Romanum, nihil tale cogitantem

A a ipſis

ipſis feriis Natalitiis Anno poſt natum Servatorem DCCC impoſito diademate Imperatorem ſalutarunt.

XI. Et hæc eſt celebris illa Romani Imperii à Græcis ad Francos translatio. Quæ cujus auctoritate facta ſit multis hactenus ſcriptis acerrimè agitatum eſt, aliis omnia, aliis nihil in hac cauſa Papæ deferentibus. Id autem negandum non videtur: haud exiguas fuiſſe Pontificis, utpote præcipui reipublicæ Romanæ membri, in hac translatione partes. At qui omnia ei adſcribunt, magnam injuriam inferunt Romanis: quos nullo modo tunc fuiſſe Pontificibus ſubditos, ſed libero uſos in declarando Imperatore Carolo ſuffragiis, ſatis conſtat ex veteribus monumentis. Id ſolidè probavit Clariſſimus Dominus Præſes *in Tractat. de Rom. Imp.* Vnde ſimul, quid eà translatione ad Carolum devolutum ſit, abundè hauriri poteſt. Certè ipſe Anaſtaſius, diligens dignitatis Pontificiæ aſſertor, ab *OMNIBVS* electum eſſe Carolum, fatetur *in Vitâ Leonis*. Et Pius II (ante Æneas Sylvius) priuſquam ad culmen pontificale eveheretur quid ſenſerit, patet ex libro ejus de *Ortu Romani Imperii*, quando ita ait: *Populus ille Romanus, qui ſuo ſanguine paraverat Imperium, Carolum Magnum primò Patricium, pòſt Auguſtum, concurrente Pontificu conſenſu, ſalutavit.*

XII. Translata eſt autem procul dubio Imperatoria dignitas ad Carolum eo modo quo illā tenuerant hactenus Imperatores Conſtantinopolitani. Quia nempe in eorum jura ſucceſſit utique Carolus. Fuit verò illorum dignitas hæreditaria, quare & talem translatam eſſe in Carolum nulli dubitamus: quicquid dixerint Pontificum patroni, qui etiam impoſterum Imperialem dignitatem à Papa dependiſſe ſtatuunt. Vſus igitur ſuo eſt jure Carolus, quando non conſulto Papa Imperialis nominis conſortem ſibi fecit filium.

lium Ludovicum, teſtibus Annalibus Francicis. Vſus eo eſt & Ludovicus, dum primogenitum filium Lotharium ſine conſenſu Pontificis *nominu atq; Imperii conſortem* fecit. Certè ita translata tunc fuit in Francos Imperii Romani dignitas, ut non niſi penes Francorum Reges illa impoſterum foret. Vbi notandum accuratè, diverſam eſſe Regni Francorum & Langobardorum ab Imperio Romano dignitatem: utpote quum verè tunc temporis ſolâ Romanæ Vrbis & nonnullarum Italiæ regionum ſignificatione amplum illud nomen Imperii Romani ſteterit. Hinc ex iſto tempore penes Francos quidem ſolos fuit Imperatoris conſtitutio in Occidente, non minùs atque apud illos fuit Regem ſibi creare: interim non omnis Rex Francorum ſtatim & Imperatoriam nactus eſt dignitatem.

XIII. Gente Germanus fuit Carolus; adeoque modo gentibus Germanicis jam olim, teſte Tacito, uſitato, quo hodièque Poloni & Dani utuntur, ipſos quoq; Francos uſos eſſe, rectè docent Hottomann9 *FrancoGall. c.* 6 & Lehman. *Chron. Spirenſ. lib.* 2. *cap.* 3. ab omni populo, habitâ tamen nobilitatis & nativitatis ratione, Rex Francorum electus eſt. Eginhardus: *Obiit Pipinus ſuperſtitibus liberis, Carolo & Carolomanno, ad quos ſucceſſio Regni divino nutu pervenerat. Franci ſiquidem facto ſolenniter generali conventu ambos ſibi Reges conſtituunt.* Idem Eginhardus. *Carolus autem, fratre defuncto, conſenſu omnium Rex Francorum conſtituitur.*

XIV. Sed hic iterum litem movent Pontificiæ auctoritatis adſertores. Etſi enim hanc Caroli ſucceſſionem in dubium vocare nequeant, aſſerunt tamen Pipinum Caroli Patrem, adeoque & ipſum Carolum, à Papa Regnum Francorum habere. Verùm ex ipſa tantùm rei narratione quantoperè fallantur apparebit. Torpebant nempe nimio otio

Francorum Reges gentis Meroveæ, omniaque Regni negotia Palatii Comites adminiſtrabant; ſolum nomen & cultus Regius Regibus ſupererat. Quare Pipinus & ipſe Palatii Comes in id tandem cœpit incumbere, ut ſe Regiis occupatum negotiis, Regiâ quoque dignitate ornarent Franci. Res hæc ardua meliorem habitum eſt ſortitura exitum, ſi conſcientiæ quietandæ causâ res deferretur ad Pontificem. Miſſi Legati promptum invenêre Pontificem. Ex his quæ Pontificis fuerint partes, quilibet ſanus facilè perſpicit. Aliud enim eſt Regem creare, aliud creandi conſilium dare, aut declarare ſuo teſtimonio quid Populo liceat in Rege creando. Aliud jus creandi habere, aliud jus conſilii dandi. Quanquam conſilii in hujuſmodi rebus dandi jus nemo habet niſi à quo petitur. Vide Sigon. Alb. Stadenſ. Hottoman. *Franco Gall. cap. 15.* Lupoldus de Bapenberg. *in Tractat. de jur. Regn. & Imper.* ait: *Zacharias depoſuit Regem Francorum: expone, id eſt, deponendum conſuluit & conſenſit.*

XV. Videamus nunc de Succeſſoribus Caroli Magni. Et filium quidem Ludovicum à Patre etiam vivente in Societatem Regni aſſumptum ſuprà jam diximus. Clara ſunt Eginhardi verba. *Quumque jam morbo & ſenectute premeretur Carolus, advocatum ad ſe Ludovicum Aquitaniæ Regem, qui ſolus filiorum Hildegardis ſupererat, congregatis ſolenniter de toto Regno Francorum primoribus, cunctorum conſilio, conſortem ſibi totius Regni & Imperialis nominis hæredem conſtituit: impoſitoque capiti ejus diademate Imperatorem & Auguſtum juſſit appellari.* In quibus duo hæc inprimis notanda. Primò quod Francorum *conſenſu* conſtituerit Regem filium Ludovicum Carolus. Deinde, quod interveniente eorundem conſenſu Imperatorem eum appellaverit; nullâ Papæ, nullâ Populi Romani factâ mentione.

tione. Vnde colligere licet, fuiſſe hanc Caroli ſententiam: dignitatem Imperialem à ſe acquiſitam eſſe etiam in patrimonio Francorum, adeoque licere illis ut Regem Francorum ſecundùm antiquam conſuetudinem ita, & Imperatorem creare.

XVI. Ludovicus itidem vivus conſortem Imperii aſſumpſit filium Lotharium. Annales Franc. *ad annum 817. Generalem Populi ſui conventum Aquiſgrani habuit more ſolito: in quo filium ſuum primogenitum Lotharium coronavit, & nominis atque Imperii ſui ſocium conſtituit: cæteros Reges appellatos, unum Aquitaniæ, alterum Bajoariæ præfecit.* Fratres tamen hac non contenti diviſione, poſt obitum Patris grande ſibi invicem bellum moverunt. Donec tandem his conditionibus inter ipſos convenit, ut Lotharius nomen Imperatorium, Italiam, Provinciam & Lotharingiam haberet, Carolus Regna Occidentalia à Britannico Oceano uſque ad Moſam, Ludovicus Regna Orientalia, omnem ſcilicet Germaniam uſque ad Rhenum, & aliquas trans Rhenum civitates. *Regino. Sigebert.* Eadem poſtea in familiâ Carolinâ obtinuit ſuccedendi ratio, ut interveniente Francorum conſenſu Regna inter liberos dividerentur: ita tamen ut omnia manerent libera, & nullus in alterum aliquid ſibi juris vindicare poſſet. Quæ ſingula hic commemorare fortè non eſt opus, ſufficiat inſigniora attuliſſe exempla. Illud hîc omittendum non eſt, habita hujus diviſionis ratione, neminem poſteà Carolinorum Imperatorem ſe dixiſſe, qui non ipſe Italiæ & Vrbis Romæ dominus eſſet. Lehm. *lib. 2. c. 46.*

XVII. Vſque adeò autem defecit crebris his diviſionibus Regnum Carolovingorum, ut tempore Arnulphi pars Italiæ Regem ſibi elegerit Berengarium, pars Widonem Ducem Spoletanum Imperatorem creare auſa ſit. Victus

tamen ab Arnulpho eſt Wido, & Arnolphus Romæ à Formoſo Papa Imperator coronatus.

XVIII. Verùm extinctâ in Germania Carolinâ familiâ, liberrimâ Francorum Saxonumque electione Regnum Germaniæ, aut, ut tunc vocari ſolitum, Regnum Francorum Orientale, delatum eſt Ottoni Saxoni. Recuſavit autem ille ob ſenium illud onus, ejuſque conſilio electus eſt Conradus Dux Francorum Orientalium; qui tamen ex ſtirpe Carolina deſcendiſſe à quibuſdam perhibetur. Witikindus Corbejenſis: *Regi Ludovico non erat filius, omniſque Populus Francorum atque Saxonum quærebat Ottoni diadema imponere Regni. Ipſe vero, quia jam gravior, recuſabat onus Imperii, ejus tamen conſulto Conradus quondam Dux Francorum eligitur in Regem.* Poſt cujus obitum liberrimâ iterum electione, & Conradi jam in agone agentis conſilio, ad idem Regnum evectus eſt Henricus filius Ottonis Auceps poſteà dictus. Luitprandus *lib.* 7 *c.* 7 teſtatur, in hæc verba morti jam vicinum Conradum allocutum eſſe proceres: *Henricum Saxonum & Thuringorum Ducem prudentiſſimum Regem eligite, Dominum conſtituite. Is enim eſt & ſcientiâ pollens, & juſtæ ſeveritatis cenſura abundans. Cui ut obediatis, non tantum conſulo ſed & oro*: De Ottone primo clara ſunt verba Witekindi *lib*. I. ſub finem. *Henricus Rex cum ſe gravari jam morbo ſenſiſſet, convocato omni populo deſignavit filium ſuum Ottonem Regem.*

XIX. Neglexerat Henricus Rex Italiam ſolâ contentus Germaniâ; & ne quidem invitatus à Papa nomen Imperatorium voluerat recipere, Viterbienſi teſte. Verùm Otto, & Italiam & Vrbem Romam, quam nonnulli ex Populo Romano jam in ſuam poteſtatem redegerant, ſuæ ſubjecit rurſum poteſtati, Imperatorq; omnium conſenſu dictus, omnem

omnem dignitatem Imperatoriam ad Germanos tranſtulit. Quemadmodum id egregiè demonſtrat Clariſſ. Dn. Præſes *Tract. de Imperat. Rom. cap. 10.* Et inde factum, ut qui deinceps Germaniæ Reges creati ſunt, ſimul & jura Imperatoria ſint adepti, utut Imperatorio nomine ante coronationem Pontificiam ſæpiùs abſtinuerint. Adeoque una ex eo tempore fuit & Regis Germaniæ & Imperatoris Romani conſtitutio; utpote quum hæ dignitates ex eo indiſſolubili vinculo cohæſerint, ut tandem ipſa quoque Germania & in Italia Regnum Langobardicum vulgò appellatione Imperii Romani cœperint uſurpari.

XX. Fuit autem is, quem hactenus explicavimus, in Germaniæ Regno ſuccedendi modus in uſu ad Henricum uſque IV. Qui cùm eodem modo adhuc puer adeptus eſſet Imperium, optimam hanc & hactenus maximo Germaniæ bono frequentatam ſuccedendi rationem turbavit Papa Gregorius VII. Spernebant pueri Imperium Proceres: & fortè ipſe jam adultior, non ita ut debebat adminiſtrabat Regnum. Vſus ergò oblatâ occaſione homo ſuperbiſſimus, & quem ſoli ſui Dictatus ad omnem poſteritatem damnabunt, rebellantes jam Principes inſtigat, Imperatorem anathemate ferit, & quod ante auditum erat nunquam, Regno dejici mandat. Parent rebelles Imperatori Principes, & Rudolphum Suevum eligunt; factaq; tunc eſt conſtitutio quam Scriptor belli Saxonici refert hisce verbis. *Hoc ſibi communi conſenſu probatum Romani Pontificis auctoritate eſt corroboratum: ut Regia poteſtas nulli per hereditatem cederet, ſed filius Regis, etiamſi valdè dignus eſſet, per electionem ſpontaneam non per ſucceſſionis lineam proveniret. Si verò non eſſet dignus Regis filius, vel ſi eum nollet Populus, quem Regem facere vellet in poteſtate haberet Populus.*

XXI. Licet verò à rebellibus tantùm Imperii Principibus,

pibus lata fuerit hæc conſtitutio, fractâ tamen majeſtate Imperiali, & degenerante Imperio deinceps per aliquod tempus in anarchiam ferè, hereditaria deinde ſucceſſio planè ſublata eſt. Quæ res quàm ingentes dederit turbas loquuntur omnes illius ævi hiſtoriæ. Etenim cum ſaluberrimo inſtituto non exigua haberetur ſanguinis ratio, hoc unico quaſi repagulo quo feroces Principum cohiberentur animi remoto, & effrenem nacti Proceres poteſtatem, non potuere non maximis omnia miſcere motibus. Dum enim quiſque ſibi, ut digniori potentiori aut opulentiori, primas quoque in republica arrogare contendit, electi ſunt eodem tempore interdum plures, qui inter ſe commiſſi totam ferè Germaniam everterunt. Acceſſit ingens illa Pontificum improbitas, qui, quoniam Gregorio ſatis benè ſucceſſerat, ferociores redditi, omnia deinceps ſusque deque habere; & modò in hunc modò in illum gladio ſuo ſpirituali furere, nunquam non deſiere, dummodò ſibi ſuæque conſulerent ambitioni. Quâ in re quàm benè ſecuti ſint exempla Servatoris & Petri, quorum Vicarii & Succeſſores haberi volunt, judicent boni quique.

XXII. VIDIMVS hactenus, ſucceſſionem Imperii partim fuiſſe hæreditariam partim electitiam. Videndum demum, penes quos illa electio tunc fuerit, & penes quos nunc ſit. Factam autem fuiſſe ab omnibus vel ex iis quæ ſupra attulimus teſtimoniis, ſatis conſtat: in quibus ſubinde, omnium Principum, totius denique Populi fit mentio. Idque de Principibus Epiſcopis & Nobilibus nemo fortè negaverit. De Civitatibus id negat Bellarminus *lib. 2. de Translat. Imperii.* Refutatur verò & multis & præclaris teſtimoniis à Lehmanno *Chron. Spirenſ. lib. 5. cap. 17.* Certè vel ex electione Henrici II conſtat, rem aliter ſe habere. Etenim cum is Sigfridum Archiepiſcopum Co-

Lonienſem

lonienſem rogaſſet, ut ſe in conſequendo Imperio juvaret, reſpondit ille: *Quò melior & major pars Populi ſe inclinaverit libenter ſe aſſenſurum*, teſte Dithmaro *l. 4.* Populum autem includere etiam Civitates, vel ipſa recta ratio docet. Quin & Radevicus *de reb. geſt. Friderici lib. 2*, ubi cæteri Scriptores voce Populi utuntur, expreſsè dicit, *Conſules Civitatumque judices.* Hodiè cæteris omnibus excluſis tantùm Septem Principes: Tres Eccleſiaſtici, Archiepiſcopus Moguntinus, Archiepiſcopus Colonienſis, Archiepiſcopus Trevirenſis: Quatuor Seculares, Rex Bohemiæ, Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ, Marchio Brandeburgenſis Imperatorem eligunt. Dicunturque à numero Septemviri, ab officio Electores, Germanicè Chur-fürſten, aut ſignificantiùs vetere Saxonico idiotiſmo Kör-förſten. Id verò quando cœperit, nunc eſt inveſtigandum.

XXIII. Communis ferè & conſtans per duo ſecula & quod excurrit, ab anno videlicet 1240 ad annum circiter 1500 fuit opinio, Ottonem III Imperatorem & Gregorium V Pontificem Romanum ſeptem Electores inſtituiſſe. In eo tantùm diſcrepant auctores, quod quidam, ut alia omnia, ita & hanc Electorum conſtitutionem adſcribant Pontifici, quidam verò id negent. Acriter inprimis cauſam Pontificis defendunt Hoſtienſis *in cap. Venerabilem de elect.* Platina *in Vita Gregorii V.* Molina *Tr. 2. diſp. 24. de Juſt. & Jur.* & contra Illyricum acerrimè Bellarminus *libro 3. de Translat. Imp. cap. 4. & ſeqq.* Nec adeo pridem Electori Bavaro idem perſuadere eſt conatus Michaël Lonigus in *Conſilio ad Gregorium XV* de adhortando Bavariæ Duce ad petendam dignitatis Electoralis confirmationem à Pontifice. Primus autem receptam hanc ſententiam publicè edito elegantiſſimo libello, quem inſcripſit *de Comitiis Imperatoriis*, oppugnavit Onuphrius Panvi-

nius Veronenſis, Frater Eremita Auguſtinianus; cùm tamen ejus falſitatem, etſi leviter tantùm, jam antè perſtrinxiſſet Joannes Aventinus, in Annalibus Bajoaricis, ut teſtatur ipſe Onuphrius *d. lib. cap. 6.* Nos pro ratione inſtituti paucis rem explicare conabimur. Plura enim peti poſſunt ex Onuphrio *d. lib. cap. 6.* Lehmanno *Chron. Spirenſ. lib. 5. cap. 17.* Arniſæo *de Rep. cap.* 6. Quorum duo hi poſteriores etiam Bellarmini argumenta ſingulatim refellunt.

XXIV. CERTVM autem omninò eſt, non exſtare ullam ſive Ottonis ſive Gregorii de Electorum inſtitutione conſtitutionem. Neque ulla hactenus à quoquam in lucem producta eſt: neque verò produci potuit. Illud quoque dubio caret, neminem ſcriptorum ab Ottonis ætate ad Fridericum uſque II, per ducentos quadraginta & quod excurrit annos, hujus conſtitutionis aut ipſorum Electorum aliquam ſaltem facere mentionem. Certè Gratianus, qui circa annum Chriſti MCLI Decreta Conſtitutiones & Statuta Pontificum in ordinē quendā redegit, ne verbo quidē hujꝰ conſtitutionis meminit. Exſtat quoq; hodieq; in Baſilica Divi Petri elogium ſepulchrale Gregorii V Papæ, in quo omnia præclarè ab ipſo geſta enumerantur, hujus tamen conſtitutionis nulla fit mentio. Probabile autem non eſt, rem tanti momenti in hoc monumento deſiderari, & ab omnibus ejus ævi ſcriptoribus ſilentio eſſe præteritam.

XXV. Primum omnium qui Electorum faciat mentionem eſſe Martinum Polonum, ait ipſe Baronius *ad annum* 996 *num. 70.* Vixit autem Polonus circa tempora Friderici II, adeoq; 250 circiter annis poſt Ottonem. Quare illi quidem fidem adhibere non poterimus in iis rebus quæ ante ipſius tempora geſtæ ſunt, cum ſit deſtitutus aliorum teſtimo-

teſtimonis. Quin nec ipſe Polonus conſtitutionis alicujus meminit, nec tempore Ottonis cœpiſſe Electores dicit. Hoc tantùm affirmat, poſt Ottonis tempora cœpiſſe Officiales Imperii eligere: quod & nos quodammodo largimur. Verba ejus ſunt. *Et licet tres iſti Ottones per ſucceſſionem generis regnaverint, tamen poſteà fuit inſtitutum, ut per Officiales Imperii Imperator eligeretur, qui ſunt ſeptem &c.*

XXVI. Sed & evidenter probari poteſt, etiam poſt Ottonem tertium ad Fridericum II uſque, Imperatores non tantum ſeptem illorum, ſed aliorum etiam Principum, ſuffragiis electos eſſe. De Henrico II, qui ſucceſſit Ottoni III, ita Otto Friſing. *lib. 6. cap. Anno ab incarnatione Domini M I mortuo ſine hærede Ottone III, Henricus, patre Hezilone, natione Noricus, ejuſdemque gentis Dux, ab omnibus Regni proceribus electus, LXXXVII ab Auguſto creatur.* De Conrado ſucceſſore Henrici idem Friſing. *d. lib. cap. 8. Anno ab Incarnatione MXXV, defuncto ſine filiis Henrico, Conradus natione Francus, conſilio anteceſſoris ſui, cujus tamen dum adhuc viveret gratiâ carebat, ab omnibus electus, LXXXVIII ab Auguſto Regnum ſortitur.* Verùm omnia ſcriptorum teſtimonia paucis his pagellis adducere non licet: videri ea poſſunt apud Onuphr. *dict. lib. de Comitiis Imper. cap.* 6. Breviter tamen, quid de ſequentibus etiam Imperatoribus habeant ſcriptores, enumerabimus, ſecuti in eo ipſummet Bellarminum, dum ſummam demonſtrationum Onuphrii recitat *lib. 3. de Translat. Imp. cap. 2.* De Henrico III, filio Conradi, qui patre vivente in Comitiis electus eſt, nemo ſcriptorum affirmat eum ab Electoribus fuiſſe creatum; quin rebellis tum fuit Bohemiæ Dux, tantum abeſt ut hunc Imperatorem elegerit. Henricum IV electum ab Epiſcopis & Principibus Germaniæ, ſcribit Abbas Urſpergenſis in Chronico anni 1053. Henricum V ab

omnibus electum eſſe, teſtatur idem Vrſpergenſis in Chronico anni 1106. Lotharium electum fuiſſe ab Archiepiſcopis duobus, Epiſcopis octo, Abbatibus multis, & eminentioribus aulæ Regalis primatibus, ſcribit Continuator Sigeberti in Chronico anni 1126. Conradum III electum à multis Principibus, non vocato etiam Saxone & vacante ſede Moguntinâ, ſcribit Otto Friſingenſis *lib. 7. cap. 22.* Fridericum I ab *omnibus* totius Germaniæ Principibus electum fuiſſe, ſcribit idem Friſingenſis *lib. 2. de reb. geſt. Frideric. cap.* 1. Philippum à Suevis, Bavaris, Saxonibus: Ottonem IV, à Colonienſibus, Argentinenſibus aliiſque nonnullis electum, teſtis eſt Abbas Vrſpergenſis *in Chronico.* De electione verò ipſius Friderici II, ita loquitur idem Vrſpergenſis. *Anno Domini MCCXX Otto excommunicatus denunciatur. Tunc Principes Alemanniæ, Rex videlicet Bohemiæ (qui paulo antè ex Duce aſſumptus fuerat ab Henrico IV ad Regnum) Dux Auſtriæ, Dux Bavariæ, Landgrafius Thuringiæ & alii complures convenientes, Fridericum Regem Siciliæ elegerunt. Cui etiam olim, cum adhuc in cunis eſſet, juraverant fidelitatem.*

XXVII. Ex his ergo clarè patet, ad Fridericum II uſque plæroſque Principes, non ſolos Septemviros elegiſſe Imperatorem. Neque verò id negat, neque etiam negare poteſt, Bellarminus. Quin gravia hæc eſſe argumenta, & à viris prudentibus non contemnenda, ſponte fatetur. Quare eò demum redit ejus ſententia, ut latam quidem hanc conſtitutionem tempore Ottonis III à Pontifice dicat, verùm ante Friderici tempora in uſum, quibuſdam ex partibus, non fuiſſe deductam. Varias autem fingit hujus conſtitutionis partes: quas nos hic, ut fictitias, non recenſebimus. Ipſa enim conſtitutio cùm in rerum

natura

natura non ſit, neque unquam fuerit, liberum Bellarmino fuit viſum quidvis fingere.

XXIIX. In eo anxius laborat Bellarminus maximè, ut Electorum conſtitutionem ſoli Pontifici adſcribat: licet quo tempore aut à quo Pontifice id factum ſit, ipſe dubitare videatur. Non diſputabimus nunc, an tale quid in Pontificem cadere poſſit jure divino; quippe id magis ad Theologorum Scholas pertinet, & egregiè actum eſt à multis. Ne quidem id nunc attingemus: nihil tale jure humano competere Pontifici, utpote qui Imperatoribus ſubjectus fuerit & jure eſſe debeat. Id quod ſolidè demonſtravit Clariſſ. Dn. Præſes *in Exercitatione de Imperatore Romano.* Argumenta Bellarmini quæ habet *lib. 3. cap. 3.* paucis videbimus. Et primo quidem nititur teſtimonio Pontificum ipſorum *in cap. Venerabilem extr. de elect. & Decreti Concilii Viennenſis quod extat in Clementina, Romani Principes: de jurejur.* Verum præterquàm quod multa falſa hæc contineant, ſunt duntaxat domeſtica teſtimonia, quibus adhibere fidem ſtolidum foret. Teſtimonia autem ſcriptorum Germanorum, quæ producit, juniora ſunt, quàm ut illis in hac cauſa credere tuto liceat. Et jam antè diximus, communem hunc tandem fuiſſe errorem, primumq; ab Onuphrio refutatum. Sed nec omnes id quod vult Bellarminus loquuntur. Nam Jordanus ad Carolum Magnum principium electionis, non verò ad Pontificem refert. Et Nauclerus diverſas tantùm de hac re opiniones recenſet. Magnum ſententiæ ſuæ robur ponere videtur Bellarminus in *Inſtrumento Electorum* ad Nicolaum III miſſo. At verò illud à tribus tantùm ſubſcriptum eſſe, ex Goldaſto reſpondet Arniſæus *de Rep. cap. 6.* Et quis miretur: vigente maximè Pontificis dominatu, tale quid, à Clericis inprimis & aliis qui Pontificias partes tuebantur,

tur profectum eſſe? accedente præſertim cùm ſuperſtitione tùm Juris Pontificii, quod tum maximè ubique vigebat, auctoritate. Et verò quum Regni Germanici diſpoſitionem nullo prætextu Pontifices ad ſe poſſint trahere, imò multi eorum apertè ſint faſſi nihil illud ad ſe pertinere, quomodo Pontifex potuit præſcribere Germanis rationem eligendi Regis? Nec eſt quòd dicas, Imperii Romani, prout illud eſt aliquid à Regno Germanico diſtinctum, curam Pontificii eſſe juris. Fac enim ita eſſe: poſtquàm tamen ſemel conveniſſet ut is eſſet Imperator quem Germani conſtituiſſent Regem, circa modum eligendi Regem & per conſequens Imperatorem, nihil ille decernere potuit. Bene verò eſt, quod licet inter Principes pro ſuperiorum temporum conditione habuerint Papæ ſuos adulatores, non defuerint tamen Germaniæ ſui etiam libertatis defenſores. Quantoperè ſanè Fridericus I & plærique Imperii Principes reſtiterint Pontifici, videre eſt ex reſcripto publico, quod factum eſt Biſontii & extat apud Lehmannum Chron. Spirenſ. *lib. 5 cap. 61.* Ludovicus quoque Bavarus maſculè conatibus Papæ ſe oppoſuit: quæ res haud parvas dedit in Germaniâ turbas. Et verò hic inter ipſos Monachos invenit defenſores, Wilhelmum Occam, Johannem de Gandavo, Marſilium Patavinum, & alios complures. Vtque vetera taceam, quàm egregiè glorioſiſſimus Imperator Ferdinandus I contra Pontificem, volentem irritam facere ipſius electionem, quod reſignatio Imperii à Carolo V non in ipſius ſed Electorum manus facta eſſet, Imperii decus defendit? Vide Seldium in ſeinem Bedencken.

XXIX. SED redeamus unde digreſſi ſumus. Ottoni IV, coætaneo Friderici II, nonnulli quoque Electorum conſtitutionem adſcribunt, factam ſcilicet in Comitiis Fran-

Francofurtenſibus. Sed reſpondet illis Goldaſtus ipſe qui conſtitutionem hanc ediderat. *Pace illorum liceat fateri quod res eſt. Impoſuerat mihi Marquardus Freherus, qui illud decretum ſua manu exſcriptum, ſub nomine Ottonis IV ad me transmiſit; ego porro aliis, communicando & in Conſtitutiones Imperiales referendo, ſine dolo tamen & fraude. Comperi enim poſteà, illud decretum non eſſe Ottonis IV, ſed à Johanne Baptiſta Egnatio in vita Ottonis IV confictum, probabilius quidem juxta veterum opinionem quàm verius.*

XXX. Friderico denique II multi etiam magni nominis viri conſtitutionem Electorum adſcribunt. Et ſanè fatendum eſt, poſt ejus tempora magis magisque ad pauciores redactam eſſe eligendi poteſtatem. Sed nec huic opinioni accedere nobis licet. Etenim hæc quoque conſtitutio à nemine unquam mortalium viſa eſt: neque credibile eſt, tot Principes unâ aliquâ motos conſtitutione tanto ſuo juri ſtatim ceſſiſſe. Quod autem Abbas Tritthemius Wilhelmum Hollandum Friderici coætaneum ab Electoribus electum ſcribit, illi quia veriſimile eſt, nos haud refragabimur: niſi tamen ſecundùm mores ſui ævi & ipſe loquatur. Fortaſſis enim non incommodè hic locus explicari ità poſſit, quòd jam tum magnam in electione obtinuerint ii Principes qui hodie Electores dicuntur, auctoritatem; quod negari non poteſt. Clara ſunt hac de re verba Epkonis à Repkau in Speculo Saxonico art. 57. *In Principiis electione primus erit Epiſcopus Moguntinus, ſecundus Trevirenſis, tertius Colonienſis. Primus inter illuſtres Regni Palatinus Rheni qui eſt Dapifer, ſecundus Dux Saxoniæ Marſchallus, tertius Marchio Brandeburgenſis Camerarius. Rex Bohemiæ Pincerna eſt, qui non eligit quia non eſt noſtra nationis. Præter iſtos ſuccedit etiam electio omnium Principum Imperii tam Clericorum quam Laicorum;*

corum. Non quòd ſicuti prædicti ſecundum eorum placitum eligere debeant, ſed quem omnes Illuſtres eligunt, eundem præ cæteris in Regem nominabunt. Eandemque ſententiam confirmat Abbas Stadenſis ad annum 140: *Papa Gregorius*, inquit, *inſolentias metuens Imperatorias contra Eccleſiam, Principes Germaniæ ſuper electione alterius ſollicitavit, & nihil profecit. Quia quidam Principes reſcripſerunt, non eſſe ſui juris Imperatorem conſtituere.* Addit deinde: *Ex prætaxatione Principum & conſenſu eligunt Imperatorem Trevirenſis, Moguntinus, & Colonienſis: & de Secularibus eligit Palatinus quia Dapifer eſt, Dux Saxoniæ quia Marſchallus, & Marggravius de Brandenburg quia Camerarius, Rex Bohemiæ quia Pincerna eſt non eligit, quia non eſt Teutonicus.* Vbi nota quod dicat: ratione Officiorum illorum jus eligendi eſſe penes Principes. Vnde colligimus, non parvam quoq; occaſionem, adipiſcendæ tantæ poteſtatis præbuiſſe hæc Officia jam tum ſtata & hereditaria, de quibus infra *th* 47, plura.

XXXI. Manifeſtum autem eſt ex hiſce omnibus, jam horum Scriptorum tempore (vixerunt autem circa ætatem Friderici II) aliquam præ cæteris eorum Principum, qui hodiè Electores audiunt, in eligendo poteſtatem fuiſſe: attamen non tantam quæ reliquos omnino excluderet. Vnde concludimus: cum Friderico II mortuo perturbatiſſimus eſſet Germaniæ ſtatus, & durante interregno multorum annorum rempublicam ferè nemo curaret, cæteris vel ob imbecillitatem vel ob negligentiam jura ſua non ſatis tuentibus, (ut ſanè ex illo tempore Ordinum pauci habuerunt curam totius Imperii, donec Maximilianus I inſtituit illam in Circulos diviſionem & Cameram Spirenſem,) hos ut potentiores ſibi ſolis id juris ſumpſiſſe. Confirmat hoc etiam Aurea Bulla, quando ſtatim *l. t.* ad laudabilem *conſuetudinem* provocat. Et in eadem nobiſcum

biſcum ſententia ſunt Onuphrius *de Comitiis Imperat. cap.* 6. Arniſæus *de Rep. cap. 6.* Carpzov. *de Leg. Reg. Germ. c.* 11. *ſect.* 1.

XXXII. CONFIRMATA autem eſt hæc jam moribus introducta conſuetudo ſolenni & firmâ lege: & quidem optimo conſilio, quod interſit reipublicæ quàm maximè, ut ſummum ipſius regimen firmiter ſit conſtitutum: à Carolo IV. Quam legem Auream Bullam vocamus; eâque tota eligendi ratio & omnis Electorum poteſtas continetur. Et verò ex eo demum Septemviri illi Electorium titulum ſuo nomini adjecerunt, crevitqué illorum dignitas maximè. Nos ex Aureâ illâ Bullâ, quæ ad noſtrum inſtitutum facere videbuntur, paucis excerpemus.

XXXIII. Et primò quidem, quomodo deferatur Electoralis dignitas videbimus. Vbi obſervandum, Electores *vi & virtute Regni & Principatuum ſuorum* hoc juris adipiſci *A. B. tit. 7.* Quod ita intelligendum eſt, ut, ſi Archiepiſcopi Archiepiſcopatus ſuos, Rex Bohemiæ Bohemiam, Palatinus Palatinatum, Elector Saxoniæ Electoralem Ducatum Saxoniæ, Brandenburgicus Electoralem ſuam terram legitimè acquiſierint, eligendi quoque jus obtineant. Quare non ſimpliciter perſonæ, ſed quatenus ea terram Electoralem poſſidet, hæc cohæret dignitas. Porrò Eccleſiaſtici quidem Electores, ut alii Germaniæ Epiſcopi, vel electione vel collatione inſtituuntur. Electio fit communi vel plurium Capitularium ſuffragio. In ſubſidium verò electionis introducta eſt Poſtulatio, ut eum quem eligere non licet, poſtulare liceat: petitque per eam Capitulum à ſuperiore, ut eum ſibi præficiat quem eligere non licebat. Collatio fit ab Imperatore & Pontifice, ſi fortè emerſerit aliqua in eligendo difficultas. Et ita quidem hodiè obtinet. Olim Apoſtoli, & hinc Po-

pulus cum Clero Epiſcopos eligebant. Verum pòſt Imperatores & Reges amplexi fidem Chriſtianam paulatim hoc ſibi ſumpſerunt. Cumprimis poſtquam Epiſcopi invidendis opibus cœperunt eminere & ad reipublicæ conſilia admoveri. Prudenter exiſtimantes Cæſares Regesque, ſuâ multùm intereſſe, quibuſnam tanta poteſtas tantæque facultates concrederentur. Simul etiam, ut eſſet unde benè meritis poſſent tribuere beneficium. Hinc valdè conqueritur Baronius ad annum DLIX: à Regibus eſſe præſumptum jus præficiendi Eccleſiis paſtoribus deſtitutis Epiſcopos, hoc ſeculo, cum in Occidente, tum in Oriente. Viguit autem ea conſuetudo in Germania quoque uſque ad Gregorium VII: qui hac etiam de cauſa litem Henrico IV movit. Res variis agitata bellis eò tandem devenit, ut Henricus V juri ſuo cedere coactus ſit. Vbi dimidium majeſtatis eum perdidiſſe, rectè judicat Onuphrius Panvinius. Ex ea tranſactione ad Pontificem devoluta eſt confirmatio Archiepiſcoporum Epiſcoporumq; per baculum: ad Imperatorē collatio bonorum temporalium per ſceptrum, reverâ in ſpeciem magis, quàm ut arbitrio Cæſaris multùm hac in re manſerit reliquum. Poſteà tamen omnia ferè ad ſe traxerunt Pontifices, coactique Epiſcopi Germani multis aureorum millibus pallium, quod vocant, redimere: donec iterum eâ de re inter Nicolaum V & Fridericum III tranſactum eſt: quæ pacta hodieque in Curia Romana vocantur *Concordata nationis Germanicæ cum Curia Romanâ.* Secundum ea ſola ferè electio obtinet, niſi quòd emergentibus quibuſdam difficultatibus aliquando liceat Imperatori & Pontifici Epiſcopum conſtituere.

XXXIV. Et hæc de Eccleſiaſticis. Seculares vel ſucceſſione, vel nudâ Imperatoris collatione hanc dignitatem conſequuntur. Succeſſione: quamdiu aliquis ex familia

milia ſexus maſculini Laicus legitimè natus ſupereſt. Succedit autem ſemper filius primogenitus Laicus: quem quia lex ſimpliciter vocat, ille non tam beneficio patris quàm auctoritate legis hanc dignitatem conſequitur. Vnde quoque ſpem certam & invariabilem habet, quæ ei neque teſtamento neque pactis patris adimi poteſt. Privatæ enim diſpoſitioni non ampliùs ſubjacet, quod à lege determinatum eſt: cùm aliàs ſpes illa quam habent filii in hæreditate parentum variabilis ſit, & tota ex futuro eventu dependeat *arg. l. 1.* §. *21. ff. de collat. bon.* Excipimus hîc Regem Bohemiæ, quem & ipſa Aurea Bulla excipit *d. tit. 7.* De cujus ſucceſſione acerrimè cùm armis ſit his temporibus diſceptatum, litem illam noſtram non facimus.

XXXV. Juri quidem naturali maximè conſentaneum videtur, ut omnes liberi in æquales ſuccedant partes: quod etiam Iuri Romano civili convenit, ita tamen ut filii non excludant nepotes § *cùm filius &* §. *ult. I. de hæreditat. quæ ab inteſtat. & l. 2. 3. 4. C. de ſuis & legitim.* Sed cùm fieri nequeat, ut Regni dignitatem ac vim tueri exiguæ Regni partes poſſint, omni ferè ævo à cultioribus gentibus receptum eſt, ut unus tantùm ſuccederet. Et ſanè licet Regnum fuerit pars vera hæreditatis, (quod tamen non eſt ubivis, certe in Germaniâ nonniſi ex parte eſt) eâ tamen eſt naturâ, ut diviſionem quamvis non patiatur ſine ſui deſtructione. Cæterùm unus ille ſucceſſor quis eſſe debeat, non omnes conveniunt. Primogenitum tamen ſeu natu majorem plures & cultiores ſibi præficiendum putaſſe, vel ex eo conſtat, quòd Herodotus *lib. 7* hoc omnium populorum commune jus appellet. Hodiè quoque in pleriſque Regnis primogenitus ſuccedit: at modus ſuccedendi ſecundùm leges cujuſque Re-

gni variat. Et verò ſi id naturale eſt quod plerumque eſt convenientius, indubiè primogenitorum hoc jus quàm maximè eſt naturæ conſentaneum. Noſtris Electoribus quem modum ſuccedendi lex præſcribat, videbimus.

XXXVI. Nominat lex primo loco primogenitum ejuſque filium; iis autem non exiſtentibus ſecundogenitum verbis expreſſis, & deinceps ejus filium. Eſt autem certa JCti *deciſio in l. cum ita* §. *in fidei commiſſo ff. de legat.* 2. quod primò nominati primò quoque ſint vocati. Primùm à loco hîc nominatur primogenitus, hinc ejus filius; inde ſecundò genitus: ſub hac tamen conditione, ſi ſine liberis deceſſerit primogenitus: cujus conditionis ea vis eſt, ut exiſtentibus quibuſcunque primogeniti legitimis maſculis hæredibus, excludatur ſecundogenitus. De tertiogenito non ita ſunt expreſſa verba *A. Bullæ*: omninò tamen exiſtimandum eſt, quod diſpoſuit lex in Ordine ſuccedendi qui eſt inter ſecundogenitum & primogenitum, idem eam velle in Ordine ſuccedendi, qui eſt inter tertiogenitum & ſecundo genitum. Eadem enim utrobique militat ratio; & uti ſe habet ad primogenitum ſecundogenitus, ita procul dubio ſe habere debet tertiogenitus ad ſecundogenitum. Et verò dum ſecundogeniti filium lex vocat, omninò excludit tertiogenitum, niſi & ille ſine liberis decedat: quæ conditio in prioribus adjecta erat. Vnde decidi poteſt quæſtio, an tertiogenitus excludat ſecundò geniti filium & nepotes? Et vim inferunt textui qui tertiogenitum præferunt: etenim de filio expreſſa ſunt verba textus: pro nepotibus quoque ratio legis & circumſtantiæ præcedentes militant. Nec juvat, quod primogenituram non tempore nativitatis ſed ſucceſſionis acquiri dicas. Etenim id contrariatur juri primogenituræ, quod ipſo acquiritur momento quo quis in lucem editur.

Vnde

Vnde jus inſtantaneum & momentaneum à JCtis dicitur. Vide Molin. *de Hiſpan. primogen. lib. 3. cap. 6. n. 59.* Engelbrecht. *Tract. de Succesſione in Electorat.* qui totam hanc materiam fusè perſequitur. Magnific. Dn. Lampadium. *Tract. de Conſtitut. Imperii Romano-Germanici. cap. 4.* Idque apertè etiam lex noſtra probat, quando filium primogeniti, cujus pater Elector nunquam fuerat, ad ſucceſſionem vocat, qui admitti non poſſet ſi tempus delatæ ſucceſſionis ſpectaretur.

XXXVII. Confirmat hanc noſtram de ſucceſſione Electorum ſententiam Capit. Metenſ. ibi: *Primogenitus filius ſuccedat in iis, ſibique ſoli jus & dominium competat.* Bulla Francofurtenſis domus Saxonicæ, ibi: *Sancimus quòd poſt dicti VVenceslai Saxoniæ moderni & Lüneburgenſis Ducis obitum, primogenitus filius ipſius, & poſt ejus obitum ſenior filius, ex ordine genituræ ſemper ſenior ſuccedat. Si verò primogenitus Ducis VVenceslai deceſſerit, maſculini ſexus Laicis duntaxat legitimis hæredibus non relictis, & tunc ſecundogenitus &c.* Ejuſdem eſſe tenoris Bullam Palatinam à Sigiſmundo ſub anno 1414 datam, teſtatur Engelbrechtus *d. Tract.*

XXXIIX. Eadem erit agnatorum ſucceſſio. Nam reſpectu primi acquirentis deſcendentium numero cenſentur. Quare agnatos ex ſecundogenito agnatos ex tertiogenito ſecundùm mentem A. B. excludere, non dubitamus aſſerere. Non enim ſimpliciter gradus aut ætatis prærogativa ponitur, ſed in ordine genituræ, & quatenus quis primò nominatus eſt. *Engelbrech. d. Tract.*

XXXIX. Collatione Imperatoris, & quidem ſolius, dignitas Electoralis acquiritur, ſi Principatus Electoralis quacunque de cauſa vacet. *A. B. tit. 6.*

XL. Electoribus minorennibus tutores & adminiſtra-

Conſecuti ſunt & olim ſinguli Electores privilegia quædam ſeorſim, quæ omnia hîc recenſere non libet; neque verò facilè niſi ex Archivis cujuſque Electoris haberi poſſunt.

XLIII. NVNC ſingulos videamus. Eccleſiaſtici ArchiCancellarii vocantur. Quod quidem officium antiquum eſt; conſtat enim Carolum Magnum Cancellarios ſuos habuiſſe, qui Apocriſiarii dicti ſunt: eoſque Epiſcopos Germanos. Vide Lehman. *Chron. Spirenſ. cap. 7. lib. 2.* Quando verò ad certos hos Archiepiſcopatus reſtricta ſit hæc dignitas, non ita conſtat. Illud certum eſt, in Aurea Bulla eas eſſe confirmatas. ArchiEpiſcopus itaque Moguntinus, qui primus eſt Electorum, eſt ArchiCancellarius per Germaniam. Ei præ cæteris hoc proprium eſt; quòd vacante Imperio literis patentibus ſignificare tenetur Coëlectoribus ſuis ut à die in literis expreſſa intra tres menſes continuos ad eligendum Imperatorem Francofurtum ad Mœnum conveniant, aut Legatos ſuos mittant *A. B. tit. 2.* In ipſa etiam electione vota inquirit, ultimoque loco à Coëlectoribus rogatus mentem ſuam aperit *A. B. tit. 4.* Trevirenſis ArchiCancellarius eſt per Galliam & Regnum Arelatenſe: quibus nominibus non integra Gallia, ſed quicquid ejus ad Regnum Burgundicum pertinuit, quod ſeculo XI Germaniæ jungi cœpit, intelligitur. Ei in electione primum competit ſuffragium *A. B. tit. 4.* Archiepiſcopus Colonienſis Archicancellarius audit per Italiam, hoc eſt per Regnum Langobardorum & reliquias veteris Imperii Romani. Ei votum ſecundum tribuitur *A. B. tit. 4.* Præterea intra ſuam diœceſin primum, Regni ſcilicet Germanorum, imponit diadema *d. c. 4.*

XLIV. Inter Seculares Electores primus eſt Rex Bohemiæ, cùm ſit Princeps coronatus & unctus. *A. B. tit. 4. lib. 7.* Cui licet votum in electione denegent Speculum

Saxo-

Saxonicum & Abbas Stadenſis: Aurea tamen Bulla ei expreſſis verbis tertium votum tribuit *tit.* 4. Vnde liquet, à more ſeculi decimi tertii eſſe diſceſſum. Eſt præterea Pincerna Imperialis, & tenetur Imperatori primum porrigere poculum in celebratione Curiæ Imperialis, non tamen redimitus coronâ Regali, niſi id liberâ voluntate facere velit. *A. B. tit.* 4. *& tit.* 27.

XLV. Secundum locum obtinet Comes Palatinus Rheni. Qui hac præ cæteris fruitur prærogativâ, quòd vacante Imperio in partibus Rheni & Sueviæ proviſor ſit Imperii; cum poteſtate judicia exercendi, idoneos ad beneficia Eccleſiaſtica præſentandi, colligendi reditus & proventus Imperii, inveſtiendi de feudis, ut & juramenta fidelitatis vice & nomine ſacri Imperii recipiendi. Quæ tamen per Cæſarem Romanum poſteà electum, ſuo tempore omnià innovari, & de novo juramenta Cæſari ipſa præſtari debebunt. Feuda Principum duntaxat excepta ſunt, & alia quæ Fahnlehn vulgò appellantur: quorum inveſtitura & collatio ſoli Imperatori vel Regi Romanorum ſpecialiter reſervata eſt. Ipſi præterea Palatino omne genus alienationis ſeu obligationis eſt interdictum. Votum in electione habet quintum, & in celebratione Curiæ Imperialis Archidapiferi fungitur officio. *A. B. tit.* 27. Illud quoque ipſi ſoli competit, quòd Imperator ſuper cauſis, quibus impetitus fuerit, coram eo, ſed in ipſa Imperiali curia, debeat reſpondere. *A. B. tit.* 5. Præterea in ſolenni proceſſione geſtat pomum Imperiale *A. B. tit.* 22.

XLVI. Tertius inter Seculares Electores Dux Saxoniæ eſt. Cui, vacante Imperio, idem jus quod Comiti Palatino in partibus Rheni & Sueviæ competere diximus, in locis ubi Saxonica jura ſervantur, conceſſum eſt. *A. B. dict. tit.* 5. Quæ ſanctionis Aureæ verba paulò poſt ta-

corum. Non quòd ſicuti prædicti ſecundum eorum placitum eligere debeant, ſed quem omnes Illuſtres eligunt, eundem præ cæteris in Regem nominabunt. Eandemque ſententiam confirmat Abbas Stadenſis ad annum 140: *Papa Gregorius*, inquit, *inſolentias metuens Imperatorias contra Eccleſiam, Principes Germaniæ ſuper electione alterius ſollicitavit, & nihil profecit. Quia quidam Principes reſcripſerunt, non eſſe ſui juris Imperatorem conſtituere.* Addit deinde: *Ex prætaxatione Principum & conſenſu eligunt Imperatorem Trevirenſis, Moguntinus, & Colonienſis: & de Secularibus eligit Palatinus quia Dapifer eſt, Dux Saxoniæ quia Marſchallus, & Marggravius de Brandenburg quia Camerarius, Rex Bohemiæ quia Pincerna eſt non eligit, quia non eſt Teutonicus.* Vbi nota quod dicat: ratione Officiorum illorum jus eligendi eſſe penes Principes. Vnde colligimus, non parvam quoq; occaſionem, adipiſcendæ tantæ poteſtatis præbuiſſe hæc Officia jam tum ſtata & hereditaria, de quibus infra *th* 47, plura.

XXXI. Manifeſtum autem eſt ex hisce omnibus, jam horum Scriptorum tempore (vixerunt autem circa ætatem Friderici II) aliquam præ cæteris eorum Principum, qui hodiè Electores audiunt, in eligendo poteſtatem fuiſſe: attamen non tantam quæ reliquos omnino excluderet. Vnde concludimus: cum Friderico II mortuo perturbatiſſimus eſſet Germaniæ ſtatus, & durante interregno multorum annorum rempublicam ferè nemo curaret, cæteris vel ob imbecillitatem vel ob negligentiam jura ſua non ſatis tuentibus, (ut ſanè ex illo tempore Ordinum pauci habuerunt curam totius Imperii, donec Maximilianus I inſtituit illam in Circulos diviſionem & Cameram Spirenſem,) hos ut potentiores ſibi ſolis id juris ſumpſiſſe. Confirmat hoc etiam Aurea Bulla, quando ſtatim *l. 1.* ad laudabilem *conſuetudinem* provocat. Et in eadem nobiſcum

biſcum ſententia ſunt Onuphrius *de Comitiis Imperat. cap.* 6. Arniſæus *de Rep. cap. 6.* Carpzov. *de Leg. Reg. Germ. c.* 11. *ſect.* 1.

XXXII. CONFIRMATA autem eſt hæc jam moribus introducta conſuetudo ſolenni & firmâ lege: & quidem optimo conſilio, quod interſit reipublicæ quàm maximè, ut ſummum ipſius regimen firmiter ſit conſtitutum: à Carolo IV. Quam legem Auream Bullam vocamus; eâque tota eligendi ratio & omnis Electorum poteſtas continetur. Et verò ex eo demum Septemviri illi Electorium titulum ſuo nomini adjecerunt, crevitque illorum dignitas maximè. Nos ex Aureâ illâ Bullâ, quæ ad noſtrum inſtitutum facere videbuntur, paucis excerpemus.

XXXIII. Et primò quidem, quomodo deferatur Electoralis dignitas videbimus. Vbi obſervandum, Electores *vi & virtute Regni & Principatuum ſuorum* hoc juris adipiſci *A. B. tit. 7.* Quod ita intelligendum eſt, ut, ſi Archiepiſcopi Archiepiſcopatus ſuos, Rex Bohemiæ Bohemiam, Palatinus Palatinatum, Elector Saxoniæ Electoralem Ducatum Saxoniæ, Brandenburgicus Electoralem ſuam terram legitimè acquiſierint, eligendi quoque jus obtineant. Quare non ſimpliciter perſonæ, ſed quatenus ea terram Electoralem poſſidet, hæc cohæret dignitas. Porrò Eccleſiaſtici quidem Electores, ut alii Germaniæ Epiſcopi, vel electione vel collatione inſtituuntur. Electio fit communi vel plurium Capitularium ſuffragio. In ſubſidium verò electionis introducta eſt Poſtulatio, ut eum quem eligere non licet, poſtulare liceat: petitque per eam Capitulum à ſuperiore, ut eum ſibi præficiat quem eligere non licebat. Collatio fit ab Imperatore & Pontifice, ſi fortè emerſerit aliqua in eligendo difficultas. Et ita quidem hodiè obtinet. Olim Apoſtoli, & hinc Po-

pulus cum Clero Epiſcopos eligebant. Verùm pòſt Imperatores & Reges amplexi fidem Chriſtianam paulatim hoc ſibi ſumpſerunt. Cumprimis poſtquam Epiſcopi invidendis opibus cœperunt eminere & ad reipublicæ conſilia admoveri. Prudenter exiſtimantes Cæſares Regesque, ſuâ multùm intereſſe, quibusnam tanta poteſtas tantæque facultates concrederentur. Simul etiam, ut eſſet unde benè meritis poſſent tribuere beneficium. Hinc valdè conqueritur Baronius ad annum DLIX: à Regibus eſſe præſumptum jus præficiendi Eccleſiis paſtoribus deſtitutis Epiſcopos, hoc ſeculo, cum in Occidente, tum in Oriente. Viguit autem ea conſuetudo in Germania quoque uſque ad Gregorium VII: qui hac etiam de cauſa litem Henrico IV movit. Res variis agitata bellis eò tandem devenit, ut Henricus V juri ſuo cedere coactus ſit. Vbi dimidium majeſtatis eum perdidiſſe, rectè judicat Onuphrius Panvinius. Ex ea tranſactione ad Pontificem devoluta eſt confirmatio Archiepiſcoporum Epiſcoporumq; per baculum: ad Imperatorē collatio bonorum temporalium per ſceptrum, reverâ in ſpeciem magis, quàm ut arbitrio Cæſaris multùm hac in re manſerit reliquum. Poſteà tamen omnia ferè ad ſe traxerunt Pontifices, coactique Epiſcopi Germani multis aureorum millibus pallium, quod vocant, redimere: donec iterum eâ de re inter Nicolaum V & Fridericum III tranſactum eſt: quæ pacta hodieque in Curia Romana vocantur *Concordata nationis Germanicæ cum Curia Romanâ*. Secundùm ea ſola ferè electio obtinet, niſi quòd emergentibus quibuſdam difficultatibus aliquando liceat Imperatori & Pontifici Epiſcopum conſtituere.

XXXIV. Et hæc de Eccleſiaſticis. Seculares vel ſucceſſione, vel nudâ Imperatoris collatione hanc dignitatem conſequuntur. Succeſſione: quamdiu aliquis ex familia

milia ſexus maſculini Laicus legitimè natus ſupereſt. Succedit autem ſemper filius primogenitus Laicus: quem quia lex ſimpliciter vocat, ille non tam beneficio patris quàm auctoritate legis hanc dignitatem conſequitur. Vnde quoque ſpem certam & invariabilem habet, quæ ei neque teſtamento neque pactis patris adimi poteſt. Privatæ enim diſpoſitioni non ampliùs ſubjacet, quod à lege determinatum eſt: cùm aliàs ſpes illa quam habent filii in hæreditate parentum variabilis ſit, & tota ex futuro eventu dependeat *arg. l. 1. §. 21. ff. de collat. bon.* Excipimus hîc Regem Bohemiæ, quem & ipſa Aurea Bulla excipit *d. tit. 7.* De cujus ſucceſſione acerrimè cùm armis ſit his temporibus diſceptatum, litem illam noſtram non facimus.

XXXV. Juri quidem naturali maximè conſentaneum videtur, ut omnes liberi in æquales ſuccedant partes: quod etiam Iuri Romano civili convenit, ita tamen ut filii non excludant nepotes § *cùm filius & §. ult. I. de hæreditat. quæ ab inteſtat. & l. 2. 3. 4. C. de ſuis & legitim.* Sed cùm fieri nequeat, ut Regni dignitatem ac vim tueri exiguæ Regni partes poſſint, omni ferè ævo à cultioribus gentibus receptum eſt, ut unus tantùm ſuccederet. Et ſanè licet Regnum fuerit pars vera hæreditatis, (quod tamen non eſt ubivis, certe in Germaniâ nonniſi ex parte eſt) eâ tamen eſt naturâ, ut diviſionem quamvis non patiatur ſine ſui deſtructione. Cæterùm unus ille ſucceſſor quis eſſe debeat, non omnes conveniunt. Primogenitum tamen ſeu natu majorem plures & cultiores ſibi præficiendum putaſſe, vel ex eo conſtat, quòd Herodotus *lib. 7* hoc omnium populorum commune jus appellet. Hodiè quoque in pleriſque Regnis primogenitus ſuccedit: at modus ſuccedendi ſecundùm leges cujuſque Re-

 gni

gni variat. Et verò ſi id naturale eſt quod plerumque eſt convenientius, indubiè primogenitorum hoc jus quàm maximè eſt naturæ conſentaneum. Noſtris Electoribus quem modum ſuccedendi lex præſcribat, videbimus.

XXXVI. Nominat lex primo loco primogenitum ejuſque filium; iis autem non exiſtentibus ſecundogenitum verbis expreſſis, & deinceps ejus filium. Eſt autem certa JCti *deciſio in l. cum ita* §. *in fidei commiſſo ff. de legat.* 2. quod primò nominati primò quoque ſint vocati. Primùm à loco hîc nominatur primogenitus, hinc ejus filius; inde ſecundò genitus: ſub hac tamen conditione, ſi ſine liberis deceſſerit primogenitus: cujus conditionis ea vis eſt, ut exiſtentibus quibuſcunque primogeniti legitimis maſculis hæredibus, excludatur ſecundogenitus. De tertiogenito non ita ſunt expreſſa verba *A. Bullæ*: omninò tamen exiſtimandum eſt, quod diſpoſuit lex in Ordine ſuccedendi qui eſt inter ſecundogenitum & primogenitum, idem eam velle in Ordine ſuccedendi, qui eſt inter tertiogenitum & ſecundo genitum. Eadem enim utrobique militat ratio; & uti ſe habet ad primogenitum ſecundogenitus, ita procul dubio ſe habere debet tertiogenitus ad ſecundogenitum. Et verò dum ſecundogeniti filium lex vocat, omninò excludit tertiogenitum, niſi & ille ſine liberis decedat: quæ conditio in prioribus adjecta erat. Vnde decidi poteſt quæſtio, an tertiogenitus excludat ſecundò geniti filium & nepotes? Et vim inferunt textui qui tertiogenitum præferunt: etenim de filio expreſſa ſunt verba textus; pro nepotibus quoque ratio legis & circumſtantiæ præcedentes militant. Nec juvat, quod primogenituram non tempore nativitatis ſed ſucceſſionis acquiri dicas. Etenim id contrariatur juri primogenituræ, quod ipſo acquiritur momento quo quis in lucem editur.

Vnde

Vnde jus inſtantaneum & momentaneum à JCtis dicitur. Vide Molin. *de Hiſpan. primogen. lib. 3. cap. 6. n. 59.* Engelbrecht. *Tract. de Succesſione in Electorat.* qui totam hanc materiam fusè perſequitur. Magnific. Dn. Lampadium. *Tract. de Conſtitut. Imperii Romano-Germanici. cap. 4.* Idque apertè etiam lex noſtra probat, quando filium primogeniti, cujus pater Elector nunquam fuerat, ad ſucceſſionem vocat, qui admitti non poſſet ſi tempus delatæ ſucceſſionis ſpectaretur.

XXXVII. Confirmat hanc noſtram de ſucceſſione Electorum ſententiam Capit. Metenſ. ibi: *Primogenitus filius ſuccedat in iis, ſibique ſoli jus & dominium competat.* Bulla Francofurtenſis domus Saxonicæ, ibi: *Sancimus quòd poſt dicti VVenceslai Saxoniæ moderni & Lüneburgenſis Ducis obitum, primogenitus filius ipſius, & poſt ejus obitum ſenior filius, ex ordine genituræ ſemper ſenior ſuccedat. Si verò primogenitus Ducis VVenceslai deceſſerit, maſculini ſexus Laicus duntaxat legitimis hæredibus non relictis, & tunc ſecundogenitus &c.* Ejuſdem eſſe tenoris Bullam Palatinam à Sigiſmundo ſub anno 1414 datam, teſtatur Engelbrechtus *d. Tract.*

XXXIIX. Eadem erit agnatorum ſucceſſio. Nam reſpectu primi acquirentis deſcendentium numero cenſentur. Quare agnatos ex ſecundogenito agnatos ex tertiogenito ſecundùm mentem A. B. excludere, non dubitamus aſſerere. Non enim ſimpliciter gradus aut ætatis prærogativa ponitur, ſed in ordine genituræ, & quatenus quis primò nominatus eſt. *Engelbrech. d. Tract.*

XXXIX. Collatione Imperatoris, & quidem ſolius, dignitas Electoralis acquiritur, ſi Principatus Electoralis quacunque de cauſa vacet. *A. B. tit. 6.*

XL. Electoribus minorennibus tutores & adminiſtra-

tores præficiendi ſunt donec legitimam attingant ætatem: quam in Electoribus decem & octo annos completos cenſeri vult *A. B. d. tit. 7.* Vti verò in ſucceſſionibus, ita & in tutela hac diſcedit lex hæc publica à regulis Iuris Civilis. Etenim cneri eſt vulgaris tutela, & publicâ auctoritate ſuſtinenda. Vnde etiam juſtæ cauſæ, quæ ab hoc onere excuſent, proponuntur *tit. ff. de Excuſat. tut.* Hæc ingentia ſecum fert commoda poteſtatemque ſummam. Jure civili etiam teſtamento licet dare tutores, iique præponuntur agnatis. *arg pr. l. de legitim. agnat. tutel.* Contrarium hîc obtinet. Neq; enim ordinariè quidem licet Electoribus teſtamento tutores dare, ſed expreſsè hac lege cautum eſt, ut frater primogeniti ſenior tutor ſit: qui, dum legitimam minorennis attigerit ætatem, jus vocem & poteſtatem & omnia ab ipſis dependentia habet.

XLI. PORRO Electoribus quædam competunt univerſis, quædam ſingulis. Vniverſis competit jus & poteſtas eligendi Imperatorem, iisque ſolis: qua in re maxima eorum poteſtas, & præ reliquis Principibus eminentia elucet. Modus eis in eligendo præſcriptus peti poteſt ex A B. Neque enim noſtrum patitur inſtitutum ea omnia heic perſequi. Illud quæritur. An ſicut eligendi, ita etiam deponendi Imperatores jus habeant? Et quidem Aurea Bulla nihil hac de re habet. Aſt hiſtoriæ tamen depoſitum ab Electoribus Wenceslaum videntur quodãmodo teſtari. Cęterum ſoli Septemviri jus habent coronâ regni Germanici electum Imperatorem ornandi: altera Cæſarea coronatione ad Papam pertinente. Illud quoque magnam arguit Electorum potentiam, quòd *A. B. t. 12* ſancitum eſt: debere eos ſolos quotannis, cæteris excluſis, convenire, & de republica conſilia conferre. Quod etſi quovis anno factum

factum non fuerit hactenus, aliquoties tamen ejuſmodi comitia, Churfürſten Tage/ habita fuerunt.

XLII. Communia etiam ſunt Electoribus, privilegia quæ iis tribuuntur paſſim in A. B: quorum tamen non pauca aliis quoque Principibus hodie competunt. Sunt autem ferè hæc. Quòd auri & argenti fodinas, atque mineras ſtanni cupri plumbi ferri & alterius cujuscunque generis metalli ac ſalis, tam inventas quam inveniendas inpoſterum quibuſcunque temporibus, jure & legitimè poſſidere poſſint cum omnibus juribus, nullo prorſus excepto, prout poſſunt ſeu conſueverunt legitimè poſſideri. *A. B. tit. 9.* II. Quòd liceat illis Iudæos recipere. III. Telonia olim ſtatuta & indicta percipere *A. B. tit. 9.* IV. Cudere monetam auream & argenteam *A. B. tit.* 10. V. Quòd poſſint à quibuſcunque Principibus, Magnatibus, Comitibus ac aliis perſonis, quaſcunque terras, caſtra, poſſeſſiones ſive bona emere, aut in obligationem recipere, ſub talium rerum, caſtrorum, poſſeſſionum, prædiorum ſeu bonorum conditione conſueta, ut videlicet propria recipiantur vel comparentur ut propria, libera velut libera, & ea quæ dependent in feudum ſimiliter emantur in feudum, ſeu comparata taliter teneantur. *A. B tit. 10.* VI. Quòd Electorum ſubditi ad cujuſcunque actoris inſtantiam, extra territorium terminos ac limites eorum, ad quodcunque aliud tribunal trahi ſeu vocari non debeant. *A B. tit.* 11. VII. Quòd privilegia aliis ſtatibus aut perſonis ab Imperatore conceſſa & concedenda, non debeant aut poſſint libertatibus jurisdictionibus juribus & honoribus Electorum derogare. *A. B. tit. 13.* IIX. Quod, cum feudalia ſua ſive Regalia ab Imperatore recipiunt, ad dandum vel ſolvendum aliquid nulli penitùs ſint adſtricti. *A. B. tit. 29.*

Con-

Conſecuti ſunt & olim ſinguli Electores privilegia quædam ſeorſim, quæ omnia hîc recenſere non libet; neque verò facilè niſi ex Archivis cujuſque Electoris haberi poſſunt.

XLIII. NVNC ſingulos videamus. Eccleſiaſtici ArchiCancellarii vocantur. Quod quidem officium antiquum eſt; conſtat enim Carolum Magnum Cancellarios ſuos habuiſſe, qui Apocriſiarii dicti ſunt: eoſque Epiſcopos Germanos. Vide Lehman. *Chron. Spirenſ. cap. 7. lib. 2.* Quando verò ad certos hos Archiepiſcopatus reſtricta ſit hæc dignitas, non ita conſtat. Illud certum eſt, in Aurea Bulla eas eſſe confirmatas. ArchiEpiſcopus itaque Moguntinus, qui primus eſt Electorum, eſt ArchiCancellarius per Germaniam. Ei præ cæteris hoc proprium eſt; quòd vacante Imperio literis patentibus ſignificare tenetur Coëlectoribus ſuis ut à die in literis expreſſa intra tres menſes continuos ad eligendum Imperatorem Francofurtum ad Mœnum conveniant, aut Legatos ſuos mittant *A. B. tit. 2.* In ipſa etiam electione vota inquirit, ultimoque loco à Coëlectoribus rogatus mentem ſuam aperit *A. B. tit. 4.* Trevirenſis ArchiCancellarius eſt per Galliam & Regnum Arelatenſe: quibus nominibus non integra Gallia, ſed quicquid ejus ad Regnum Burgundicum pertinuit, quod ſeculo XI Germaniæ jungi cœpit, intelligitur. Ei in electione primum competit ſuffragium *A. B. tit. 4.* Archiepiſcopus Colonienſis Archicancellarius audit per Italiam, hoc eſt per Regnum Langobardorum & reliquias veteris Imperii Romani. Ei votum ſecundum tribuitur *A. B. tit. 4.* Præterea intra ſuam diœceſin primum, Regni ſcilicet Germanorum, imponit diadema *d. c. 4.*

XLIV. Inter Seculares Electores primus eſt Rex Bohemiæ, cùm ſit Princeps coronatus & unctus. *A. B. tit. 4. lib. 7.* Cui licet votum in electione denegent Speculum

Saxo-

Saxonicum & Abbas Stadenſis : Aurea tamen Bulla ei expreſſis verbis tertium votum tribuit *tit.* 4. Vnde liquet, à more ſeculi decimi tertii eſſe diſceſſum. Eſt præterea Pincerna Imperialis, & tenetur Imperatori primum porrigere poculum in celebratione Curiæ Imperialis, non tamen redimitus coronâ Regali, niſi id liberâ voluntate facere velit. *A. B. tit.* 4. *& tit.* 27.

XLV. Secundum locum obtinet Comes Palatinus Rheni. Qui hac præ cæteris fruitur prærogativâ, quòd vacante Imperio in partibus Rheni & Sueviæ proviſor ſit Imperii; cum poteſtate judicia exercendi, idoneos ad beneficia Eccleſiaſtica præſentandi, colligendi reditus & proventus Imperii, inveſtiendi de feudis, ut & juramenta fidelitatis vice & nomine ſacri Imperii recipiendi. Quæ tamen per Cæſarem Romanum poſteà electum, ſuo tempore omnià innovari, & de novo juramenta Cæſari ipſi præſtari debebunt. Feuda Principum duntaxat excepta ſunt, & alia quæ Fahnlehn vulgò appellantur: quorum inveſtitura & collatio ſoli Imperatori vel Regi Romanorum ſpecialiter reſervata eſt. Ipſi præterea Palatino omne genus alienationis ſeu obligationis eſt interdictum. Votum in electione habet quintum, & in celebratione Curiæ Imperialis Archidapiferi fungitur officio. *A. B. tit.* 27. Illud quoque ipſi ſoli competit, quòd Imperator ſuper cauſis, quibus impetitus fuerit, coram eo, ſed in ipſa Imperiali curia, debeat reſpondere. *A. B. tit.* 5. Præterea in ſolenni proceſſione geſtat pomum Imperiale *A. B. tit.* 22.

XLVI. Tertius inter Seculares Electores Dux Saxoniæ eſt. Cui, vacante Imperio, idem jus quod Comiti Palatino in partibus Rheni & Sueviæ competere diximus, in locis ubi Saxonica jura ſervantur, conceſſum eſt. *A. B. dict. tit.* 5. Quæ ſanctionis Aureæ verba paulò poſt ta-

men lites alicubi moverunt, ex quo jurium Saxonicorum loco invaluerunt Romana. Votum in electione habet quintum. In Curiâ Imperiali Archi-Mareſchalli fungitur officio *A. B. tit.* 5. præfertque Imperatori gladium evaginatum. *A B. tit.* 26.

XLVII. Comes Palatinus Rheni & Dux Saxoniæ, uti diximus, vacante Imperatorio munere, negotia Imperii per Germaniam adminiſtrant. Ubi iterum nobis obloquuntur Pontificiæ dignitatis nonnulli nimii adſertores. Nam ut alia omnia, ita vacante Imperiali munere (quod totum ad Pontificē pertinere dicunt), ipſum quoq; Vicariatus officio fungi volunt. Verùm hæc ſatis ex illis quæ ſupra diximus refelli poſſunt. Nos expreſſam habemus legem: eaque aliquoties in uſum traducta eſt: quare equidem nihil illos moramur. Nec verò vel in ea quæ ſunt verè veteris Imperii Romani ad Germanos delapſa, vel in reliqua Italiæ ad Regnum Langobardiæ pertinentia, in quæ maximè Vicariatus jura ſibi arrogat Papa, unquam legas à Germaniæ aut Italiæ Ordinibus ejuſmodi jus Papis eſſe conceſſum. Non potuit autem Papa niſi ex conceſſione illud accipere, utpote cum Langobardicum certè Regnum Papæ nulla ex parte fuerit ſubjectum. Ex adverſo per Italiam VVenceslaus Vicarium perpetuum conſtituit Ducem Mediolanenſem, ſi credimus Cardinali Tuſcho; ſi aliis, Dux Sabaudiæ ex Cæſarum conſtitutione hoc jure gaudet.

XLIIX. Ultimus Electorum eſt Marchio Brandenburgenſis. Ei votum competit ſextum *A. B. tit.* 4. Fungitur in Curiâ munere Archicamerarii, Imperatorique aquam porrigit. *A. B. tit.* 27 & in proceſſione ſceptrum præfert. *tit.* 22. *&* 26.

XLIX. COMMUNE omnibus hiſce Electoribus Secularibus eſſe, quòd quilibet eorum peculiare aliquod in Curia

ria

ria Imperiali obtineat officium, jam diximus. Ea officia quando hæreditaria eſſe cœperint iis familiis, penes quas nunc ſunt, non adeò manifeſtum eſt. Tempore Francorum talia officia fuiſſe in uſu, demonſtrat Lehmannus *Chron. Spirenſ. lib. 2. aliquot. capitib.* Sequentibus quoque temporibus ad ejuſmodi officia Imperatores Principibus Germaniæ uſos eſſe, ex Witichindo patet in hiſtoriâ coronationis Ottonis Magni; *lib. 2. de reb. geſt. Saxon. atq́ Otton.* Ait enim. *Divinâ deinde laude dictâ ſacrificioque ſolenniter celebrato, deſcendebat Rex ad palatium, & accedens ad menſam marmoream Regio apparatu ornatam, reſedit cum Pontificibus & omni Populo: Duces verò miniſtrabant. Lotharingiorum Dux Giſelbertus, ad cujus poteſtatem locus ille pertinebat, omnia procurabat: Everhardus menſæ præerat: Hermannus Franco pincernis, Arnulfus equeſtri ordini & eligendis locandisque caſtris, præerat.* Fuit autem Everhardus Sueviæ, Arnulfus Bavariæ Dux. Nulla verò fit mentio earum familiarum quæ hodiè hiſce præſunt officiis. Neceſſe itaque eſt, poſt ea demum tempora ad has eſſe devoluta. Affirmat Freherus *cap. 15. l. 1. Orig. Palatin.* Henricum II Epiſcopo Bambergenſi dediſſe hoc privilegium, ut ab eo acciperentur hæc officia: quod ſi verum eſt, fortaſſis tunc quoque temporis ad has familias delata fuerit hæc dignitas. Quicquid ſit, non eſt dubitandum: quum hujusmodi aulica officia ſint præ aliis ſplendida, ex quo in certas familias illa collata ſunt, etiam illas familias præ aliis cœpiſſe dignitate eminere, adeoq; has præcipuè Curiæ Imperialis adminiſtrationē ſibi meritò ſumpſiſſe. Unde non potuerunt non, vacante Cæſareâ dignitate, cùm reipublicæ tùm inprimis novæ electionis vim quoq; ad ſe potiſſimùm trahere. Habet porrò Officialium illorum quilibet ſubſtitutum ſuum. Archipincerna Vicepincernam de Limburg; Archidapifer

Magiſtrum coquinæ de Nordenberg : Archimarſchallus Vicemareſchallum de Papenheim : Archicamerarius Vicecamerarium de Falkenſtein : quibus etiam ea, quibus miniſtrârunt in Curiâ Electores, inſtrumenta argentea, unâ cum equis quibus inſederunt, lege cedunt. *A. B. tit. 20,* Et cùm Princeps aliquis præter Electores, aut non munitus ſingulari privilegio recipit feudum ab Imperatore, de ſexaginta tribus, quas tenetur ſolvere, marchis quilibet Officialium illorum ſubſtitutus accipit marchas decem. *A. B. tit. 29.*

L. Poſtremò dignitas Electoralis regulariter morte naturali finitur. Aliis de cauſis quomodo Elector excidere Electoratu poſſit, in A. B. non eſt expreſſum. Eſt autem veriſimile, iisdem ex cauſis Electoratu quem cadere, ex quibus Principatu privatur. Quippe dignitates & terras Electorales indiviſibili cohærere nodo ſuprà demonſtravimus. Exemplum habemus in Johanne Friderico Saxonico Electore, qui violatæ pacis & perduellionis à Carolo V condemnatus, ditione ſimul & dignitate Electorali excidit. Idem contigit noſtrâ memoriâ Friderico Palatino, qui eorundem criminum factus reus, omni ditione & dignitate Electorali privatus eſt. Et hæc ſunt quæ hac vice de Electoribus eorumque origine ex hiſtoriis & Aurea Bulla excerpere viſum fuit.

LI. ANTEQVAM autem hinc abeamus, obſervandum ducimus: moribus veteris Germaniæ valdè videri commodam fuiſſe illam ex hæreditaria ſucceſſione & liberâ electione mixtam conſtituendorum Regum rationem. Prorſus videlicet libera electio non convenisſet populo feroci & bellicoſo, ſed turbas plurimas dediſſet. Merè autem hæreditariâ ſucceſſione facilè ad ignavos aut malos devolvi imperium potuiſſet; quod illa ætate in rudi populo & militiæ

dedi-

dedito ſummè fuiſſet noxium. Etiam hoc nomine ergo Gregorio VII & aliis Papis eſt quòd haud immerito diras precetur Germania : qui Populum & Principes à tam ſalutari inſtituto, cujuſque ab antiquisſimis temporibus in Germanicis gentibus uſus fuerat, ad novam eligendi non libertatem ſed licentiam vocaverunt. Certè inter cauſas imminuti Regni Germanici hæc licentia una eſt potisſimarum : quod multis oſtendi poſſet ſi foret hujus inſtituti. Ex parte quidem correctum hoc malum eſt eligendi poteſtate ad Septem adeòq; paucos Principes contractâ : minores enim diſſenſiones ex eo habuit electio. Regiæ tamen poteſtatis diſſolutioni & caſui, quod alterum eſt electionis malum, cautum non fuit. Benè ſcilicet ille apud Barclajum *Argenid. lib. 2. Ipſi Aquilii diverſo è genere lecti quàm ſæpè majeſtatis ſua vires his proditas curis fregerunt! Inter hos ille, cujus ſanctiones aureas dicunt, ut filio Regnum pararet, quo pretio ſuffragatores emit? Quo deinde ſceptri incommodo, cùm ſolvendo non eſſet, publica iis vectigalia conceſſit? Quæ primùm pignoris nomine occupata, mox iſti imbecillitate vel errore regnantium in hæreditarium verterunt.* Certè optimo contigit Germaniæ, quòd ducentis jam annis ampliùs placuerit Electoribus, ex parte illam cognaticam ſucceſſionem veterem rurſus obſervare. Hoc ſanè niſi fuiſſet factum ne umbra quidem reipublicæ jam fortaſſis ſupereſſet : utut & ita miſerè (proh dolor!) ſit collapſa, in parteſq; quodammodo nunc diſſiliat.

EXERCITATIO SEXTA

DE

JUDICIIS REIPUBLICÆ GERMANICÆ.

Habita X. Aprilis Anno cIↄ. Iↄc. XLVII.

RESPONDENTE

CHRISTOPHORO ULRICO von Burgſtorff

Equite Marchiaco.

THESIS I.

QVoniam omnis Civitas, vel quod idem nobis eſt, Societas civilis obtinendæ vitæ felicis ergo, ſive illa verè talis ſit, ſive per errorem eſſe talis cenſeatur, ſolet inſtitui; omnis autem ejuſmodi vita multis indiget, manifeſtum eſt, multa quoque ad id, ut Civitas quælibet propoſito ſuo convenienter ſeſe habeat, deſiderari. Neque verò non etiam variis opus eſt, ut quæ Civitas vel copiis ſit locuples, vel imperio ampla, vel luxu & otio abundet; quales vulgo, per errorem tamen, feliciſſimæ omnium exiſtimantur. Inter illa verò antecellunt indubiè, quæ ad reipublicæ cujuslibet regimen atque adminiſtrationem pertinent; utpote quum hoc quaſi anima ſit Civitatis, reliquis corporis vice fungentibus. Regiminis autem cujuſque ratio & forma potiſſimùm quidem in parte illa, quam penes rei ſumma eſt atque majeſtas, quadamtenus tamen & in Magiſtratibus & Iudiciis, collocatur. Hæc etenim tria ſi benè aut ſecus ſeſe habeant, ipſa quoque

Civitas

Civitas felix eſt vel infelix; prout etiam aliter atque aliter diſpoſita ſunt, forma reipublicæ alia atque alia exoritur. Hinc perſpicuum eſt, ut alterius alicujus, ità & Germanicæ reipublicæ notitiam exactam exoptanti, in multa & varia eſſe quidem inquirendum (cujuſmodi inter alia ſunt & locus ipſe, & hominum indoles, numerus, robur & opes porrò omnis generis, & vivendi modus) præcipuè tamen operam collocandam in illorum, quæ diximus, trium diligentiore perſcrutatione.

II. Cæterùm quomodo per Germaniam legumlatio, belli pacis fœderumque arbitrium, pœnarum præmiorumve in cives præcipuos collatio (quæ omnia primæ illius & præcipuæ partis circa reipublicæ ſummam occupatæ munia ſunt) vel hactenus ſeſe habuerit, vel etiamnum ſeſe habeat; Magiſtratuum porrò quæ ſemper fuerit ratio uſque huc, id docere alterius eſt operæ. Nunc tantum in Judicia inquirere animus eſt: eorum formam conſtitutionemque, argumento ab antiquiſſimâ memoriâ in hæc uſque tempora perducto, expoſituri. Hoc ipſum verò quàm commodiſſimè præſtiterimus, ſi doceamus, cùm circa quæ fuerint occupata Judicia, tùm Judices ipſi à quibus ex quibus & quomodo fuerint conſtituti. Hæc ſanè prout ſeſe habeant, multum refert ad regiminis publici ipſam formam & naturam. Si enim ab unius alicujus liberrimo arbitratu judiciorum pendeat conſtitutio, μοναρχικὸν hoc eſt, aut etiam τυραννικόν. Si paucis id datum eſt, & quidem vel ditiſſimis vel optimis, ἀριστοκρατικὸν aut ὀλιγαρχικόν τι hoc ſapit. Si penes omnes tale quid ſtet, eſt hoc δημοκρατικόν. Similiter ſi judices eligantur ex omnibus promiſcuè, Democraticum hoc eſt inſtitutum; ſi ex paucis ditiſſimis, ὀλιγαρχικὸν; ſi ex paucis optimis, ἀριστοκρατικὸν τι refert. Porrò & electio quæ ſorte inſtituitur Democratica magis eſt; quæ

ſuffra-

ſuffragio autem fit, plerunque Ariſtocratiam arguit aut ὀλιγαρχίαν. Quæ omnia jamdudum Ariſtoteles nos docuit, cùm alibi, tùm in nunquam ſatis laudati operis *Politici libro* 4. *cap.* 16.

III. Et verò ex iis, quæ dicturi ſumus, liquidò apparebit, ut publici regiminis, ità & Iudiciorum per Germaniam variis temporibus aliam atque aliam fuiſſe formam naturamque; nunc in hanc nunc in illam reipublicæ ſpeciem Iudiciis ipſis propendentibus; & quidem interdum cum uſu reipublicæ, interdum cum damno. Planè, ut tota regiminis ratio nunc noxia eſt, nunc in publicum commoda. Ceu ante autem diximus, non duntaxat, quemadmodum hoc tempore habeat ſeſe in Germania Iudiciorum ratio, docebimus, ſed etiam qumodo illa ſeſe habuerit ab omni retrò ætate; quouſque ſcilicet rerum Germanicarum memoria excurrit. Quaſque adeo ex illis uſque antiquiſſimis temporibus paſſa ſint mutationes Germanica Judicia. Ad ultimum verò ſubjungemus nonnihil & de eo, quis modus Statui Imperii Germanici hodierno, in ordinandis ſaltim ſupremis ejus Judiciis, poſſit videri quàm maximè commodus.

IV. IGITUR Judiciorum Germanicæ reipublicæ rationem omnem ab antiquiſſimâ uſque memoriâ deducturi, faciemus initium ab illa ætate, quâ primùm Romanis Germani innoteſcere, atque illorum induſtriâ res Germanicæ literis mandari, incœperunt. Neque enim altius licet ordiri, deficientibus cùm genti Germanicæ propriis, tùm aliorum peregrinorum ad res tamen noſtras attendentium monumentis. Incidit autem illa ætas in tempora Julii Cæſaris & Cornelii Taciti; qui penè ſoli cùm nos juvare hac in re poſſint, eorum quoque ſcripta præ aliis merentur hic conſuli. Etſi enim perpauca illi aliique ejus ætatis Romani ſcriptores, quæ huc faciant, ad poſteritatem memoraverint, tamen

etiam illa ſcire operæ eſt pretium, præſertim quoniam ita quàm maximè fiat perſpicuum, quænam inſtituta ab antiquiſſimis temporibus ad nos uſque ſint propagata, & qua de causâ in quammultis à priſca judiciorum ratione ſit diſceſſum.

V. Antiquiſſimam verò illam Germanicarum rerum memoriam conſulentibus duo cùmprimis licet obſervare quæ ad noſtrum quoque negocium ſpectant. *Alterum* eſt: Germanicos populos, utut unius fuerint originis & linguæ prope ejusdem, imò unam Germaniam fermè omnes habitaverint, proximâ mutuò vicinitate juncti, attamen in unam rempublicam omnes nunquam, ſed plærosque, & quidem ſolis Septemtrionalibus trans Balthicum ſive Suevicum mare habitantibus excluſis, non autem niſi admodum ſerò, & quidem parum ante hoſce octingentos annos, felicibus Francorum armis, coaluiſſe. *Alterum:* etiam ſic tamen ſingulis populis ſuas ſemper fuiſſe reſpublicas, & quidem non multùm (ſi formam regiminis ſpectes) inter ſeſe diverſas; παμβασιλεῖαι ſcilicet nullam, omnes verò propemodum populares, non quidem omninò, magna tamen ex parte. Quod ipſum vel ex unico Taciti *de Moribus Germanorum* libello facillimum eſt diſcere. Hinc verò conſequens ſtatim eſt, *primum*, eâ quidem ætate non fuiſſe toti Germaniæ unum aliquod commune judicium, utpote quæ unam tunc rempublicam non obtinuerit: *Secundo*, ſingulis populis judicia ſua haud defuiſſe, quum nulla ſocietas abſq; judiciis vel breviſſimo tempore posſit conſiſtere: *Tertio*, ut totius reipublicæ ita nec judiciorum magnam tunc fuiſſe in Germaniæ populis diverſitatem, & proculdubio obſervatam illam formam judicum quidem conſtituendorum qui ſtatui ex populari & ariſtocratico commixto maximè eſt idoneus.

VI. Cæſar *lib. 6 de bello Gallico* narrat, aliam belli tempore aliam in pace fuiſſe judiciorum rationem. *Cum bellum*, inquit, *civitas aut illatum defendit aut infert, Magiſtratus, qui ei bello præſint, ut vitæ neciſque habeant poteſtatem, deliguntur: in pace nullus communis eſt magiſtratus, ſed Principes regionum atque pagorum inter ſuos jus dicunt, controverſiaſque minuunt.* Sanè omnibus penè his populis in uſu, aliam foris ac belli aliam domi pacisq; tempore judiciorum formam conſtituere. Et verò exigit hoc ipſum diverſus ille vivendi modus. Vnde procul dubio uſitatum idem apud veteres Germanos. Porrò in id quod Cæſar ait, *in pace nullum fuiſſe communem magiſtratum*, conſentiunt & alii ſcriptores, qui res Germanicas memoriæ prodiderunt; modò accipias verba illa de uno homine, qui toti reipublicæ præfuerit, qualis eſt Rex aliquis propriè ſic dictus. Namque alibi totum concilium gentis meritò dixeris communem fuiſſe magiſtratum; alibi etiam Reges præfuere, verùm ut Tacitus loquitur *non infinita aut libera poteſtate*, quod verè demum eſt Regium.

VII. Illud autem, quod ſcribit Cæſar, bellico iſti magiſtratui *vitæ & necis conceſſam poteſtatem*, prorſus eſt adverſum Taciti narrationibus. *Duces*, ait ille, (hi autem ſunt magiſtratus bellici Cæſaris) *exemplo potius quam imperio; ſi prompti, ſi conſpicui, ſi ante aciem agant, adminiſtratione præſunt. Cæterùm neque animadvertere, neque vincire, neque verberare quidem niſi Sacerdotibus permiſſum, non quaſi in pœnam nec ducis juſſu, ſed velut Deo imperante, quem adeſſe bellantibus credunt.* Videntur autem cum Tacito facere potiùs quàm cum Cæſare etiam quæ ab aliis ſcriptoribus memorantur. Vnde liquet: aut Cæſarem minus comperta tunc noſtra habuiſſe, aut paulò poſt ejus æ-

tatem

tatem imminutam fuiſſe ducum poteſtatem libertatis popularis incremento.

IIX. Dixeris autem ex Tacito, controverſias militares finitas demùm poſt prælium in Concilio populi. Cum enim ſcripſiſſet : *Licet apud Concilium accuſare quoque & diſcrimen capitis intendere* ; addidit : *Diſtinctio pœnarum ex delicto : Proditores & transfugas arboribus ſuſpendunt, ignavos & imbelles & corpore infames, cœno ac palude, injecta inſuper crate, mergunt. Sed & levioribus delictis pro modo pœnarum, equorum pecorumque numero convicti mulctantur; pars mulctæ Regi vel civitati, pars ipſi qui vindicatur vel propinquis ejus exſolvitur.* Proditio ſane, transfugium, ignavia, delicta ſunt bello maximè propria ; & videntur hæc punita potisſimùm in Concilio. Quamquam enim & alibi, cumprimis minoris ordinis hominum delicta hujusmodi, diſceptata ac judicata fuiſſe minime negaverim : tamen ſi quid Primores deliquerunt, id tunc potisſimum in Conciliis judicio definitum fuiſſe, vel eſt ex eo colligere, quod idem mos fuerit Francici Regni tempeſtate, ut ex iis quæ infra adducemus erit manifeſtum.

IX. Henricus Meibomius V. C. *Irmenſula Saxonica cap. 4.* in hæc verba loquitur de Sacerdotibus Irmenſulæ Eresbergenſibus. *Iidem quoties præliandum erat, ſtatuam ſui deaſtri columnæ detractam in aciem ferre, & à pugnâ captivos, quique ex ſuis ſegniter rem geſſiſſent, vinctos verberatosque pœnis afficere ſolebant. Cujus rei meminit vetus cantilena, in qua regis cujuſdam Saxonici filius, propter infelix prælium Sacerdoti ſe mactandum tradi, miſerabilibus conqueritur modis.* Adjungit verò quidem verſiculos aliquot Meibomius, ſed inde haud eſt colligere judicio Sacerdotum illum qui in victimam erat mactandus, damnatum eſſe.

Dubito etiam, num poſſit veracibus hiſtoriis oſtendi, ullo in populo Germanico eam animadvertendi poteſtatem Sacerdotali ordini olim fuiſſe aliquando conceſſam, non accedente populi conſenſu. Neque enim id Tacitus dicit; etſi affirmet, in bello Sacerdotibus permiſſum fuiſſe, non verberare tantùm & vincire ſed etiam animadvertere. Cæſar ſanè *lib.* 6 magnam narrat Druidum fuiſſe apud Gallos autoritatem; verùm & apud eos *ſacrificiis interdicere* pœnam graviſſimam inquit fuiſſe, & Germanos *neque Druides habuiſſe qui rebus divinis præſint, neque ſtuduiſſe ſacrificiis*, in modum ſcil. Gallorum. Ecquis ergo crediderit, ſupplicio quem afficiendi autoritatē apud Germanos tum Sacerdotes fuiſſe? Fatendum tamen eſt, coërcendi aliquam vim iis fuiſſe in bello, ut in ipſo quoq; Concilio, quod clarè Tacitus refert.

X. Quocunque autem modo habuerint ſeſe ætate illâ belli tempore judicia, quid in pace obtinuerit facilius eſt definitu. Cæſar indicat, *regionibus & pagis principes præfuiſſe, eosque inter ſuos dixiſſe jus, & minuiſſe controverſias*. Sunt autem regionum & pagorum Principes fortè iidem; utpote quum pagus ſignificet regionem. Sanè Tacitus qui res Germanicas propiùs cognitas habuit, agnovit quidem & ipſe *Principes*, non alios tamen quàm *qui jura per pagos vicosq; reddebant*. Ut proinde tum alii quidem fuerint pagorum alii vicorum Principes & judices, præter hos autem nulli. Omnes verò illos ex nobilium fuiſſe ordine, liquet vel ex eo, quod hiſce Principibus datos *ex plebe* comites idem Tacitus teſtetur; ut & *inſignem nobilitatem* Principis dignationem etiam adoleſcentulis aſſignaſſe; quod item alibi quoque ab ipſomet Tacito *Principes plebi* opponantur.

XI. Ex

XI. Ex eodem interim Tacito etiam hoc diſcimus, Judices iſtos ad dignitatem eam perveniſſe per electionem, & quidem Concilii. In quo cum & nobilitas & plebs habuerit locum, adeòque cum penes illud Concilium ſumma tunc fuerit reipublicæ autoritas, manifeſtum fit, non factione quadam plebis aut populi ſingulorum pagorum, nec cæcâ ſorte, ſed totius reipublicæ autoritate Principes illos judices electos eſſe. Diſertè Tacitus: *Eliguntur in iisdem Conciliis & Principes, qui jura per pagos vicosque reddunt.* Etiam ita tamen nonnunquam factum eſſe, ut ad defunctorum liberos dignitas parentum redierit, non eſt quod dubitemus. Præſertim quia Tacito teſte, *magna patrum merita* jam tunc *etiam adoleſcentulis Principis dignationem aſſignaverint.* Eſt autem talis Judicum conſtitutio inter Ariſtocratica inſtituta. Namque ipſa electio per meliores inſtituta Ariſtocraticum quid ſapit: multò magis, ſi electio fiat non ex omnibus promiſcuè ſed ex paucis itidem optimatibus.

XII. Quamvis verò penes hoſce ex primaria nobilitate electos fuerint tunc præcipuæ citra dubium partes Judiciorum: etiam ex plebe tamen nonnullos iis datos Aſſeſſores, itidem ex Tacito diſcimus. *Centeni* (ait) *ſingulis Principibus ex plebe comites, conſilium ſimul & autoritas, adſunt.* Quilibet itaque pagus centenos ex plebe habuit (niſi forte legendum ſit *certi* aut *ſepteni*, qui numerus paſſim fuit etiam poſt Scabinorum) qui in judiciis aliisq; pagi cujuslibet negotiis publicis Principi fuere in conſilium pariter & autoritatem. Fuerint ne autem ab ipſo Principe an verò à plebe in id tunc ſelecti, cum nemo ejus temporis notaverit, dictu fortè ἀδύνατον eſt. Tantùm non abeſt à veriſimilitudine, partitam ea in re ope-

ram fuiſſe utriusque ; quoniam Francorum quoque ætate ſimile quid fuit obſervatum.

XIII. Illud nequaquam videtur in dubitationem vocandum, quod plebeji illi comites ſive Aſſeſſores non ſervilis, ſed ne quidem libertini fuerint ſanguinis, qualibet in civitate liberâ Germaniæ. Clare enim Tacitus : *Liberti non multùm ſupra ſervos ſunt, rarò aliquod momentum in domo, nunquam in civitate, exceptis duntaxat iis gentibus, quæ regnantur. Apud cæteros impares libertini libertatis argumentum ſunt.* Et verò etiam poſteris ſeculis nuſquam non fuit obſervatum, ut in plebejorum illum Aſſeſſorum ordinem non niſi primores plebis ſint adſciti. Quidni igitur ita ſolitum fuerit florente plebis libertate ? Sed notandum, etiam hoc inſtitutum adſciſcendi ex plebe judiciorum Aſſeſſores, ad leges eſſe veræ ἀριστοκρατίας. Veræ inquam ; non ejus, quæ cum ſit oligarchia ex ſolis nobilibus conſtans, ſpeciem mentitur & nomen falſò ſolet accipere Ariſtocratiæ. Enimverò magna ſemper etiam plebis antiquis temporibus erat auctoritas, utut prima fuerit dignitas Edelingorum ; cujusmodi hodieque ſunt, qui veteri Ducum Comitumque proſapiâ ſunt geniti.

XIV. Porrò hi Judices an ſimpliciter omnes controverſias potuerint decidere annon, numve ab illis provocatum interdum fuerit, neque Cæſar neque Tacitus, neque alius ævi illius quiſquam memoravit. Veriſimile tamen eſt ; ſolas quæ inter ſingulos pagorum incolas interceſſerunt lites finiri ab illis potuiſſe, quæ autem ortæ fuerunt aut inter ipſos Principes diverſorum pagorum, aut inter Principem & populum univerſum unius pagi, ad Comitia totius populi tunc pertinuiſſe. Patet hoc ex parte ex ipſo Cæſare & Tacito. Ille enim ſcribit : *Principes regio-*

regionum atque vicorum inter ſuos jus dixiſſe. Tacitus verò, *Principes jura per pagos vicosque reddidiſſe.* Quibus verbis haud obſcurè definitur, lites non alias ad Principem delatas, quàm privatorum quorumlibet civium. Res ipſa verò idem etiam illis tacentibus edocet. Neque enim Principibus abſolutum fuit jus in ſuos, ut nulla intercedere potuerit inter Principem & plebem lis, quæ judicio fuerit componenda; neque uni Principum in alterum fuit jus, nec tamen ſemper inter illos controverſiæ potuerunt caveri. Neceſſariò itaque etiam tunc majus fuit aliquod judicium, ubi illæ majoris momenti lites fuerint deciſæ. Et ſanè veroſimile eſt, factum illud in Conciliis populi. Hic enim convocatus potiſſimam habuit totius reipubl. auctoritatem. Enimverò hoc ipſum etiamnum ætate Francici imperii obtinuiſſe, mox demonſtrabitur. Quanto magis igitur valuerit iſthac tempeſtate, quando majori liberate populus omnis fruebatur? Audivimus vero jam tum paulò ante dicentem Tacitum: *Licet apud Concilium accuſare quoque & diſcrimen capitis intendere.* Quod de majoris momenti negotiis accipiendum eſſe, jam tum diximus. Num per appellationem à judicio Principis Aſſeſſorumque ejus potuerint cauſſæ ad Concilia itidem devolvi, aut num aliquis locus tunc fuerit appellationi, quoniam haud perinde liquet, nec fas eſt inanibus conjecturis indulgere, in medio relinquimus.

XV. Hoc non difficili ratiocinatione licet colligere: fieri vix potuiſſe, imò non potuiſſe, ut omnibus judiciis ipſemet Princeps interfuerit. Cùm quod integræ regionis aut integri pagi unus tantum fuerit Princeps, hujusmodi autem terræ tractus ſat amplis limitibus conſtiterit: Tum, quod in eâ hominum multitudine non potuerint

rint non iudices variæ enaſci controverſiæ præſentibus judiciis minuendæ. Veroſimile igitur fit, jam tum ſingulorum pagorum Principes vicariis hîc alibi uſos. Quomodo ſequentibus ſeculis ſemper mos tulit præponere judiciis *Scultetum* quem appellant, qui Principis vice curaret judicia. Procul dubio autem etiam tunc pedanei quidam fuere judices, quales nunc in agris ſuperſunt paſſim per Germaniam.

XVI. An lucri quidquam Principes reliquique Iudices ex judiciis tunc cæperint, præter mulctæ partem, nuſquam memoratur. De mulcta videtur conſtare ex Tacito: *Sed & levioribus delictis, pro modo pœnarum, equorum pecorumque numero convicti multantur: pars mulctæ regi vel civitati* (ubi nempe nullus Rex fuit, ut in pleriſque tunc Germaniæ populis) *pars ipſi qui vindicatur vel propinquis eius exſolvitur.* Non præfractè tamen negaverim, Tacitum maximè loqui hic de judiciis publicis Comitiorum, non autem ſingulorum pagorum: utpote quum dicat, mulctam ceſſiſſe non Principi, ſed Regi, aut toti Civitati, h. e. toti reipublicæ, quod de omni mulctâ haud temerè pronunciaveris. Sed etiam in ſingulis pagis fortaſſe partem mulctæ aliquam Rex aut Reſpublica accepit in nonnullis delictis; quod ſanè in Francorum regno ſolere, infra patebit. Heribannum vocare mos vetus fuit. Cui verò fiat veroſimile, nihil mulctæ etiam Principi & reliquis Judicibus in laborum ſolatium datum eſſe?

XVII. Porrò ſimplici ratione proceſſum in judiciis tunc eſſe, vetant nos dubitare ſimplices tùm mores populi: neque legum multitudine, neque malitia advocatorum, neque lucri cupidine, lites protelante. Argumento eſt, quod ipſæ etiam graviſſimæ inimicitiæ citò

tùm

rum fuerint compoſitæ : quantò magis ergò controverſiæ aliæ ! Teſtatur id diſertè Tacitus : *Nec implacabiles durant inimicitiæ : luitur enim etiam homicidium certo armentorum ac pecorum numero , recipitque ſatisfactionem univerſa domus.* Qui more ſuo prudentiſſime addit : *utiliter in publicum , quia periculoſiores ſunt inimicitiæ juxta libertatem.* Et ſanè libertati nihil æquè eſt noxium litium diuturnitate , maximè ſi illæ inter primores ſint & factioſos. Inde enim inteſtina commotio & publici boni neglectus ; in tumultus imò bella civilia tandem erumpens malum. Eâ de cauſâ proculdubio factum , ut, cum Romano more Quintilius Varus cepiſſet in Cheruſcis judicia inſtituere, ſtatim illi conjurarint : ac interempto Varo tribusque legionibus cæſis , præcipuè in cauſarum patronos ſævierint. Rem ita narrat L. Annæus Florus l. 4. cap. 12. *Nihil illa cæde per paludes perque ſilvas cruentius : nihil inſultatione barbarorum intolerantius , præcipuè tamen in cauſarum patronos. Aliis oculos aliis manus amputabant : unius os ſutum , reciſa prius linguâ : quam in manu tenens barbarus , tandem , inquit , vipera , ſibilare deſiſte.*

XIIX. Iidem præterea mores populi haud obſcuro ſunt indicio, lites iſthac tempeſtate per fuiſſe raras. Tota enim gens *non aſtuta non callida fuit* : adhæc affectavit aperire ſecreta pectoris , conſultationibus omnibus etiam majoris momenti plærumque inter convivia inſtitutis, tamquam nullo magis tempore ad ſimplices cogitationes pateat animus. Jam fide nulli tunc mortalium ante Germanos ; quod in publico theatro Romæ meritò clamaverunt Friſiorum legati. Matrimonia olim ſevera. Imò nulla morum pars magis in univerſâ gente laudari meruit. Pauciſſima in tàm numeroſa gente adulteria.

Heredes ſucceſſoresque ſui cuique liberi: & nullum teſtamentum. Aurum & argentum apud paucos aliquo in pretio: pecorum numero gaviſi ſunt: eæque ſolæ & gratiſſimæ opes fuerunt. Proximis Romanorum commercia aliqua inſtituentibus, interiores populi ſimpliciùs & antiquiùs permutatione mercium ſunt uſi. Quidam ſecuri adverſus fata, rem difficillimam aſſecuti ſunt, ut illis nec voto quidem opus fuerit. *In univerſum plus in Germania boni mores valuere, quàm alibi bonæ leges.* Quæ omnia penè ipſiſſima ſunt Cornelii Taciti verba. Iis autem moribus atque illis inſtitutis in mores translatis, raras admodum lites & compoſitu faciles habere locum, nemo paulò prudentior ignorat.

XIX. ATQVE HAEC quidem ratio fuit judiciorum Germaniæ veteris, anteaquam in Francorum imperium tota tranſivit. Etſi enim nonnullis gentibus Reges fuerint; tamen nomen id potius fuit, quam verè regia poteſtas. Hinc Tacitus, cum Friſiorum, Minorum nempe & Majorum (ut tùm diviſum fuiſſe populum ex libro de *Moribus Germanorum* conſtat) duos Reges memoraſſet *lib. 13. Annal.* ſtatim addit: *inquantum Germani regnantur.* Diſertè idem: *Nec Regibus libera & infinita poteſtas.* Item de Concilio: *mox Rex vel Princeps, prout ætas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia eſt, audiuntur, auctoritate ſuadendi magis quam jubendi poteſtate.* Item: *Trans Lygios Gothones regnantur, paulò jam addictiùs quam cæteræ Germanorum gentes, nondum tamen ſupra libertatem.* Etiam in Regnis itaque non alia fuit quàm alibi forma judiciorum: & in his quoque Principes eorumque ex plebe Aſſeſſores per pagos & vicos jus dixerunt; niſi quod fortaſſis in conſtituendis illis Principis, vel unius Regis, vel hujus unà cum Concilio

major aliqua auctoritas fuerit. Fortè etiam licuerit ea ætate Regibus in ſententiarum à Principibus latarum æquitatem advertere. Hæc enim omnia ſub Francorum imperio obtinuerunt.

XX. Haud negaverim tamen, in quibusdam populis ab illâ antiquâ ratione fortasſis deniq; receſſum eſſe; ut ſolet longo temporis tractu mutari reſpublica. Nec tamen id certò licet affirmare, quum monumenta nulla ſuperſtant unde diſcas. Meibomius enim *l. de Irmenſula c. 4.* narrat quidem, pagorum Saxonicorum præſides, aut Gravios, ut & Judices pedaneos per agros, à collegio Sacerdotum Eresbergenſi ultimis reipublicæ Saxonum illius liberæ temporibus, ante Caroli Magni ætatem, fuiſſe cônſtitutos. Sed neſcio an hac in re famæ nullis ejus tempeſtatis ſcriptis ſubnixæ fidem tutò liceat commodare. Et verò ex iis, quæ Beda Witikindus Corbeienſis & Francici Annales memorant, liquet: *Saxoniæ* tres populos, Oſtfalos VVeſtphalos & Angarios, tunc temporis, antiquisſimo Germanico more, per Concilium rempublicam ſuam adminiſtraſſe, belli tempore uno aliquo in ducem electo, qui pace reſtituta pari iterum fuerit cum reliquis conditione. Certè in ſcriptis illius ævi de Saxonum republicâ nihil legas, quod à majorum inſtitutis vel leviter abeat.

XXI. VERUM de hisce plusquam ſatis. QUOMODO autem FRANCORUM magno illo in regno, quod præter Italiam Galliam eximiamque Hiſpaniæ partem, totam quoque Germaniam comprehendit, judicia ſeſe habuerint, majus eſt precium operæ enarrare: præſertim quoniam Caroli demum Magni auſpiciis in unum corpus coaitâ German à Cisbalthicâ, initia ejus vaſtæ reipub. cujus laciniæ etiamnum ſuperant, incœperunt. Et verò tantùm docebimus,

bimus, quæ facies fuerit judiciorum ipſa illa Carolina ætate, Merovvingorum regum tempora non attingentes. Vt autem brevibus rem omnem comprehendamus: videntur illa tempeſtate judiciis præfuiſſe, partim Concilium Ordinum omnium, partim Rex ipſe, partim à Regibus conſtituti varii Duces & Graviones ſeu (ut mos tulit, Romanorum ſequioris ævi titulos uſurpare) Comites cum Scabinis aſſeſſoribus, partim Epiſcopi, partim denique Legati, vel ut tum loquebantur Miſſi Regii. De negotiis porrò maximis ipſorum Regum, ut & Principum aut primariæ nobilitatis, ſoli Concilio fas fuit judicare, non Regi ſine Concilio: de ſacris aut ſacrarum vel rerum vel perſonarum cauſis minoribus judicium fuit penes Epiſcopos, Legatos Regios, & Regem ipſum: de aliis Duces, Comites, Legati Regii, extra aulam, in aula Rex ipſe & Archicapellanus in ſacris, Comes Palatii in profanis judicaverunt. Porrò Regum ipſorum & Ducum conſtituendorum poteſtas præcipuâ ex parte Concilii fuit: Epiſcopos, Comites, Legatos creare ad regiam pertinuit dignitatem, ut Scabinorum electio ad Miſſos & plebem. Quæ cuncta accuratè ſcire omninò oportet illum, cui de Iudiciis Germanicis iſtius ævi docere animus eſt.

XXII. Poſſunt autem hæc omnia cùm plurimis hiſtoriis tùm aliis monumentis haud difficulter oſtendi. Et quidē Regiæ familiæ vel inter ſeſe, vel cum aliis intercedentes cauſas, in Concilio tantùm fuiſſe definitas, luculenter patet ex iis quæ notavit Franciſcus Hotomannus *Francogalliæ, c.* 11. *&* 15. Hiſtoriæ Caroli Magni & Liudovici Pii exempla multa ſuppeditant. Poſt Ludovici illius obitum controverſiâ ortâ inter filios, non ſemel in Concilio illa agitata eſt. De Carolo Calvo cum legatis Lotharii fratris agente

agente ita Nithardus : *In conventum quod communi conſenſu ſtatuerant venire ſe velle , mandavit , ut ſi communem utilitatem uti promiſerat ſtatuere vellet , ſibi placere : ſin aliter , de regno quod Deus paterque ſuus ſuorum conſenſu illi dederat , conſilio ſuorum fidelium in omnibus , ſecundum Dei voluntatem , parere ſeſe innotuit.* Ipſos Reges Concilii judicio uſque adeo fuiſſe etiam tunc ſubjectos, ut reipublicæ perperam adminiſtratæ cauſâ , Regia potuerint dignitate exui , teſtimonio eſt exemplum Ludovici Pii & Caroli Craſſi, quorum ille anno 838 , hic anno 887 Concilii autoritate regno pulſi ſunt. Etſi multa minùs proba tùnc acceſſerint. Quale quid ex Merovvingis jam ante paſſi erant Childerici tres , unus Theodoricus, unus Chilpericus, ut alios taceam.

XXIII. Porrò primorum populi (quales tunc fuere Duces Epiſcopi & Comitum præcipui) cauſam aliquam magnam extra Concilium in judicium eſſe vocatam, nullo ejus ævi exemplo licet demonſtrare. Ex adverſo, cum ex. gr. Brunechildis Regina multorum capitalium criminum rea eſſet , negotio ad Concilium delato , Regem ita loquutum refert Aimoinus l. 4. c. 1. *Vos dulciſſimi commilitones & præminentes Franciæ primores , decernite cui ſubjaceat ſupplicio tanti obnoxia ſceleris.* Ado : *In præſentia Regis judicantibus Francis, indomitis equis religata diſcinditur.* Taſſilonis quoque Bajoariæ Ducis cauſa in Conventu publico fuit dijudicata anno 788. *Noxa convictus* (ajunt Annales Francici) *uno omnium aſſenſu ut læſæ majeſtatis reus capitali ſententia damnatus eſt. Sed clementia Regis licet morti addictum liberare curavit.* Rheginoll. 2. *Cùm omnes capitalem ſententiam proclamarent , Rex miſericordia motus eò quod conſanguineus ejus eſſet , obtinuit ab ipſis Dei & ſuis fidelibus* (i. e. regni Ordinibus) *ne moreretur.* Anno 818.

conjurationis adverſus Cæſarem Ludovicum Pium initæ auctores primariæ nobilitatis, cumque iis Bernhardum Italiæ regem, *judicio Francorum capitali ſententia condemnatos: Epiſcopos* ejusdem conjurationis complices *ſynodali decreto depoſitos fuiſſe*, ſcribunt Annales Francici. Theganus in vita Ludovici Cæſaris de eodem hoc negocio: *Bernhardum hactenus Regem ejusque fautores, cum in ſupradicto ſcelere deberent puniri, ſuppreſſa triſtiori ſententia luminibus orbari* (Cæſar) *conſenſit; licet multis obnitentibus & animadverti in eos tota ſeveritate legali cupientibus. Epiſcopos porrò hac immanitate conſtrictos ab Epiſcopis reliquis depoſitos monaſteriis mancipavit.* Ad eundem modum anno 829 in rebelles pronunciata fuit ſententia in Concilio; ut anno 28 de Concilii ſententia Dux Forojulienſis ignaviæ & injuriæ convictus, Ducatu fuerat pulſus. Non alibi damnati ſunt Erneſtus aliique Comites perduellionis rei anno 861, ætate Ludovici ſecundi Germanici Regis: aut Erchingerus & Bartholdus Comites fractæ pacis publicæ rei, anno 916 Conrado ultimo Francici ſanguinis rege. De quo Ekhardus: *Conſilio dehinc habito primò Colloquium publicum Moguntiæ, poſtea generale edixit Concilium: ubi tribus illis lege abjuratis & proſcriptis, prædiisque eorum in fiſcum redactis, majeſtatis reis capita damnata ſunt.*

XXIV. Ex quibus teſtimoniis utique manifeſtum eſt, cauſas Principum, ſaltem illas quæ rempublicam attinent & commune civitatis bonum, haud alibi quàm in Concilio deciſas fuiſſe. Non enim verum eſt quod ſcribit Thrithemius *lib. de orig. Francor.* anno 742: *In ſingulis provinciis aut Duces aut Comites rempublicam ſub poteſtate Francorum adminiſtrabant, Regum nutu amobiles.* De aliis tamen omnibus minoris momenti Principum controverſiis,

verſis, haud temerè dixerim, tantum illas in Concilio publico deciſas fuiſſe. Videntur enim illæ Regis ejusque Miſſorum judicio tunc commiſſæ. Pertinet huc Caroli Magni lex l. 3, c. 77 apud Anſegiſum: *Vt Epiſcopi Abbates Comites & Potentiores quique, ſi cauſam inter ſe habuerint ac ſe pacificare noluerint, ad noſtram jubeantur venire præſentiam: neque illorum contentio alicubi dijudicetur, ne propter hoc pauperum & minus potentium juſtitia remaneant. Neque ullus Comes Palatii noſtri potentiorum cauſas ſine noſtra juſſione finire præſumat, ſed tantùm ad pauperum & minus potentum juſtitias faciendas ſibi ſciat eſſe vacandum.* Scilicet obtinebat tum illa univerſalis regula quæ conficit capitulum 243 l. 5. *Major à minore non poteſt judicari.* Itaque Principum lites ſeu contentiones ad judicium Regium pertinuerunt. Quibus tamen decidendis Reges Concilii ſæpè autoritate uſos, liquet ex Hincmari *Epiſt. ad Reg. Ludovic. de regni Francici ſtatu.* Aliqua ex parte verò Comites, Epiſcopos, Abbates, judicio Miſſorum regiorum fuiſſe etiam obſtrictos, docet c. 66. lib. 4. *Vbicunque Miſſi aut Epiſcopum, aut Abbatem, aut alium quemlibet quocunque honore præditum invenerint, qui juſtitiam facere vel noluit vel prohibuit, de ipſius rebus vivant, quamdiu in eo loco juſtitias facere debent.* Item l. 4. c. 153. *Si Comes in ſuo miniſterio juſtitias non fecerit, Miſſis noſtris de ſua caſa vel de ſuis xeniis ſerviat, uſque dum juſtitiæ ibi factæ fuerint. Et ſi Vaſſus noſter juſtitias non fecerit, tunc & Comes & Miſſus noſter ad ipſius caſam redeant, & de ſuo curent quousque juſtitias faciant.*

XXV. Alia prorſus ratio fuit litium & controverſiarum minorum aut inter minoris ſortis homines exortarum. Vt enim de profanis primùm dicamus; in ſingulis quidem pagis ordinarii harum litium judices fuere, qui

Gra-

Graviones aut ex more Romano Comites ſunt dicti, unà cum Aſſeſſoribus. More nimirum ab antiquiſſimis uſque temporibus ſervato, in pagos quos Gouas dicebant etiam tum dividebatur Germania, & unicuique pago aliquis ex primariâ nobilitate Gravio præficiebatur litibus finiendis. Officium Comitis aut Gravionis optimè referunt literæ Caroli Magni, quas ex archivo Tremoniæ urbis recitat in *Vindiciis Billinganis* Henricus Meibomius. *Quapropter in illa parte Saxoniæ Trutmannum virum illuſtrem ibidem Comitem ordinamus, ut reſideat in curte ad campos, in mallo publico, ad univerſorum cauſas audiendas, vel recta judicia terminanda. Iſque advocatum omnium Presbyterorum in tota Saxonia fideliter agat, ſuperque Vicarios & Scabinos, quos ſub ſe habet, diligenter inquirat & animadvertat, ita ut officia ſua ſedulò peragant.* Formulam aliam Comitatuum aut Ducatuum committendorum habet Marculphus *num. 32.* Inſigniter hanc rem illuſtrat admonitio Ludovici Cæſaris ad Comites pro utilitate ſanctæ Dei Eccleſiæ, quam *cap. 6. l. 2* habet Anſegiſus; ut alia nunc teſtimonia non laudemus. Conſtitutos autem hoſce Comites fuiſſe, à ſolis Regibus, cùm ipſæ illæ, quas modò adduxi formulæ probant, tum ex hiſtoriæ Francicæ monumentis paſſim ſole elucet clariùs. Hinc inter conditiones, in quas ſuperatos à ſeſe Saxones accepit Carolus, legas à Rege præpoſitos iri Iudices h. e. Graviones; qui nempe antehac Concilii populi autoritate conſtituebantur. Poëtaſter Saxo vitæ Carolinæ ad Arnolphum Cæſarem ſcriptor:

Tum ſub Judicibus *quos Rex imponeret ipſis*
Legatisque ſuis *permiſſi legibus uti*
Saxones patriis, & libertatis honore.

XXVI. Aſſeſſores Comitum quinam elegerint & quales debuerint eſſe eligendi, conſtat item ex Capitulis

Anſe-

Anſegiſi. ubi l. 3. cap. 33. ita legitur : *Misſi noſtri Scabinos* (hi verò ſunt illi aſſeſſores) *per ſingula loca eligant, & eorum nomina, quando reverſi fuerint, ſecum ſcripta deferant* cap. 56. *ut Iudices, Advocati, Scabinos, quales meliores invenire poſſunt, & Deum timentes, conſtituant ad ſua miniſteria exercenda. Cum Comite & populo eligantur manſueti & boni.* Capit. Addit. IV. cap. 73. *Miſi noſtri ubicunque malos Scabinos inveniunt ejiciant, & totius populi conſenſu in locum eorum bonos eligant, & cum electi fuerint jurare faciant, ut ſcienter iniuſtè judicare non debeant.* Ibidem cap. 74. *Vt in omni Comitatu hi, qui meliores & veraciores inveniri poſſunt, eligantur à Misſis noſtris, ad inquiſitiones faciendas & rei veritatem dicendam, ut adjutores Comitum ſint ad juſtitias faciendas.* Ex quibus omnibus patet, hos eſſe illos Scabinos, quos Tacitus olim narraverat Principibus qui per pagos vicosq; jus dicebant ex plebe comites fuiſſe datos, adeoque fuiſſe homines ingenuos & ex plebe optimos. Huc ſanè ſpectat & illud C. 47. l. 3 de homine ad mortem damnato cui poſt tamen donata ſit vita, *ne ille inter Scabinos ad legem judicandam teneatur.* Numerum horum definire non licet. Septem tamen fuiſſe, dixeris ex Capit. 40 l. 3. *Vt nullus ad placitum banniatur, niſi qui cauſam ſuam quærit, aut ſi alter ei quærere debet : excepto Scabineus ſeptem qui ad omnia placita eſſe debent.* Quomodo illi unà cum Comite ſententias dixerint, liquet ex chartâ vetere Alemannica apud Golaſtum t. 2. n. 99 : *Interrogavit ipſe Comes illos Scabinos, quid illi de hac causâ judicare voluiſſent.* Alibi legas : *Ante illuſtrem virum Hildegarium Comitem ſeu judices quos ſcabineos vocant, venerunt &c. Tunc ipſi Scabinei unanimiter judicarunt.* Hinc Gloſſarium vetus : *Scabini, auditores Comitum.*

XXVII. Porro cum govæ ſeu pagi plerumque ſatis

 late

late paterent, neque adeò cuivis Gravioni (præſertim cum illi & alia reipublicæ negotia incumberent; ſæpè etiam vel valetudine vel negotiis rei familiaris detineretur) licuerit judiciis intereſſe, hinc jam tum Comitum vicarios inſtitutos, qui judiciis Comitum vice præeſſent, nullum eſt dubium. Hi imò videntur dicti Schultheſii aut Schuldeſii Schulten / Schultzen. Frequens ſanè mentio harum vocum eſt in antiquis legibus Germanicis. In diplomate Ottonis Imperatoris apud Baronium *tom. 9. p. 5.* diſertè officium horum exprimitur: *Nullus Marchio, Comes, aut vicecomes Sculdeſius, vel quslibet ex judiciaria poteſtate.* Paulus Warnefridus *Hiſtor. Longobardor. l 6. c. 24* ait: *Rector loci quem Sculteis vocant.* Secutis ſanè temporibus præturæ ejuſmodi vicariam Comitum poteſtatem deſignarunt per omnem Germaniam: quod imprimis ex Speculo Iuris Saxonici manifeſtum eſt.

XXVIII. Fuit autem penes hoc judicium tàm criminalium quàm civilium actionum dijudicatio. Id quod liquet ex præcepto remiſſionis (ut olim loquebantur) ſive cōceſſionis quod fecit Ludovicus Imperator Hiſpanis. *Ipſi pro majoribus cauſis, ſicut ſunt homicidia, raptus, incendia, deprædationes, membrorum amputationes, furta, latrocinia, alienarum rerum invaſiones, & undecunq; à vicino ſuo criminaliter fuerint accuſati, & ad placitum venire juſſi, ad Comitis ſui Mallum omnimodis venire non recuſent*, Item ex cap. 48. l. 3. *Si alicui poſt judicium Scabineorum fuerit orta controverſia.* item cap. 50. *Vt Comes qui latronem in forbannum miſerit* (i. e. proſcripſerit) *vicinis ſuis & aliis Comitibus notum fecerit, illum latronem à ſeſe eſſe forbannitum, ut illi eum non recipiant.* Vbi notandum *Mallum* tunc dici ſolitum locum judicii publici: qui cum antiquo more ſub dio eſſet, tectum illi addi voluit Carolus Magnus *l. 3. capitulo 57.* Neque enim paſſus eſt Carolus

colus in atriis Eccleſiarum judicia exerceri: quod malo more alicubi cœperat inſoleſcere, ut conſtat ex *cap. 60. l. 3. Additionum.*

XXIX. Operæ fortè fuerit pretium nonnulla heic Capitula recitare ex Capitulari Anſegiſi, unde ratio judiciorum illorum, de quibus jam agimus, illuſtratur. Capitul. l. 3. c. 53: *Nullus Miſſus noſter neque Comes neque Scabinus, cujuslibet juſtitiam dilatare præſumat, ſi ſtatim adimpleta eſſe potuerit ſecundùm certitudinem: neque præmia pro hoc à quolibet homine per aliquod ingenium malum præſumat accipere.* Cap. 3. tit. 2: *Iudex partem ſuam accipiat de cauſa quam judicat, de ſeptem ſolidis tremiſſem, de novem ſolidis unum. De omni compoſitione ſemper novem partes accipiat dum rectum judicat.* Cap. 3. t. 4. *Iudex ſi acceptâ pecuniâ malè judicaverit, damnum datum cogitur in duplum ſolvere & quadraginta ſolidos in fiſco.* Capit. l. v. 251: *Injuſtum judicium & definitio injuſta, Regio metu vel juſſu judicibus ordinata, non valeat,* L. 4. c. 39. *Primitus ad placita eorum, orphanorum viduarum nec non pauperum cauſæ deliberentur, nec propter aliquam dilationem eorum juſtitia à judicibus dilatetur. Comes illos adjuvet, dando eis talem hominem, qui rationem eorum teneat & pro eis loquatur.* Sunt autem patroni illi cauſarū dicti tunc advocati, plærumq; cauſidici & clamatores. De quibus itidem multa ſunt Capitula. Vt l. 2. cap. 114: *Si Advocatus in cauſa ſuſcepta iniquâ cupiditate fuerit repertus, à conventu honeſtorum & à judiciorum communione ſeparetur.* Item: *ſi quis hominem in judicio injuſtè contra alium altercantem adjuvare per malum ingenium præſumſerit, atque inde coràm judicibus vel Comitibus incuſatus fuerit, & negare non poteſt, quindecim ſolidis culpabilis judicetur.* L. 3 c. 7: *Declamatoribus vel Cauſidicis, qui nec judicio Scabinorum acquieſcere, nec blaſphe-*

mare volunt , antiqua conſuetudo obſervetur , id eſt ut in cuſtodia recludantur donec unum è duobus faciant. Et ſi ad Palatium pro hac reclamaverint & literas detulerint , non quidem eis credatur , nec tamen in carcere ponantur , ſed cum cuſtodia & cum ipſis literis pariter ad Palatium noſtrum remittantur , ut ibi diſcutiantur ſicut dignum eſt. In quibus poſtremis verbis quid ſit *blaſphemare*, præclarè docet clariſſimus Lindenbrogius in doctiſſimo Gloſſario.

XXX. Præter hæc Judicia fuerunt tunc temporis & IVDICIA SACRA. *Primum* enim in vitam & mores Chriſtianorum civium uſq; adeo licuit advertere ſacerdotibus, ut ſontes potuerint cum aliis canonicis pœnis tùm etiam excommunicatione plectere. Habuit autem tunc excommunicatio effectum longè maximum. Hinc Capitulum 42 l. 5. *Ut ſciatis qualis ſit modus iſtius excommunicationis: in Eccleſiam non debet intrare , nec cum ullo Chriſtiano cibum vel potum ſumere , nec ejus munera quisquam accipere debet , nec ei oſculum porrigere , nec ei oratione ſe jungere , nec ſalutare , antequam ab Epiſcopo ſuo ſit reconciliatus.* Capitul. 130. l. 6 *Si quis à communione Sacerdotali fuerit auctoritate ſuſpenſus , hunc non ſolum à Clericorum , ſed etiam à totius populi colloquio atque convivio placuit excludi , donec reſipiſcens ad ſanitatem redire feſtinet.* In hanc duram pœnam verò incurrit non tantùm ipſe excommunicatus , ſed qui contra legem cum illo quid habebat commune. Diſertè id decernitur *Capitulo 42 l. 5.* ante laudato. Si quis noluit ſententiæ illi Excommunicatoriæ parere , de illo idem Capitulum: *Quod ſi aliquis iſta omnia contempſerit , & Epiſcopus hoc minimè emendare potuerit, Regis judicio exilio condemnetur.* Pari autem modo qui refragabantur pænitentiam à ſacerdotibus indictam ſuſtinere , eorum bona à Comite aut Miſſo regio Epiſcopis

copis tradebantur donec reſipiſcerent : ut habet *Capit.* 330 *l. 7.* vel verò in carcerem à Comite protrudebantur. *Quod ſi porro Comes* (verba ſunt Capituli) *vel quis miniſter hoc adimplere diſtulerit, canonicè ab Epiſcopo vel à ſuo miniſtro excommunicetur , & uſque dum hac pleniter adimpleat ſemper communione Catholicorum careat, uſque dum ipſi Epiſcopo humaniùs erga eum aliquid agere placuerit. Si verò ipſe Comes , aut de prædictis cauſis aut de ipſa excommunicatione, inobediens aut negligens apparuit , honore Comitatus pariter & communione careat , uſque dum ambo in noſtram præſentiam veniant , ut nos illum Epiſcopali auctoritate atque Imperiali motu ita corrigamus , ut cæteri timorem habeant, ut deinceps talia committere nullatenus audeant.* Ab ejuſmodi porrò ſententiâ Excommunicatoriâ non fuit provocatio admiſſa alia quam ad Metropolitanum Epiſcopum. Hinc Capitulum 42 l. 5. *Quod ſi aliquis reclamaverit quod injuſtè ſit excommunicatus , licentiam habet ad Metropolitanum Epiſcopum venire , ut ibidem ſecundùm canonicam inſtitutionem judicetur ; & interim ſuam excommunicatonem cuſtodiat.* Tam late verò patebat hoc Iudicium ſacrum, ut nihil ferè non criminũ illuc ſenſim traheretur. Quod ex multis Capitularium locis percipere eſt. Seorſim de perfidis Capitulum 141 l. 6. ita decernit : *Ne judices quicquam de perfidorum exceſſibus extra ſacerdotum conhibentiam judicare præſumant.* Quæ omnia poteſtatem ſacerdotalem ſupra modum & morem Germanicarum gentium auxerunt. Etſi enim jam alibi interdum idem effectus Excõmunicationis dudum obtinuiſſet, ceu liquet ex *Epiſt.* 58 *Syneſii*, qua excommunicatur Andronicus Pentapolitanus præſes, tamen non paſſim hactenus is rigor invaluerat , certè apud Germanicas gentes tale quid fuerat inſolitum.

XXXI. *Secundò* conceſſa quoque Epiſcopis eſt omnis

in Clericos & Monachos juriſdictio. Capitul. 39. l. 5. *Vt omnes presbyteri diaconi & ſubdiaconi ſub poteſtate Epiſcopi maneant.* Cap. 25 ejuſdem libri: *Monachos per unamquamque civitatem aut regionem ſubjectos eſſe Epiſcopo ſuo, & quietem diligere, & intentos eſſe tantummodò jejuniis & orationi, in locis quibus renunciaverint ſeculo permanentes.* Clariùs huc facit Capitulum CCXXVII. l. v. *Sancitum eſt, ut nullus Epiſcopum aut ſacerdotem vel clericum apud judices publicos accuſare præſumat, ſed apud Epiſcopos.* Item Capitulum CII l. VII. *Clericus cujuslibet gradus ſine Pontificis ſui permiſſu nullum ad ſeculare judicium præſumat adtrahere, nec laico quemlibet clericum in ſeculari judicio liceat accuſare: cùm etiam privatorum Chriſtianorum cauſas Apoſtolus ad Eccleſias deferri atque ibidem terminari præcipiat.* Item Capitul. CCCLXIX. *Vt clerici qui judices ſeculares appetunt, excommunicentur.* Item alibi. *Nemo audeat clericum aut monachum aut ſanctimonialem fœminam ad civile judicium accuſare, ſed ad Epiſcopum; & ipſe ex lege vel canonibus conſentaneam & juſtam ſententiam proferat. Si quis hanc conſtitutionem violaverit; in magiſtratu poſitus X libris auri pœna multabitur: Si executor eſt in catenis Eccleſiarum recludatur pœnas luiturus, & officium perdat.* Item: *volumus primò, ut neque Abbates, neque Presbyteri & Diaconi & ſubdiaconi, neque quilibet de clero, de perſonis ſuis ad publica vel ſecularia judicia trahant, ſed à ſuis Epiſcopis adjudicati juſtitias faciant. Si autem de poſſeſſionibus ſuis, ſeu Eccleſiaſticis ſeu propriis, clamor ad judicem venerit, mittat judex clamantem cum miſſo ſuo ad Epiſcopum, ut faciat eum jus per Advocatum accipere.* Facit hùc illud Flodoardi ex epiſtolis Hincmari: *Quia de Presbytero & Eccleſia ad Epiſcopum & Synodum definitio pertineat, non ad Mallum vel civilium judicum diſpoſitionem.*

XXXII.

XXXII. Vt autem Epiſcopus fuit judex conſtitutus omnium ejuſmodi negotiorum, ita ipſius Epiſcopi cauſa in Synodo vel apud Metropolitanum agitata fuit. Eam in rem cùm alia ſunt Capitula tùm præcipuè CCXXXIV l. XII. *Nullus Epiſcopus extra ſuam provinciam ad judicium evocetur, ſed vocato eo canonicè in loco omnibus congruo, tempore ſynodali, ab omnibus comprovincialibus Epiſcopis audiatur, qui concordem ſuper eum canonicamque proferre debent ſententiam. Quia ſi hoc minoribus tam clericis quam laicis conceſſum eſt, quanto magis de Epiſcopis ſervare convenit? Nam ſi ipſe Metropolitanum aut judices ſuſpectos habuerit, aut infeſtos ſenſerit, apud Primatem diœceſeos, aut apud Romanæ ſedis Pontificem* judicetur. Vbi notandum *Primo*, aliud ſecundum leges tum fuiſſe Metropolitanum & aliud Primatem. Qua de re legendum Capit. CCCXLI & CCCLX libri ſeptimi. *Secundo* id cum primis obſervandum, datam Epiſcopis pariter & actoribus aliis provocandi ad Papam licentiam. Quod ipſum confirmat Capitulum CCXXXV ejuſdem libri: *Placuit, ut ſi Epiſcopus accuſatus appellaverit ad Romanum pontificem, id ſtatuendum quod ipſe cenſuerit.* Et CCXL: *Quod ſi adverſus provinciæ Metropolitanum Epiſcopus vel clericus habuerit querelam, petat Primatem diœceſeos & apud ipſum* judicetur, *aut apud Sedem Apoſtolicam.* Item Cap. CCCXLIX: *Si forte (quod non optamus) aliquem Epiſcoporum contra proprium Metropolitanum, vel contra alios quoque contingat aliquid habere cauſæ, decrevimus, ut ab hoc Sedis Apoſtolicæ* judicium *is qui petere feſtinat, licentiam habeat. Quod ſcitis canonum antiquorum patrum inſtitutione permiſſum.* Nec non Capit CCCXXIII. *Vt* judicatus *Epiſcopus ad Apoſtolicam ſedem, ſi voluerit, appellet. Ex concilio Sardicenſi tit. V. Quod ſi appellaverit, in cathedra ipſius alter non ordinetur.* Obſervandum autem iterum eſt, talem

provo-

provocationem ad Papam extra diœceſin reorum, antiquis canonibus minimè eſſe conſentaneam. Vetuſtiſſimi enim canones, etiam Nicæni ipſi, volunt, ut cauſæ quæque in ſuis provinciis & diœceſibus finiantur: nec Sardicenſis canon permittit appellationem in poſterum ad omnes etiam futuros Epiſcopos Romanos, ſed ad ſolum Iulium Papam qui tum vivebat. Vt taceam, canones illius Concilii Sardicenſis primis & melioribus temporibus parùm vel nihil habuiſſe auctoritatis in multis etiam Occidentalis Eccleſiæ diœceſibus, ceu liquet ex certamine Paparum cum Epiſcopis Africanis. Ipſa Gallia videtur ante tempora hæc Carolina iis caruiſſe: ut quæ antehac fuerit uſa proprio libro Canonum, non autem illo Romano Dionyſii Exigui, qui Caroli demum ætate in Galliam penetravit, ceu rectè obſervatum cùm aliis tùm Iacobo Leſchaſſerio *l. de libertatib. Eccleſiæ Gallicanæ.* Neque verò temerè legas, in Gallia obtinuiſſe antehac appellationes ad Romanum Papam, niſi ſemel fortè iterumq; & reclamantibus multùm Epiſcopis. Cum poſt hæc Hincmarus Laudunenſis illuc provocaſſet, oppoſuit novæ iſti rei Rhemenſis Hincmarus & morem priſcum & veteres canones Gallicanos. Et ſanè primus Dionyſius videtur in Codicem canonum, in univerſa Eccleſia occidentali pòſt receptum, hoſce Sardicenſes tranſtuliſſe. Hinc ait Præfatione: *Et ne quid præterea notitiæ veſtræ videar velle ſubtrahere, ſtatuta quoque Sardicenſis Concilii atque Africani, quæ Latinè ſunt edita, ſuis à nobis numeris cernuntur eſſe diſtincta.* Quod ipſum pòſt & Græci non improbarunt, ut liquet ex *canone 2 ſynodi quiniſextæ Trullanæ*: quod nempe ſua ſatis de auctoritate ſibi cautum putarent, Conſtantinopolitanâ ſede per Chalcedonenſes Patres Romanæ æquatâ, nec minus hæc atque illa ad ſummum Eccleſiæ regi-

gimen improbis conatibus tunc adſpiraret. Cæterùm hæc obiter. Quantumvis verò certum ſit, in illo Concilio demum jacta eſſe fundamenta Papalis in omnem Eccleſiam qui longè poſt demum enatus eſt dominatus: imò ejuſmodi Canones omnes, tanquam leges merè poſitivæ & ſæpe tantùm ad Statum reipublicæ Romanæ veteris accommodatæ, meritò non debuiſſent attendi mutatâ dudum republicâ Romanâ, adeoque licet nihil bonæ rationis ſubfuerit; hoc tamen initio Papalem monarchiam in regimen Eccleſiaſticum noſtræ quoque Germaniæ traductam eſſe, non eſt quod dubitemus.

XXXIII. Etſi autem novo exemplo cœperit tum provocatio Epiſcoporum ad Papam à judicio ſuſpecti Metropolitani, tamen ſi in ſynodo cauſa eorum jam fuiſſet acta & regiâ auctoritate deciſa, non licuit provocare. Auſus enim quidem id fuit Hincmarus Laudunenſis Epiſcopus, neque minùs avidè id arreptum ab Hadriano ſecundo Papa circa annum 871, idque prætextu confictarum Epiſtolarum Papalium, quæ tum temporis quaſi ab Iſidoro collectæ prodierunt Moguntiaco in lucem, eòque non veritus Papa eſt à Carolo Calvo poſcere, ut Hincmarum illum ſiſteret Romano judicio. Verum acerrimè reſtiterunt hiſce conatibus non tantum Epiſcopi illius ævi, ſed & ipſe Rex Carolus. Ex cujus Epiſtola ad Papam quædam heic recitare operæ fuerit pretium. *Sed valde mirati ſumus, ut Rex corrector iniquorum & diſtrictor reorum, ac ſecundum leges Eccleſiaſticas ac mundanas ultor criminum, reum legaliter & regulariter pro exceſſibus ſuis damnatum, ſuâ fretum potentia Romam dirigat, maxime autem illum qui & ante depoſitionem, contra cuſtodiam publicam & contra quietem moliri, in tribus ſynodis extitit deprehenſus.* Item: *Unde ſicut vobis reſcripſimus, & nunc iterum vobis ſcribere non piguit,*

 ſed

ſed exigente cauſa neceſſarium eſt ; quia Reges Francorum ex regio genere nati, non Epiſcoporum vicedomini, ſed terræ domini hactenus fuimus computati. Et ut Leo ac Romana ſynodus ſcripſit: Reges & Imperatores, quos terris divina potentia præcepit præeſſe, jus diſtinguendorum negotiorum Epiſcopis ſanctis juxta divalia conſtituta permiſerunt, non verò Epiſcoporum villici extiterunt. Quæ omnia longè ſunt veriſſima: namque & ubi valuit Sardicenſis Canon haud licuit à regio judicio ad Papam appellare: utut ſimile quid inſolito exemplo auſum aliquando Athanaſium videri poſſit. Regno præterea Francorum durante, non minùs jurejurando Regibus devincti erant Epiſcopi atq; ſubditorum alii. Ipſemet Laudunenſis Hincmarus *libro purificationis* quem ſynodo obtulit, ita ſcribſit: *Ego Laudunenſis, à modo & deinceps Domino Seniori meo Carolo Regi ſic fidelis & obediens ſecundùm meum miniſterium ero, ſicut homo ſuo Seniori & Epiſcopus piè victuro ſuo Regi eſſe debet.* Vt taceam, illâ ætate Papas ipſosmet judicio Cæſareo obtemperare coactos eſſe. Obſervandum præterea etiam atque etiam eſt: ſeculo decimo, cum iterum Remenſis Epiſcopus Synodi judicio damnatus Arnolphus ad Papam provocaſſet, Epiſtolarum Iſidorianarum obtentu; nec liqueret ſatis Epiſcopis Gallicanis fraus circa eas commiſſa, in Synodo Remenſi ad Canones Africanos tanquam ad normam Regiminis Eccleſiaſtici Epiſcopos reſpexiſſe: ceu liquet ex Actis illius Synodi ab ipſomet Gerberto pòſt Sylveſtro ſecundo Papa deſcriptis. Fruſtra autem laboraverunt etiam Gallicani Epiſcopi, eòque paulò poſt non minùs atque Germani noſtri jugum Romanum ſubire ſunt coacti.

XXXIV. *Tertium* munus Epiſcopalis ſacri judicii fuit deciſio quarumvis litium ad id perlatarum. In eam rem facit

cit Capitulum CCLXXXI libri ſexti apud Benedictum Levitam: *Volumus atque præcipimus, ut omnes ditioni noſtræ Deo auxiliante ſubjecti, tam Romani quàm Franci, Alemani, Bajovarii, Saxones, Thuringii, Freſones, Galli, Burgundiones, Brittones, Langobardi, VVaſcones, Beneventani, Gothi, Hiſpani, cæterique nobis ſubjecti omnes, licet quocunque videantur vinculo conſtricti, vel conſuetudinario more connexi, hanc ſententiam quam ex XVI Theodoſii Imperatoris libro, capitulo videlicet XII, ad interrogata Ablavii Ducis illi & omnibus reſcriptam, ſumpſimus, & inter noſtra Capitula pro lege tenendam, conſultu omnium fidelium noſtrorum, tam clericorum quam & laicorum, poſuimus, lege cunctis perpetua tenendam. Id eſt. Quicunque litem habens, ſive poſſeſſor ſive petitor fuerit, vel, in initio litis, vel decurſis temporum curriculis, ſive cum negotium peroratur, ſive cum jam cœperit promi ſententia, judicium elegerit ſacroſanctæ legis antiſtitis, illicò ſine aliqua dubitatione, etiamſi alia pars refragatur, ad Epiſcoporum judicium cum ſermone litigantium dirigatur. Multa enim quæ in judicio captioſa præſcriptionis vincula promi non patiuntur, inveſtigat & promit ſacroſancta religionis auctoritas. Omnes itaq; cauſæ, quæ vel Prætorio jure vel civili tractantur, Epiſcoporum ſententiis terminatæ, perpetuo ſtabilitatis jure firmantur. Nec liceat ulterius retractari negotium, quod Epiſcoporum ſententia deciderit.* Hactenus Capitulum Carolinum. Manifeſtum verò eſt, cum tam multa & varia fuerint Epiſcopali Judicio commiſſa, longè hoc judicio Comitum præſtitiſſe, cum multitudine negotiorum, tum auctoritate & dignitate. Nullo autem reipubl. bono vel certè perexiguo multa horum ita eſſe conſtituta, docuit eventus: Epiſcopis quammultis in tyrannos propè degenerantibus, & dum alienis incumbunt curis, ſui quod erat mu-

neris negligentibus, ſummo Eccleſiæ Germanicæ damno. Quod latiùs exponere non eſt hujus loci.

XXXV. Proximi poſt ſacra illa Iudicia ordinis eadem tempeſtate fuere judicia DE BONIS SACRIS cùm Epiſcoporum & Monaſteriorum, tùm ſingularium etiam minorum eccleſiarum. Neque enim harum rerum judicium fuit penes ipſos Clericos aut Monachos, ſed alios ſingulatim à Regibus in id conſtitutos, qui Vicedomini Advocati aut Kaſten-Vögte audiebant. Quamvis enim horum curatio etiam ad multa alia pertineret, tamen noſtri inſtituti non eſt, reliqua nunc tangere. Advocatorum verò fuiſſe judicare de Abbatum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum & reliqui minoris ordinis cleri controverſis bonis, clarè liquet ex verbis Capitular. th. 31. adductis: *Si autem de poſſesſionibus ſuis, ſeu Eccleſiaſticis ſeu propriis, clamor ad judicem* (ſecularem ſcil.) *venerit, mittat judex clamantem cum Miſſo ſuo ad Epiſcopum, ut faciat eum juſtitiam per Advocatum accipere.* Capitular. l. 3. c. 11. *De Vicedominis, vicariis & centenariis pravis, ut tollantur: & tales eligantur, quales & ſciant & velint juſtè cauſas diſcernere & terminare.* De Epiſcopalibus bonis eadem fuit ratio. Hinc libro V. capit. 234. legitur: *Hoc ſtatuimus: ubicunque Epiſcopi ſubſtantiam habuerint, Advocatum habeant in ipſo Comitatu, qui abſque tarditate juſtitiam faciat & ſuſpiciat.* Igitur tametſi cauſæ perſonales Cleri omnes non niſi ad Cleri judicium pertinuerint, bonorum tamen ſacrorum prorſus alia fuit conditio, utpote, quum horum etiam omnis adminiſtratio optimo conſilio Advocatis (hominibus utique non ex Clero) fuerit commiſſa. Vnde Hincmarus ep. 7. c. 31. *Decretum eſt, ut Epiſcopi univerſique ſacerdotes habeant Advocatos; quia Epiſcopi univerſique ſacerdotes ad ſolam*

laudem Dei bonorumque operum actionem conſtituuntur. Debet ergo unusquisque eorum, tam pro Eccleſiaſticis quam etiam propriis ſuis actionibus, habere Advocatum non male ſuſpectum, ſed bonæ opinionis, ne dum humana lucra attendunt æterna præmia perdant.

XXXVI. QUAMVIS autem ea quam proximè narravimus fuerit ratio judiciorum ſtatorum per omnem Germaniam de cauſis minoribus, illa tamen eadem negotia non ita fuere hiſce Iudiciis aſtricta, ut nullus fuerit locus relictus provocationi ad Regem tanquam judicem ſupremum. Imo ſuperfuit ejuſcemodi provocatio quantū videtur, altera ad Miſſos aut legatos regios, altera ad ipſum Regis Palatium. Non quaſi in qualibet cauſſa tale quid licuerit, ſed in nonnullis, & quidem cum Comites Epiſcopi Abbates & alii officio ſuo minùs rectè fungerentur. Hinc verè Vadianus *l. de collegiis & monaſter. Germaniæ veteribus*: *Ad Miſſos provocare adverſus Comitum vel negligentiam vel illatam injuriam, etiam plebi licebat: actione hinc data conceſſaque, qui ſe neglectum fraudatumve aut iniquiùs à Comite tractatum quereretur.* Et vero Miſſis illis inquirendi poteſtas in omnes mores eorum qui populi rectores erant conſtituti, committitur multis verbis *l. Capitul.* 28. Seorſim ut in Epiſcoporum & Comitum vitam inquirant, injungitur *l. 2. Capit. 12.* Nec verò tantùm inquiſitio illa Miſſis fuit commiſſa, ſed ex parte etiam animadvertendi in ſontes poteſtas. Hic ſane faciunt illa l. 4. c. 66. *Ubicunque Miſſi aut Epiſcopum, aut Abbatem, aut alium quemlibet quocunque honore præditum invenerint, qui juſtitiam facere vel noluit vel prohibuit, de ipſius rebus vivant; quamdiu in eo loco juſtitias facere debent.* Nec non illa l. 5. c. 183. *Si Comes in ſuo miniſterio juſtitias non fecerit: Miſſus noſtris de ſua caſa vel de*

 ſuis

ſuis xeniis ſerviat , uſque dum juſtitia ibi facta fuerint. Et ſi Vaſſus noſter juſtitias non fecerit , tunc & Comes & Miſſus noſter ad ipſius caſam ſedeant , & de ſuo curent , quousque juſtitias faciant. Nec verò à Iudicio Miſſi regii cuiquam Comitum , Abbatum, Epiſcoporum licuit abeſſe. Vt diſerte cavetur l. 4. cap. 17. : *Vt omnis Epiſcopus Abbas & Comes , exceptâ infirmitate vel noſtra jusſione , nullam excuſationem habeant , quin ad placitum Miſſorum noſtrorum veniat , aut talem vicarium ſuum mittat , qui in omni cauſa pro illo reddere rationem poſſit.* Hinc porrò non licuit Miſſo judicium inſtituere eo loci, ubi Comes reipub. cauſſa aberat , quod decernitur *l.* 4. *Capit.* 68. ut nec moram ducere , ubi Comes benè fuerat officio functus.

XXXVII. Libet addere in maiorem hujus rei lucem. *Capitulum* 26. *l.* 2. de Miſſorum officio. *Primò , ut conventum in locis duobus aut tribus congregent , ubi omnes ad eorũ legationem pertinentes convenire poſſint ; & omnibus generaliter notum faciant, qualis ſit eorum legatio. Scilicet ad hoc eſſe ſe à nobis Miſſos conſtitutos , ut ſi quilibet Epiſcopus aut Comes miniſterium ſuum propter quodlibet impedimentum implere non poſſit, ad eos recurrat ; & cum eorum adjutorio miniſterium ſuum adimpleat. Et ſi talis cauſa fuerit , quæ per eorum admonitionem emendari non poſſit , ea ad noſtram notitiam deferatur. Et ſi fortè Epiſcopus aut Comes aliquid negligentiùs in ſuo miniſterio egerit , per iſtorum admonitionem corrigatur. Et omnis populus ſciat , ad hoc eos eſſe conſtitutos , ut quicunque per negligentiam , aut incuriam vel impoſſibilitatem Comitis , juſtitiam ſuam acquirere non potuerit , ad nos primùm querelam ſuam poſſit deferre, & per eorum auxilium juſtitiam acquirere ; & quando aliquis ad nos neceſſitatis cauſa reclamaverit , ad eos poſſimus*

reiſ-

relatorum querelas ad definiendum remittere. Ipſi verò Miſſi non ſine certiſſima cauſa vel neceſſitate huc illucque diſcurrant, niſi forte quando tale aliquid in cujuslibet miniſterio, ad legationem ſuam pertinente, ortum eſſe cognoverint, quod eorum præſentiâ indigeat, & ſine illorum conſilio vel adjutorio emendari non poſſit. Inde tamen debent eſſe ſoliciti, ut propter illorum negligentiam nihil in ſua legatione incorrectum remaneat: ſed ubi certam & veram neceſſitatem cognoverint, noſtram juſſionem adimplere non negligant. Operæ etiam fuerit pretium hîc legere *Capitulum* 85. *l.* 3. de tempore judiciorum à Miſſis illis inſtituendorum: *Volumus ut propter juſtitias, quæ uſque modo de parte Comitum remanſerunt, quatuor tantum menſibus in anno Miſſi noſtri legationes ſuas exerceant: id eſt, in hieme, Januario; in verno, Aprili; in æſtate, Julio; in Autumno, Octobri. Cæteris vero menſibus unusquiſque Comitum placitum ſuum habeat, & juſtitias faciat. Miſſi autem noſtri quater in uno menſe, & in quatuor locis habeant placita ſua cum illis Comitibus; quibus congruum fuerit, ut ad eum locum poſſint convenire.* Denique cum publico ſumptu Regii illi Miſſi vixerint, dignum quoque lectu eſt Capitulum 74. *l.* 4. ut pateat ſimul illius ævi frugalitas. *De diſpenſa Miſſorum noſtrorum, qualiter unicuique, id eſt præter conjugem ac domum ejus cuſtodiendam, juxta ſuam qualitatem dandum vel accipiendum ſit. Videlicet* Epiſcopo *panes* XL. *friſcingæ* III. *de potu modii tres, porcellus unus, pulli tres, ova* XV. *annona ad caballos modii quatuor. Abbati, Comiti, atque Miniſteriali noſtro unicuique dentur quotidiè panes triginta, friſcingæ duæ, de potu modii duo, porcellus, unus, pulli tres, ova* XV, *annona ad caballos modii tres. Vaſallo noſtro panes* X *&* VII, *friſcinga una, porcellus unus, de potu modius unus, pulli duo, ova decem, annona ad caballos modii duo.* XXXIIX.

XXXIIX. In ipſomet Regio palatio itidem fuere cauſæ judicatæ, & quidem partim per ipſum Regem, partim per Comitem Palatii. De illo judicio agit additio l. 4. Capitula, *Hoc Miſſi noſtri notum faciant Comitibus & Populo, quod nos in omni hebdomade unum diem ad cauſas audiendas & judicandas ſedere volumus.* Videntur autem ad Regem delatæ cauſæ potiſſimùm per appellationem, nec eam quamlibet. Id enim aperte fuit conſtitutum: *Populo autem dicatur, ut caveat de aliis cauſis ad nos reclamare, niſi de quibus aut Miſſi noſtri aut Comites eis juſtitias facere noluerint.* Item: *Si aliquis voluerit dicere, quod juſtè ei non judicetur, tunc in præſentiam noſtram veniat: aliter vero non præſumat in præſentiam noſtram venire pro alterius juſtitia dilatanda.* Præter hæc tamen ad Regis ipſius judicium pertinuerunt omnes cauſæ minores, inter Epiſcopos Abbates Comites & potentiores quoſq; controverſæ; ut ſupra *thes.* 24 jam tum demonſtravimus. De Carolo Magno Eginhardus in vita: *Cum calcearetur & amiciretur non tantùm Comites admittebat, verùm etiamſi Comes Palatii litem aliquam eſſe diceret, quæ ſine ejus juſſu definiri non poſſet, ſtatim litigantes introduci juſſit, & veluti pro tribunali ſederet lite cognitâ ſententiam dixit.*

XXXIX. Ad Comitem Palatii videntur delatæ duorum generum cauſæ: aliæ quæ alibi decidi non potuerunt per provocationem partium litigantium: aliæ circa ipſum Palatium regium, aut in aula ipſamet enatæ. Memoratu digna ſunt de officio Comitis illius verba Hincmari Remenſis Archiepiſcopi, hominis ut dignitate ſummi, ita rerum regni Francici ſuo ævo peritiſſimi. Habentur autem illa cap. 19. 21. epiſtolæ ad Ludovicum Balbum Regem. *Comes Palatii de omnibus ſecularibus cauſſis vel judi-*

judiciis ſuſcipiendis curam inſtanter habebat, ut nec ſeculares prius Dominum Regem abſque ejus conſulto inquietare neceſſe haberent, quouſque ille provideret, ſi neceſſitas eſſet, ut cauſa ante Regem meritò venire deberet. Capit. 21. *Comitis autem Palatii, inter cætera peneinnumerabilia, in hoc maximè ſolicitudo erat, ut omnes contentiones legales, quæ alibi ortæ propter æquitatis judicium Palatium aggrediebantur, juſtè & rationabiliter determinaret, ſeu perversè judicata ad æquitatis tramitem reduceret; ut & coram Deo propter juſtitiam, & coram hominibus propter legum obſervationem, cunctis placeret.* Audivimus verò jam tum ſupra *Theſ. 24* Capitulum Caroli Magni, quo prohibetur Comes Palatii potentiorum cauſas niſi mandato Regio decidere: *tantum* (inquit) *ad pauperum & minus potentum juſtitias faciendas ſibi ſciat eſſe vacandum.*

XL. IN HUNC MODUM fuere conſtituta omnia Iudicia cum alibi quà patebat regnum Francorum, tum etiam per Germaniam; quo tempore floruit maximè illa reſpublica ſub Carolo Magno & Ludovico Pio. Omnia perinde ita obſervata fuiſſe etiam nepotum ætate, haud dixerim. Fuit enim tandem turbulenta admodum reſpublica, per inteſtinos motus & Normannorum incurſiones: ſenſimq; dignitas Regia plurimùm decrevit, maximè poſt creatos Duces quaſi hæreditarios. Cæterùm eo quo diximus modo legibus & conſuetudinibus publicis judicia tunc fuiſſe inſtituta, certum eſt. Sunt qui ab eodem Carolo deducant & Iudicium illud Weſtphalicum quod *vetitum* nuncupat ÆneasSylvius *l. de ſtatu Europæ c. 29.* aliis occultum aliis Vemicum judicium appellatur. Quanquam verò haud negem, trecentis ab hinc annis ita creditum eſſe, tamen dubitare me jubet de famæ fide ſilentium omnium non Caroli tantùm avi, ſed & multorum

pòſt ſeculorum; utpote quum nemo ante Æn. Sylvium illum de hoc judicio iſtiuſmodi quidquam memoraverit, veroſimile autem non ſit interea temporis tale quid dictum à nemine illorum qui minima maxima ſolent narrare. Ad hoc ea fuit judicii illius iniquitas & barbaries, ut à Carolo, Rege, & prudente & pio, illud eſſe inſtitutum, prorſus abhorreat à fide. Nec verò inſolens fuit avorum ævo, in Carolum auctorem referre conſtituta etiam noviſſima. Quale autem fuerit illud ludicii genus narrant poſt Aeneam Sylvium, Felix Faber *Hiſtor. Suevorum l.* 1. *c.* 7, ſed ad ductus verbis Sylvii, VVernerus Rolevinkius *Saxoniæ antiquæ p.* 2. *c.* 6, Ioannes Aventinus *l* 4. *Annal. ad annum* 794, Crancius *Saxoniæ l.* 2. *c.* 21, Letznerus *de vita Caroli Magni cap.* 15. addens, ejus judicii uſum ſuperfuiſſe in provincia VVolpenſi Ducatus Brunſuicenſis, adhuc ætate Erici ſenioris Ducis, hunc autem ex conſilio Iuſtini Gobleri ICti omne illud aboleviſſe. Non eſt noſtrum ejus formam recenſere, aut barbariem hoc loco multis perſtringere. Aliàs fortè hoc agemus.

XLI. CONSIDERANTIBUS autem omnem illam judiciorum conſtitutionem haud difficile liquet, optimè illam conveniſſe & populi moribus & integro reipublicæ ſtatui. Non enim in Regno legitimo, & ubi reipublicæ ſumma non debet eſſe penes unum Regem plebs autem ingenue ac liberaliter habenda eſt, meliorem judiciorum rationem poſſis inire. Qui enim rectiùs caveris Optimatium libertati, quàm ſi cauſſæ, illorum famam vitam dignitatem & maxima bona attinentes, non niſi in Optimatium concilio decidantur? Quomodo plebi meliùs conſulueris, quàm ſi & illi liceat ex ſuo ordine judiciorum aſſeſſores dare, & à judicum iniquis ſententiis appellatio ad Legatos Regios & Regem ipſum in promptu ſit? Quomodo denique cum opti-

Optimatium & populi libertate accuratiùs temperaveris Regiam poteſtatem, quàm ſi maximarum litium judicia ipſimet Regi ex parte committantur? Si videlicet ille poſſit per ſe & ſuos Legatos in totius regni judicia advertere: ſi potiſſimi judices ipſius auctoritate conſtituantur, nulli porrò admittantur niſi de ipſius conſenſu? Liquet porro ex iis quæ adduximus, controverſias obortas non in longum protelatas, ſed obtinuiſſe tunc proceſſum ſimplicem, facilem, & brevi tempore circumſcriptum. Eſt autem & hoc maximè in reipublicæ commodum. Quàm utilis præterea fuit litium paucitas! cùm ſinguli ex plebe intelligere poſſent leges, ſecundùm quas eſſet vivendum, nec proceſſus ſimplex pateretur litium diuturnitatem, & cauſidicorum malitiæ non pateret forum. Vnum tamen illud meritò reprehendas, quod lege permiſſum denique ſit, cauſas Epiſcoporum ad Papam extra diœceſin Germaniæ deferre. Quantumvis enim initiò idipſum non ſumme nocuerit, quamdiu nẽpe Papa ipſe eundem cum Germania Regem reverenter coleret: tamen damnoſum fuit reipublicæ, extra regni limites judicem aliquem admittere, quiq; poſſet non eſſe ſubditus Germaniç regi, qualis utiq; fuit Papa ſtatim ab obitu Ludovici Pii; quo tempore & Germania fuit diſtincta à republica Romani Imperii & Papa monarchiam ſuam cœpit ſtruere, evileſcente Francici Regni autoritate.

LXII. QVEMADMODVM poſt tempora Francorum aliquot proximis ſeculis habuerint ſeſe Germaniæ Iudicia, difficilius explicatu eſt, eò quod nullæ extent, vel certe pauciſſimæ, leges temporibus illis in republ. latæ quæ id ipſum ſignificent, hiſtorici quoque ejus ævi reipubl. omnis imperiti & negligentes pauciſſima memoraverint quæ huc faciant. Etiam ſic tamen revocare pereuntem memo-

riam Iudiciorum, fortaſſis fuerit operæ pretium. Initium verò faciemus de cauſis Regum ipſorummet, utpote qui & ipſi moribus antiquis jurisdictioni alicui ratione regiminis fuerint ſubjecti. Inde dicemus de judicio cauſarum majorum pertinentium ad Principes ſeculares quos vocant. Pòſt de judiciis Epiſcoporum diſſeremus, utpote qui etiam ipſi Principibus in republ. noſtra accenſentur. Adjecturi denique de judiciis magis plebeiarum rerum nonnulla. Quibus perſpectis demum licebit decernere, quàm benè quàm malè judiciorum omnium ratio ſeſe habeat, & quomodo vitiis, ſi quæ ſint, poſſimus mederi.

XLIII. REGUM igitur cauſæ pertinentes ad reipubl. [I] adminiſtrationem, ut olim ita pòſt agitatæ ſunt frequenter in Comitiis Regni. Ita Henricus IV Cæſar malè adminiſtratæ reipubl. aliquoties in Comitiis poſtulatus fuit, auctoritateque eorundem Regia dignitate exutus. Accidit idem & Ottoni IV, & Friderico II. Non enim jam diſputo, ſint ne in horum cauſis ex jure aut æquo omnia geſta: Comitiorum auctoritatem etiam tunc in tanti momenti negotiis obſervatam eſſe, ſatis eſt ſi jam attendamus.

XLIV Duo tamen acciderunt nonnunquam multùm à priſcis moribus diſſidentia. *Alterum* eſt quod Concilii omnium Ordinum illa vis ad ſolos Electores tranſire cæperit poſt evectam multùm novo more Septemvirorum dignitatem à Carolo IV. Hoc jure equidem VVenceslaus Cæſar fere tantùm ex Electorum ſententia depoſitus fuit, & pòſt in Septemviralibus Comitiis pene ſolis de cauſis iſtis regiis fuit actum. *Alterum* quod Papa Romanus cæperit non tantum arrogare ſibi ceu aliquis feudi dominus, aſt etiam tanquam vicedeus orbis Chriſtiani, juriſdictionem in Cæſares & Reges Germaniæ, imò etiam

illos

illos immorigeros communicatione ſacra in tantùm excludere, ut omnes cives & Ordines juramento fidelitatis ſolverentur. Sane (ut de ſacra potentia quam Papa ſibi arrogat priùs dicamus) etiam Carolina ætate eſt creditum, quod excommunicatio interdum habeat effectum civilem aliquem, ratione ſocialis vitæ: verùm nemo illud quidem ad Reges excommunicatos pertinere cenſuit. Ut nunc taceam, in Reges excommunicationis fulmen vibrare planè fuiſſe factum inſolens. Certè cum fama eſſet, Papam Gregorium IV, qui ſeſe rebellium partibus addiderat, excommunicaturum Ludovicum Pium Cæſarem, vox hæc fuit vulgaris Epiſcoporum Galliæ & Germaniæ: *Si Papa venit excommunicaturus, excommunicatus diſcedet, quia aliter ſe habet antiquorum auctoritas canonum*, ut eſt *in vita Ludovici.* In Lotharium Regni Lotharingici Regem adulterii cauſâ Nicolaus I itidem excommunicationem intendit, ſed minæ effectu caruerunt. Carolum Calvum occupantem regnum Lotharii ex Ordinum tamen ſententia, per Epiſcopos Regni illius voluit excommunicari Papa Hadrianus II: ipſemet fulmen illud fortè non fuit auſus jac[illegible]: nec tamen de alio effectu civili quidquam memorat, quàm ut ſeſe abſtineant à convictu & ſocietate familiari Regis. Fruſtra enim eſt Bellarminus *l. contra Barclaium c 4* quando hunc collocat inter eos qui Gregorio VII paria fecerunt, ſubditis ſacramento ſolutis; quanquam præluſiſſe haud negaverim. Quid autem reſponſum ſit à Rege atque Ordinibus cùm aliis tùm Epiſcopis, patet ex epiſtola Hincmari Rhemenſis Archiepiſcopi, adeoque inter Epiſcopos illos tum primi, ad Papam. *Nunquam* (ſcribit ille dictum à Rege) *hujusmodi præceptionem ab illa Sede ulli deceſſorum meorum miſſam fuiſſe, etiam ſi inter Reges non tantùm ſacramentis confederatos, ſed inter patrem ac filios ac*

inter fratres, prælia ac ſeditiones eorum temporibus fuiſſe noſcantur Item. *Nec etiam ab hæreticorum vel ſchismaticorum ſive tyrannicorum Imperatorum ac Regum, quales fuerunt Conſtantius Arianus ac Apoſtata Iulianus & Maximus tyrannus, præſentiâ & ſalutatione ſive collocutione, Sedis Apoſtolicæ Pontifices vel alii magnæ auctoritatis at ſanctitatis Epiſcopi, cum locus & ratio & cauſa exegit, ſe ſubtraxiſſe leguntur.* Item: *Et dicunt* (Ordines ſcilic.) *ſecularem ſcripturam dicere, quia omne regnum ſeculi hujus bellis quæritur victoriis propagatur, & non Apoſtolici vel Epiſcoporum excommunicationibus obtinetur.* Item. *Petite dominum Apoſtolicum, ut quia Rex & Epiſcopus ſimul eſſe non poteſt, & ſui anteceſſores Eccleſiaſticum ordinem, quod ſuum eſt, & non rempublicam, quod Regum eſt, diſpoſuerunt, non præcipiat nobis habere Regem, qui nos in ſic longinquis partibus adjuvare non poſſit contra ſubitaneos & frequentes paganorum impetus, & nos Francos non jubeat ſervire, cui nolumus ſervire; quia iſtud jugum ſui anteceſſores noſtris anteceſſoribus non impoſuerunt, & nos illud portare non poſſumus, qui ſcriptum eſſe in ſanctis libris audimus, ut pro libertate & hæreditate noſtrâ uſque ad mortem certare debeamus. Et, ſi aliquis Epiſcopus aliquem Chriſtianum contra legem excommunicat, ſibi poteſtatem ligandi tollit. Et, nulli vitam æternam poteſt tollere, ſi ſua peccata illi eam non tollunt. Et, non convenit ulli Epiſcopo dicere, in Chriſtianum, qui non eſt incorrigibilis, quod non propter propria crimina, ſed pro terreno regno alicui tollendo vel acquirendo, nomine Chriſtianitatis debeat privari, cumq́ diabolo collocari, quem Chriſtus ſua morte & ſuo ſanguine de poteſtate diaboli venit redimere, & Chriſtianos pro fratribus ſuis animas ſuas docuit ponere. Propterea ſi dominus Apoſtolicus vult pacem quærere, ſic pacem quærat ut rixam non moveat: quia nos non credimus,*

mus, ut aliter ad regnum Dei pervenire non poſſimus, ſi illum quem ipſe commendat terrenum Regem non habuerimus. Plura ex epiſtola Hincmari adducere non vacat: & verò tota meretur hac de re diligenter legi.

XLV. Poſt hæc de Regibus excommunicandis in Papali Curia videtur altum ſilentium fuiſſe uſq; ad Gregorium VII, aut Hildebrandum, illum terrarum orbis titionem. Hic primus omnium non dubitavit Cæſarem Henricum Quartum, cujus erat ſubditus, civilium delictorum nomine & Romam ad dicendam coràm ſeſe cauſam evocare, & non comparentem ſtatim excommunicare, ſimulque ſubditos ſacramento juratæ fidelitatis exſolvere, perduelles denique ad novum regem ſibi creandum omnibus modis impellere. Quotum nihil omnibus retrò ſeculis in Chriſtiano orbe auditum eſt. Benè enim Otho Friſingenſis *l. 6, c. 35. Lego & relego Romanorum Regum & Imperatorum geſta, & nuſquam invenio, quenquam ante hunc Henricum à Romano Pontifice excommunicatum & regno privatum.* Benè item Onuphrius Panvinius *l 4. de varia creatione Romanorum Pontificum*, quem edidit Ieſuita Gretzerus, facinus illud Hildebrandi appellat, *rem ante ea ſecula inauditam; nam* (inquit) *fabulas, quæ de Arcadio Anaſtaſio & Leone Iconomacho circumferuntur, non moror.* Eodem tamen modo detonarũt etiam alii Hildebrandini ſucceſſores in Henricum V, Fridericum I, Philippum II, Ottonem IV, Fridericum II, & Ludovicum IV.

XLVI. Quamvis autem omnibus illis Papis non perinde omnia ex voto ſucceſſerint, iniquitatem ſententiæ atque impietatem prudentioribus quibuſque & æqui ſtudioſis, ſuperſtitionis ſipario nonnihil ſublato, animadvertentibus; attamen certum eſt, nunquam defuiſſe qui Papalia illa fulmina tanquam cælo profecta venerarentur.

certum

Certum eſt etiam, non tam in dubium vocatum numquid tale poſſit Papa, quàm utrum juſtis de cauſis diram ejuſmodi ſententiam in hunc aut illum tulerit. Pauci ſanè cum Waltramo Naumburgenſi, cum Sigeberto, cum Marſilio Patavino, & Ianduno cũ Ockamo, ipſammet illam Papæ poteſtatem injuriæ poſtulaverunt. Autor Speculi Saxonici limitat quidem illam, ut tamen non tollat. *Papa* (inquit) *non poteſt nec aliquis alius Dominum Imperatorem excommunicare poſtquam conſecratus eſt & unctus, niſi ſolùm in tribus caſibus: ſi dubius ſit in fide, ſi repudiet uxorem ſuam legitimam, ſi deſtruat Eccleſiam.* Nec alia fortaſſis fuit ſententia multorũ aliorum, etiam illorum qui viſi ſunt maximè facere pro dignitate Regia. Abbas Tritthemius nihil aliud quàm hoc auſus dicere in *Chron. monaſteris Hirſaugienſis ad anum* 1106. *Scholaſtici certant & adhuc ſubjudice lis eſt, utrum Papa poſſit Imperatorem deponere.* Quo tamen manifeſtum fit, non accenſitam tunctemporis catholicæ fidei articulis doctrinam Hildebrandinam, verùm citra hæreſios infamiam adverſam ſententiam ſolere tum defendi. A Lutheri ætate jam ultra centum annos ab omnibus Proteſtantibus damnatus eſt Hildebrandiſmus, & aſſerta reipubl. libertas: neque dubito etiam in numero illorum qui Proteſtantium partibus non acceſſerunt (ut in Gallia Italia & alibi eſt factum) ſatis multos hactenus ſenſiſſe & etiamnum ſentire paria. Pauci tamen Germanorum publico ſcripto docere id auſi fuerunt. Ex adverſo, quaſi regnum aliquod occuparunt inter illos Lojolæ ſocii; quibus nihil videtur prius quàm Hildebrandiſmum propagare, adverſariis atheorum hæreticorum & politicorum titulo traductis. Vt itaque reſpublica noſtra inter haſce opiniones etiam nunc fluctuet.

XLVII. Non tantùm autem jure illo ſuo ſacro verùm etiam

etiam quod Cæſar ſit Papæ Vaſallus, & omnia quæ Imperii Romani titulo veniunt feudum ſint Papale, juriſdictionem arrogant ſibi Pontifices in Cæſares noſtros & omnem rempublicam. Auditum autem primò omnium tale quidquam fuit Friderico I Cæſare. Niſi malis ad Lotharii Saxonis tempora originem referre: quod tum primò pictum ejuſmodi quid ſit in reipubl. ignominiam, ſubſcriptis illis verſiculis:

Rex venit ante fores, jurans prius Urbis honores:
Mox homo fit Papæ, ſumit quo dante coronam.

Verùm Fridericus quidem aliam Papę Adriano confeſſionem extorſit: in Decretum tamen Gratiani *diſtinct.* 63 irrepſit illo ipſo tempore neſcio quod juramentum Ottonis Magni *Tibi domino*, quod Gloſſa appellat *juramentum fidelitatis*. Paulò pòſt Innocentii III Capitulum *Venerabilem* ſcriptum eſt. Quo dicitur: *quod jus & auctoritas examinandi perſonam electam in Regem Romanorum & promovendam ad Imperium, ad Papam ſpectat, qui eum inungit conſecrat & coronat.* Primo fortaſſis Henrico VII expreſſis verbis objectum eſt, quaſi præſtiterit *juramentum fidelitatis*: quod cum ille maſculè negaret, prodiit illa Clementina unica *de jurejurando*, reipubl. Germanicæ perquam ignominioſa. Longe majori importunitate ejuſmodi quid auſus eſt adverſus Ludovicum IV Ioannes XXII Pontifex: cui tamen fortiter tota reſpubl. reſtitit. Et ſanè ſi verum eſt quod dicit Papa, neceſſariò conſequeretur, Imperium in feudis Papalibus eſſe numerandum, & Papam habere in Cæſarem & rempubl. jus, tamquam in ſuos Vaſallos. Verum enimverò alibi iniquitas illius Papalis conatus latè oſtenditur. Utque verum ſit, Imperium Romanum propriè ita dictum feudum eſſe Papale, non tamen eapropter Papis devinctum ita fuerit vel Italicum regnum vel Germania, utpotequæ ſint

liberæ reſpublicæ ab Imperio Romano prorſus diſtinctæ. Adeoque hoc quidem nomine nihil habuerit juris Papa in Germaniæ regnum, de cujus Iudiciis nunc agimus. Hinc in Cæſarum noſtrorum excommunicationibus Papæ ipſi non hoc ſuum feudale jus ſolent urgere, ſed illam quam divinitus ſibi credi volunt collatam omnipotentiam: quam etiã ante ſibi adſcripſerunt quàm de dominio feudali in Cæſares quidquam mutierint. Neq; enim verum eſt, quod contendit Grotius, ex hoc illam eſſe natam: ut ex jam ante dictis manifeſtum eſt. Quicquid autem ſit, Cæſarum nemo Vaſallum ſeſe agnovit Papæ; jam à Maximiliani II ætate nemo vel obedientiæ ſacramento ſeſe voluit Papis obſtringere ad modum aliorum Regum, fruſtra contranitente Pontificia curia. Interim tamen negari nequit, in mediâ Germania haberi & coli hodièque à multis codicem legum Papalium, non expunctis illis quæ in ignominiam reipublicæ ſummâ cum injuriâ perſcripta eſſe diximus.

II. XLIIX. Verum quemadmodum habere paulatim ſeſe cæperit & nunc adeo ſeſe habeat juriſdictio in ipſum Regem, ſatis eſt dictum; conſequens eſt de PRINCIPUM laicorum cauſis agere. Videtur autem in illis judiciis aliquid manſiſſe per omnia ſecuta ſecula quidem uſque ad inſtitutam Cameram Cæſaream Spirenſem priſtini moris, aliquid verò mutatum. Manſit ſcilicet illud, quod ejuſmodi controverſiæ nunquam fuerint permiſſæ unius Regis judicio, ſed ſemper earum dijudicandarum poteſtas fuerit ſimùl penes Ordines. Patet autem hoc triplici modo. *Primò* quod nullis monumentis memoretur adverſi aliquid unquam accidiſſe. *Secundò*, quod in hiſtoriis noſtris, quæ paulo clarius controverſias hujuſmodi narrant, ſemper memoretur id obſervatum eſſe quod nos diximus. *Tertio*, quod ſuperſint in omnium ſeculorum ſcri-

ptis

ptis teſtimonia, quæ demonſtrant hoc ipſum non tantùm itatum obſervatum, ſed etiam inter leges publicas fuiſſe habitum.

XLIX. Prius unicuivis apparebit excutienti ſcripta ejus ævi. Alterum ſatis eſt, ſi nonnullis duntaxat exemplis nunc demonſtremus. Cum Eberhardus magnæ auctoritatis Comes pacem publicam inteſtinis bellis fregiſſet, ab Ottone Magno Cæſare non niſi in Regni Comitiis & accuſatus & damnatus fuit, teſte Witichindo l. 2. Henricus III Cæſar Conradum Bavariæ Ducem itidem in Comitiis Merſeburgenſibus *quorundam Principum judicio* Ducali dignitate exuit, ut ſcribt Hermannus Contractus in Chronico anno 1052. Hujus filius Henricus IV Ottonis Bavariæ Ducis læſæ majeſtatis rei cauſam itidem non niſi in Comitiis regni agitavit. Lambertus Schafnaburgenſis ſcribit, Ottonem jam citatum reſpondiſſe, paratum ſeſe coràm venire, & conditione quam *Principes regni* æquam judicaſſent, crimen cujus inſimulatus fuerat refellere. Ejuſdem verba ſunt: *Rex Principes Saxoniæ ſententiam ſuper eo rogavit, qui eum tamquam manifeſti criminis deprehenſum reum majeſtatis judicaverunt.* Aventinus l. 5. Annal. narrat, in Goslarienſibus illis Comitiis Henricum Cæſarem primò legem Salicam de conjurationibus in Regem juſſiſſe recitari, univerſos inde Principes jurisjurandi ſui admonuiſſe, ſententiamque de Ottone rogaſſe. *Omnes* (inquit) *in ſententiam legis pedibus iverunt: factum eſt Senatus conſultum: Otto hoſtis judicatus & proſcriptus.* Eodem Cæſare quum Principes Saxoniæ rebellaſſent, ſcribit Lambertus, miſſos ab illis legatos ad Cæſarem: *Se juxta Juriſdictionem omnium Regni Principum de omni injuria qua ſe Rex læſum diceret, paratos ad votum ſatisfacere, & omnia, ſalva modo vitâ & libertate, libenter paſſuros.* His

porro reſponſum à Cæſare: *Se nec eis nec cuiquam juſtam ſatisfactionem de culpa proponenti veniam negaturum: de tanto autem tamque atroci negocio præcipitanter ſententiam ferre nec velle nec debere, donec Principes Regni in unum convenirent: in quorum communem ignominiam læſæ Regiæ majeſtatis injuria redundaret, & quorum tàm virtute bellum tranſigendum quàm conſilio pax reparanda eſſet.* Eodem tempore ſcripſit ad Archiepiſcopum Moguntinum Magdeburgenſis, adducere ſeſe voluiſſe Principes quos Cæſar credebat ſibi inimicos: *quatenus* (inquit) *Veſtro aliorumque Principum judicio vel in crimine deprehenſi juſto ſupplicio ſubjacerent, vel innocentes inventi Vobis intercedentibus gratiam ejus reciperent.* Item: *Domino noſtro legationem ſicut humiles ſervi ſæpe facimus; ſupplicantes, ut nos in crimine deprehenſos judicio Principum palam damnaret, vel ſine crimine repertos gratia ſua ſecuritate donaret.* Addit Lambertus: in Comitiis regni conſenſiſſe in hoc omnes regni Principes, de uſurpato in republ. hoc novo & multis retrò ſeculis inaudito facinore non aliter Regi vel reipubl. poſſe ſatis fieri, quam ut ſe abſque ulla exceptione dedant. Huic vero Senatusconſulto Saxones obtemperaſſe. Contigerunt autem hæc ſeculo undecimo. Duodecimo ſequente ſeculo ab Henrico V Cæſare proſcriptus eſt Dux Lotharingiæ: factum autem in frequenti *Principum conventu*, *judicio Optimatum & Conſilii decreto*, ut loquitur Vrſpergenſis. Conrado III Rege proſcriptus eſt & Henricus Superbus, verùm *infrequenti ſenatu, & ſententia edicttoque Principum*, ut ait Aventinus l. 6. Henrici Leonis cauſam quoque non niſi in Comitiis Regni agitatam à Friderico I Cæſare, nec niſi de communi Principum ſententia illum eſſe proſcriptum, locupletiſſimè teſtantur omnes ejus rei hiſtoriæ. Idem Henricus ſupplex cur à Cæſare non potuerit

tuerit in integrum reſtitui, cauſam diſerte hanc adducit Arnoldus Lubecenſis *l. 2. c. 29*: *Non abſque conſenſu Principum Imperator reſtituere illum poterat, quem omnium conſenſu ditionibus ſuis privârat,* Non multò ante ejuſdem Henrici Leonis controverſiam cum vitrico Henrico Bavaro, de Ducatu Bavariæ, Fridericus Cæſar decidit non niſi in Comitiis Regni & ex decreto Principum: ut narrat Otto Friſingenſis *de geſtis Friderici l. 2. cap. 10* & poſt hunc ab aliis omnibus traditur. Tertio decimo ſeculo ab Ottone IV Cæſare proſcriptus eſt Otto Withelsbachius cum aliis complicibus; verùm & *hoc ad voluntatem omnium* & in Comitiis regni factum, ſcribit Arnoldus. Hujus ſucceſſor Fridericus II Cæſar damnavit filium: at non niſi *ex ſententia ſeptuaginta Principum* in Comitiis, teſte Aventino l. 7 Annal. Eodem Cæſare in Italia abſente, Ottonem Bavariæ Ducem majeſtatis læſæ reum Principes Imperii ſtatuerunt, teſte *eod. l. c.* Vbi notandum, quæ hactenus narravimus illa accidiſſe maximè apud nos florentibus Regum rebus. Multo minùs ergò ab eo diſceſſum fractâ Cæſarum auctoritate, poſt longum illud & perniciosum interregnum. Negotium Ottocari Bohemiæ Regis non uni Rudolpho Cæſari ſed ſimùl & *Principum ſenatui permiſſum eſt*, ſcribente Gerhardo de Roo *l. 2. hiſt. Auſtriaca.* Idem Cæſar, Auſtriam aliaſque provincias repetente Bavaro, *Senatu Imperii convocato retulit quid fieri placeret de hiſce provinciis:* ex Senatusconſulto & Conſilii decreto igitur Auſtriam ac Stiriam filiis ſuis, Carnos Liburnos Iſtros Tirolis Principi conceſſit, teſte Aventino *l. 7.* Adolphus Cæſar anno 1296 Noricorum Ducis filios proſcripſit, ſed *in Concilio atq; ex ſententia Principum,* Aventino teſte. Seculo decimo quarto Henricus VII contra Bohemum promulgavit decretum, itidem ex ſen-

tigaturo reſpondit in hæc verba ipſe Cæſar Fridericus III: Wir wollen die Sache mit ſampt unſern und des Reichs Chur-fürſten und andern Fürſten für uns nehmen / und euch zu bey-derſeits mit der Freundſchafft oder mit dem Rechten entſchei-den.

L. Ex hiſce omnibus utique manifeſtò liquet, verum eſſe quod diximus: ſaltem ad Maximiliani tempora controverſias Principum in Parium Principum concilio, coram Rege aut Cæſare vel agitatas vel deciſas vulgò eſſe. Vt vel hac de cauſſa non liceat dubitare, lege publica id ita fuiſſe conſtitutum. Poſſunt tamen illius legis & alia indicia adferri in medium. Ottonis Friſingenſis de Vngarorum Rege *l.* 1. de geſtis Friderici I *c.* 31 hæc verba ſunt: *Quod ſi aliquis ex Comitum ordine Regem velin modico offenderit, vel etiam de hoc quandoq; non juſte infamatus fuerit, quilibet infimæ conditionis lixa à curia miſſus eum licet ſatellitibus ſuis ſtipatum ſolus comprehendit, in vinculis ponit, ad diverſa tormentorum genera trahit. Nulla ſententia à Principe, ſicut apud nos moris eſt, per Pares ſuos expoſcitur, ſed ſola voluntas Principis apud omnes pro ratione habetur.* Ergo Ottone teſte Cæſar tunc ſententiam non tulit de Comitibus & Ducibus, niſi de conſenſu Parium h. e de conſenſu Ducum & Comitum: hi ſoli enim Ducibus & Comitibus ſunt Pares. Et verò hoc obtinuit tum temporis in omnibus negotiis ſaltim feudalibus; qua de re omnino legenda conſtitutio Conradi Imperatoris *l.* 5. *feud. Langobard.* In Friderici II Cæſaris conſtitutione anno 1236 in Comitiis Regni frequentiſſimis lata hæc verba leguntur *c.* 24. Daß der Hoffrichter ſoll die Leute richten die ihm klagen von allen Leuten / ohne Fürſten und andere hohe Leute / wo es gehet an ihrem Leibe/oder an ihr Recht / oder an ihr Erbe oder an ihr Ehre/ daß wollen wir ſelber richten. Eadem verba habentur

in

wonheit durch ſeinen Fürſprecher thun und fürlegen ſolte. Cum Ericus Lavvenburgicus Fridericum Miſnenſem ſuper Electorali dignitate in judicium ad Concilium Baſilienſe trahere niteretur, idem Sigiſmundus Cæſar in hæc verba publicè eſt proteſtatus coràm Imperii Ordinibus anno 1334. *Cum Principatus officium ac jus ſupradicta à nobis ac Imperio noſtro in feudum immediatè deſcendat, ac ſecundùm juris Communis diſpoſitionem, nec non uſum morem ſtilum & conſuetudinem Sacri Romani Imperii, feudalis contentio per Dominum feudi ac Pares curiæ terminanda ſit; liquet, hanc quæſtionem, ſi qua prætendi poterit, ad noſtram & Illuſtrium Archiprincipum noſtrorum Sacri Romani Imperii Electorum pertinere notionem.* Item: *Nos eidem Erico ſemper ultroneos præbuimus juſtitiæ complementum miniſtrare legitime: quod aliter expediri nequit, niſi Parium noſtræ Curiæ arbitrio, reſpectu feudi memorati. Quos utique Pares, legitime requiſiti, prompti ſumus, more Imperialis Majeſtatis intra fines Alemanniæ vocare, ubi de cauſſis & quæſtionibus Principum Alemanniæ ex ſtilo Imperii nos convenit judicare.* Item: *Quam inſuper proteſtationem ſacræ Baſilienſi Synodo intimare curabimus, ac ipſam requirere, quatenus cauſam ipſam à ſe penitus abdicet, & ad forum noſtrum remittat, more ſtilo & conſuetudine Imperii noſtri & Parium Curiæ noſtræ terminandam.* Hujus poſt Albertum ſucceſſor Fridericus III Henrico Bavaro, opinanti ſeſe citatum ad judicium aulicum vulgare, reſpondit anno *1448*: So iſt doch unſer meinung nicht geweſen / und noch unſere meinung nicht / das ſolch Rechte in unſerm Kammergericht / das wir mit den Perſonen/wan Fürſten und umb Sachen die unſer und des Reichs Fürſten Ehre Leib oder Leben nicht betreten / beſetzen / zwiſchen euch ſol oder ſolte außgetragen werden.

pes procul eſſent ab ingenio rabulario, & ipſimet præſentes cauſas ſuas per procuratores proponerent, & judiciis unà cum Cæſare præſiderent. Et verò infinitis penè exemplis demonſtrare eſt, graviſſimas Principum controverſias, uno altero aut tertio conventu judiciali, intra breve temporis ſpatium deciſas eſſe. Cum voluptate & ſummo commodo quis legat in hujus rei accuratam notitiam, ſaltem Henrici Septimi contra Henricum Bohemiæ regem anno 1353, & Caroli Quarti in cauſâ Ruperti Palatini anno 1353 editum decretum. Quorum utrumque extat apud Goldaſtum *p. 2.* Reichſatzung *p. 29. & 42*: Sigiſmundi item ſententiam alteram Conſtantiæ anno 1417, alteram Norimbergæ latam anno 1413, apud auctorem *Informationis in negocio Donavverdenſi.*

LIII. ET HÆC quidem remanſerunt uſque ad Maximilianum. In nonnullis tamen judicia illa à priſcis moribus multùm receſſere. *Primum* enim cùm familiæ integræ aliquot Principum, tùm Principum alii nonnulli, arbitraria ſibi cæperunt judicia conſtituere, non attentâ Regum ſententia: quæ hodieque Austrege / aut gewilkürte Auſtrege nuncupantur. Origo rei in obſcuro eſt. Fortaſſis tamen meritò illam retuleris in longum illud interregnum ſeculi decimitertii & ultimos Friderici II Cæſaris annos. Namque omni illo tempore nulla fuerunt judicia publica, neque potuerunt non intereà controverſiæ inter Principes oriri. Sed & poſt interregnum uſque ad Maximilianum ea fuit Cæſarum imbecillitas, ut Principum multi ab eorum judiciis cauſas ſuſpendere noluerint. Rara quoque ex eo fuerunt Regni Comitia; ſæpè etiam ſatis diu Cæſarea dignitas penes quem eſſet incertum fuit: contendentibus inter ſeſe de illa dignitate haud paucis ante Carolinam Bullam. Ut proinde tam turbulen- II

to reipubl. ſtatu etiam inviti coacti fuerint nonnulli Principes alia ſibi judicia quærere. Certe hiſce temporibus inductæ ſunt & Vrbes multæ in ſimilia judicia conjurare, ut pôſt dicemus. Nequaquam ſane audiendi ſunt, qui ejuſmodi judicia Maximiliano demum auctori adſcribunt. Etſi enim ille novam aliquam formam judiciis illis dederit primus, quæ nunc magis in uſu eſt: diſertè tamen in Conſtitutione Camerali anno 1495 ſcribitur: Welche ſonderlich gewilkürte rechtliche Auſtrege gegen einander haben/ die ſollen ſich laut deroſelben gegen einander gebrauchen.

II. LIV. Adhuc magis ab ætatis Carolinæ moribus in eo receſſum eſt, quod plurimæ Principum controverſiæ & cauſæ ſenſim non tam judiciis illis, quâm armis & bellis fuerint agitatæ: judicatum quoque pauci ſolverint niſi vi & armis reipublicæ coacti. Cœpit autem utrumq; ſtatim ex quo Germanicæ provinciæ fuere Ducibus commiſſæ, cumprimis ex quo Comitatus & Ducatus tantùm non merè hæreditarii ſunt facti. Ex eo enim munimenta & arces in Germania plurimæ à ſingulis Principibus Comitibus & aliis exſtrui cæperunt, & domi aucta eſt ſingulorum potentia, uſque adeo, ut viribus ſuis freti æqua judicia ampliùs vix admitterent. Cumprimis verò id invaluit, poſt labefactatam per Hildebrandum Regiam poteſtatem; multò magis verò ab ætate Friderici II Cæſaris: cum quo Regia auctoritas tantùm non tota concidit. Loquuntur ſanè Hiſtoriæ Germanicæ jam à multis ſeculis penè nihil aliud quàm bella civilia Principum, firmo argumento contemtæ judiciorum auctoritatis.

III LV. Non minùs *Tertiò* illud quoq; novum eſt, quod velut in Reges ac Cæſares noſtros ita & in Principes Seculares, profanorum negociorum cauſâ, juriſdictionem aliquam Papæ ceperint exercere. Senſim id ortum eſt, poſtquam

quam Hildebrando auctore in immenſum auctoritas Papalis excrevit. Ex eo enim in Principes illos non minùs atque in Cæſares excommunicationis fulmen ob cauſas prorſus iniquas, ut & effectus antehac inauditos, translatum eſt. Præterea verò & aliis occultis artibus tractæ ſunt Principum cauſæ ad forum Papale: quarum jam meminit Fridericus II Cæſar in epiſtola ad Proceres & Populum Galliæ, quam ſuis pro patre Gulielmo *Vindiciis contra Bellarminum* inſeruit Ioannes Barclaius *in epilogo*. Recenſens enim illas injurias quibus ſeſe & alios Principes atque Reges credebat Cæſar iniquè affectos, mox addit. *Quodque quæſtione ſive diſſenſione, inter dominos & vaſallos ſeu inter duos nobiles & vicinos invicem contendentes, prout aſſolet, emergente, prædicti ſummi Pontifices, ad petitionem unius partis tantummodo, partes ſuas temporaliter interponunt, volendo ipſos invitos in ſe compromittere, vel aliter ad concordiam coercere: & alligando ſe fidelibus contra dominos, uni de partibus ſupradictis, quod non prius pacem cum aliis faciant, quam alligatos ſibi ponant in pace: recipiendo ſimiliter promiſſionem de non faciendo pacem cum dominis à vaſallis. Item in eo, quod prædicti ſummi Pontifices, in præjudicium juriſdictionis & honoris Regum & Principum prædictorum, ad petitionem Clericorum, ſeu Laicorum, cognitionem cauſarum de rebus temporalibus, poſſesſionibus, feudalibus ſeu burgenſaticis, in Eccleſiaſtico foro tractandas recipiunt & committunt.* Hæc Cæſar. Duraſſe vero illas artes illamve iniquitatem etiam ad Maximiliani Cæſaris ævum, adeoque per multa ſecula, manifeſtum fit ex Gravaminibus Secularium Principum Carolo V Cæſare in Comitiis Noribergenſibus Adriano Papæ tranſmiſſis. Nonnunquam tamen ejuſmodi quid factum eſt ipſorummet quoq; Principum culpa, verentium nempe ne in Cæſareo judicio cauſa

pales conatus, non facile quidem illi deſierunt, (ſicut pertinax eſt Curiæ illius improbitas) hodiè tamen fortaſſis illos conſtat ferè è medio ſublatos eſſe. Quæ reipublicæ felicitas Poteſtantibus unicè, vel certe potiſſimum, ferenda eſt accepta. Nam quod etiam antehac factum diximus, Maximilianus quidem haud temerè permiſit, Principum Laicorum cauſas ad judicium Curiæ Romanæ trahi, quemadmodum liquet etiam ex Reſcripto ad Ordines Imperii anno 1505. Cujus verba ſunt: Wir geben euch zuvernehmen / daß wir den Probſt Dechant und Capittel des Thum-Stiffts zu Trier gebeten haben / die Rechtsfertigung / damit ſie dem Edlen Unſern und des Reichs lieben Getreuen Philips Graven zu Firneburg zu Rom fürgenommen / abzuſtellen / und ſich gebührlichen Rechtens vor uns oder unſer und des heiligen Reichs Cammer-Richtern / als ſeinen ordentlichen Gericht begnügen zu laſſen: Ex querelis tamen aut Gravaminibus, ut vocant, Principum Laicorum Germaniæ, ex Comitiis Norimbergenſibus Curiæ Papali transmiſſorum anno 1522, manifeſtum eſt, quantum auſi fuerint hac in re etiam tunc Pontifices. Omninò merentur legi Gravamina (ceu appellantur) nonum, decimum, undecimum & duodecimum. Nec verò deſiit iſthæc iniquitas, antequam Laici Principes Proteſtantes ut in aliis ita & in hiſce negotiis Papali tyrannidi colla tandem ſubduxerunt. Quorum cum numerus ſit per Germaniam major nec levis potentia, fortaſſis ex eo jam & reliqui Proteſtantium partibus haud adſcripti, vel ab ipſa Papali Curia cœperunt mitiùs haberi atque æquiùs, aut verò ipſimet illi Principes libertati ſuæ aliorum exemplo rectiùs caverunt.

LIIX. Magno etiam Germaniæ bono factum *ſecundò* eſt, ut ſublata Principum illâ χειροδίκη, ab eo uſque tempore controverſiæ legitimis Judiciis paſſim commiſſæ II.

ſint.

ſint. Quamvis enim inveteratum malum, publicâ reipublicæ imbecillitate, atque ſingulorum Ordinum domi conſtituto robore ſubnixum, non ex voto potuerit eradicari, attamen & rectiùs quàm antehac aliquot ſeculis, in Judicia eſt à Principibus conſenſum; & per bonas quoq; leges bellicis illis motibus obviam itum eſt. Cauſam, qua impulſi multi Principum ferociæ priſtinæ nonnihil remiſerunt, fortaſſis haud immeritò dixeris Vrbium Germanicarum vires, ut æmulas Principibus ita ſuppares illa quidem Maximiliani tempeſtate. Non etiam ſemper belligerantibus pro exſpectatione fructus cedebat, quod à nummis minus valerent, & munimenta potisſima in poteſtate eſſent oppidanorum, valdè pro incremento libertatis ſuæ laborantium. Ad hoc non potuit non prudentiores & æquiores quoſque Principum tædium capere tot bellorum civilium, quibus per aliquot centum annos miſerè Germania omnis hîc alibi everſa eſt. Flexi etiam indubiè ad humaniora hæc inſtituta Principum animi haud leviter fuerunt, per Romani atque Canonici Juris peritos, qui à Maximiliani ætate conſiliis Reipublicæ paſſim per Germaniam ſunt admoti: in aulis Principum antea regnantibus penè ſolis illiteratis ac militaris ordinis hominibus. Vt ſolet reſpublica ſeſe habere ad ingenium regentium.

III LIX. *Tertiùm* id quoque plane novo more cœpit, quod ipſimet Principes, aut Cæſar ipſemet, non amplius jam vacent dijudicandis controverſiis ſuis, ut antehac: ſed omnem hanc curam in Romanarum legum peritos, plebeii licet generis, miniſtros ſuos ſoleant reiicere. Cui rei mos patrius ab omni retrò ævo hactenus obſervatus plurimùm adverſatur. Non potuit verò non hoc obtinere, ex quo pro legibus majorum Romanæ atque Pontificiæ in Germania

mania invaluerunt: quod ab ætate uſque Maximiliani quàm maximè cœpit. Neque vero effici temerè poterit, ut Principes ipſi Romanum & Canonicum jus addiſcant: quæ hujꝰ doctrinæ eſt prolixitas,& plerumq; aulicæ educationis indulgentia. Vt taceam ingeniorum quæ nonnunquam eſt ruditatem. Imò & alia ſtudia,ad quæ cum Principes omnino debeant inſtitui præripitur tempus addiſcendo Juri Romano impendendum. Igitur ex quo non potuit in Principibus eſſe Juris peritia, ex eo coacti quoque iidem ſunt judicia etiam maxima aliis committere. Secùs quàm antehac ſolitum; cum leges & conſuetudines patrias nemo paulò intelligentior ignoraret, & pleraque ex æquo & bono componerentur.

LX. Huic rei conſequens eſt *Quarta* mutatio circa diuturnitatem litium. Namque multùm profectò lites illæ Principum ſolito factæ ſunt diuturniores, ex quo per alios, & coram aliis, quàm qui ſunt ſui ordinis, litigare cœperunt. Quod ipſum ex parte accidit quaſi neceſſitate quadam, partim vi novarum legum, partim denique malitia cauſidicorum. Fieri enim non poteſt, ut qui miniſterio funguntur poſſint perinde atque Principes ipſimet finire controverſias: quippe quibus circumſcripta variis modis ſit agendi poteſtas, quæ in Principum litigantium ipſorummet liberrimo fuerat arbitratu. Illud quoque ferè eſt ingenium aulæ, ut qui cupiditati ſubſervit dominantium primo loco ſit, certè ſit acceptior illo qui æqua conſulit & moderata. Hinc quaſi adiguntur interdū miniſtri tamquam vi quadam, ne gratiâ excidant, ut non tam quę ſunt juſta ſuadeant ac velint, quàm illa quæ placent quamvis improbis dominorum affectibus. Atqui æquitatis & moderationis viâ intercluſâ neceſſum eſt juſto longiùs lites protrahi. Porrò unà cum Legibus Romanis, ſimul etiam IV.

ea in foro procedendi ratio, quæ Papali Curiæ laudatur, opinionem accepit in Germania eximiæ prudentiæ pariter & æquitatis: eòq; ut ad alias, ita etiam ad Principum controverſias ceptam illam admoveri, non eſt mirum. Eſt autem illa prolixa admodum, & plurimùm à priſcâ tot ſeculis receptâ ſimplicitate diverſa. Iam verò conſtat quoque cùm aliunde tùm ex querelis Ordinum Imperii publicis, jam tum ſeculo quintodecimo effuſis, eo tempore quo leges Romanæ ceperunt pedem in Germaniam inferre, artis rabulariæ quoque ſparſam in mores noſtros ſementem, uberrimâ fruge brevi divitem, ut ne caveri quidem potuerit quin & in Principum lites frequenter diſpergerent ſeſe peſſimæ radicis ſurculi. Enimvero nonnunquam à ſola illâ arte, ut vulgi alias, ita & Principum controverſias maximas penè in infinitum protractas eſſe, nemo Germanicarum rerum peritior negaverit.

V LXI. *Quinta* mutatio contigit circa arbitraria judicia, quæ à nonnullis Principum fuiſſe conſtituta ſuprà diximus. Eſt autem illa non uniuſmodi. Quum enim antehac non niſi apud paucos fortaſſis illa obtinuiſſent, nec tam auctoritate reipublicæ quam ex Principum quorundam privato inſtituto; quando Maximiliano Cæſare nova judiciorum ratio inſtituebatur, & Principes quidem judicabant ſuâ intereſſe ne arbitraria judicia perirent, Cæſar verò reſtitutam nonnihil vellet ſuam quam in ſummis illis cauſis dijudicandis obtinuerat quondam auctoritatem, placuit, ut omnes Principum cauſæ, ſiquidem reus ita velit, coràm arbitrariis judicibus à Cæſare in id confirmatis agerentur: datâ tamen veniâ appellandi à ſententiâ ad ſummum Iudicium quod appellant Camerale. Itaque & leges multæ ſunt conſcriptæ de judiciis illis arbitrariis, quæ ſemigermanica voce vulgò Auſtregæ nuncupantur. Neque

enim

enim Principes primarii & illi quos Comites aut Barones dicimus, eandem uſurpant rationem Auſtregarum. Imò alia illa eſt atque alia, prout actor eſt aut ſummi aut medii aut infimi ordinis aliquis. Qua de re legenda *Ordinatio Cameræ parte 2. tit. 2. & ſeqq.* ne alia nunc laudem in teſtimonium Comitiorum decreta.

LXII. Quamvis autem hoc modo poſſint videri Principes more antiquo experiri coram ſui ordinis judicibus, reapſe tamen nihil tale fit; idque quandoquidem illi qui arbitrarii judices ſunt lecti ſolent delegare judicium ſuis miniſtris. Porrò etſi initiò omnes omnino Principum cauſæ ad Auſtregas ſint delatæ, poſtea tamen placuit coram hoc judicio non experiri circa omnes controverſias, ſed pleraque negotia ſtatim ad Cameram referre. Enumerantur illæ parte ſecundâ Ordinationis Cameralis hoc ordine: Cauſæ fractæ pacis, cauſæ fiſcales, cauſæ de conſtitutione religioſa, litigioſæ poſſeſſionis, pignorationum, mandatorum ſine clauſula, relaxationis ad effectum agendi, legis diffamari, denegatæ vel protractæ juſtitiæ, appellationum denique omnes cauſæ hactenus coràm Auſtregis non agitari ſolitæ. Quo ipſo liquet, Auſtregis pauca negotia relicta eſſe. Notandum præterea, definitum eſſe legibus, ut judicium Auſtregæ intra ſemeſtre aut annale tempus finiatur; quo ſpacio (ut nunc ſunt mores) lites paulò majoris momenti non poſſunt, certè non ſolent, expediri. Itaque etiam hoc modo fit, ut judicium illud exiguum uſum habeat. Accedit ulterius, magnis ſumptibus judicium illud conſtare ob munera in miniſtros judicantium Principum ex more conferenda. Vt adeò in univerſum expendens Auſtregarum judicium vix poſſis aliter judicare, quam vel nihil vel admodum parum illud reipubl. hodiè prodeſſe. Et verò falſum eſt quod nonnulli ajunt, inſti-

ſtitutum hoc Iudicium, quo etiam Principes habeant in ſuis negotiis multas inſtantias forenſes, quoniam pleraq; negotia etiam lege publicâ illi judicio ſunt ſubducta.

VI LXIII. Hinc *Sextò* etiam hoc jam eſt novo more introductum, ut, tametſi Principes in prima inſtantia coram Auſtregis experiantur, ferè nunquam ibi componantur controverſiæ, ſed cum aliàs, tùm per appellationem ad Cameram Spirenſem aut etiam ad Iudicium Aulicum Cæſaris trahantur. Quod ſanè multum abit à priſtinis moribus. Neque enim legas temerè, controverſiam aliquam Principum ab arbitrariis judiciis illis translatam olim fuiſſe ad judicium Cæſareum. Multò minùs legas, talem quamdã controverſiam agitatam coram illo Cæſaris judicio quod Aſſeſſores habet, qui non tantum ſunt Principes Germanici, ſed ſæpè tantùm plebeii generis, imò ne quidem Principum auctoritate conſtituti, quales tamen ſunt Aſſeſſores quidã Cameræ Spirenſis. Obſervandum præterea eſt; quod legibus publicis & conſenſu omnium Ordinum ſit quidem conſtitutum, illud de Principum cauſis vel ſtatim in prima inſtantia vel per provocationem ad Iudicium Camerale deferendis; ſed de iiſdem Aulico Cæſaris tribunali committendis, nunquam quicquam in Comitiis lege eſſe decretum. Vt itaque hoc poſterius niti tantum conſuetudine quadam, poſſit videri. Et ſanè multùm hac de re tanquam minùs legibus conſentaneâ, conqueſti ſunt cùm alii, tùm omnes illi qui in fœdus Correſpondentiæ, quod appellarunt, fuere Vniti.

VII LXIV. Nova quoque *Septimò* eſt illa, quam leges definiunt latas ſententias exequendi ratio, ſi partes nolint iis ultrò obtemperare. Actum de eâ primò omnium eſt in Colonienſibus Comitiis anno ſuperioris ſeculi duodecimo, & pòſt in ſequentibus multis. Viſum verò eſt expedire, ſi, in

ſi, in decem Circulos diſtributa Germaniâ, cuilibet exequendi illa auctoritas deferatur. Huc faciunt Comitiorum Colonienſium anno 1512 habitorum paragraphus: Und ob jemand: Wormatienſium anni 21. §. Ob aber zu friſcher That Anni 22 So zu friſcher That. &c. Hinc in ſingulis Circulis leges poſtea latæ ſunt de modo executionum; quæ num perinde omnes reipublicæ expediant haud abs re fortaſſis quis dubitet. Cæterùm neque adferre huc licet illas, neque heic ſub examen vocare, ob multitudinem & varietatem. Quamvis verò hæc ita ſint definita, attamen legibus illis ſeſe non teneri Cæſarum nonnulli ſunt profeſſi. Igitur jam anno 1607 Rudolphus Cæſar reſcribi fecit: Daß ihre Mayeſtät weder an des Reichs Executions-Ordnung oder Krais-Verfaſſung / noch ſonſten dahin gebunden ſeyn / daß zu Exequirung der Kayſerl. Urtheil ſonſten kein Mittel vorgenommen werden möge / dann allein mit des jenigen Kreiß-Obriſten zuthun / darunter die condemnirte geſeſſen / ſondern ſie hätten zu Erhaltung Rechtens auch wol auff andere weiß in allweg zu ſchlieſſen. Idem Cæſar proſcriptionem Donavverdenſis urbis non per Suevici Circuli Ordines, ſed per Bavariæ Ducem executioni mandavit. Ex adverſo tamen, hoc tanquam injurioſum reipublicæ & iniquum multi Principum proclamaverunt. An verò hæc res ſit hactenus compoſita ſatis, dubito. Vt proinde in tam magni momenti negotio videatur reſpublica etiamnunc fluctuare.

LXV. Præ aliis deniq; maximi ponderis eſt mutatio *Octava*: quod nempe Cæſares à centum jam annis cæperint de Principum feudalibus bonis maximis, imo vitâ & omni fortunâ interdũ decernere, non tantùm non audita aliorum Principum ut Parium Curiæ ſententiâ, ſed ne quidem in judicio aliquo per Principum delegatos conſtituto. Sic Ca- VIII

rolus V Joannem Fridericum Saxonem & Philippum Landgravium proſcripſit, illum captum etiam capitis damnavit. Idem anno 1543 ſolus decidit litem inter Landgravium & Naſſaviæ Comitem de Cattorum quadã ditione: quæ ſententia tamen pòſt eſt reſciſſa. Vtque exempla ſimilia non extent, Cæſare Ferdinando I & Maximiliano II, Rudolphus tamen in turbis Argentoratenſibus anno 1602 intentavit proſcriptionis fulmen Chriſtiano Holſatiæ Duci Argentoratenſis Epiſcopatus Vicedecano: inq; cauſa Juliacenſi aliis Principibus potiſſimi ordinis idem eſt minitatus; cauſam illam, quæ vertebatur circa Ducatus hoſce & multos Comitatus, ad ſui unius judicium trahens. Neque verò non etiam à Principibus quibusdam eſt hoc probatum. Etſi enim Vniti, qui appellabantur, ad priſcam conſuetudinem provocarent, agnovit tamen hoc ſolitarium ſummum Cæſaris judicium Chriſtianus II Elector: agnoverunt qui Pragæ aderant anno 1610 Principes Germanici magnæ auctoritatis, niſi quod conſultum crederent, ut Cæſar removendæ duntaxat invidiæ ergò etiam Principes aliquot in conſilium vocaret. Neq; Cæſar admiſit Principes judicii Pares niſi hac additâ expreſſâ cautelâ: Daß ſich ſonſten auff dieſem ſolchen Fall niemand zuberuffen/oder ſolches in *conſequentiam* zu ziehen habe. Porrò etiam anno 1613 in ipſis Comitiis Ratisbonenſibus rejecta fuit Haſſi Caſſelenſis adverſus Haſſum Darmſtadenſem petitio de Principibus judicio aſſeſſoribus dandis in controverſia de Marpurgenſi ditione, litis conteſtatione partibus injuncta coràm uno Cæſare: ut & ſolus Cæſar Ferdinandus II tulit ſententiam 1623 Kalendis Aprilis. Jam ante illum in negotio de Grubenhagenſi ditione ſolus Matthias pronunciaverat; & ipſe Ferdinandus anno 1622 tulerat ſententiam in cauſa heredum Edovvardi Fortunati contra Georgium

Fride-

Fridericum Marchionem Badenſem, rejecta appellatione quam is à Cæſare malè informato ad eundem melius informandum & ad Imperii Ordines oppoſuerat. Ab eodem porrò felicis memoriæ Cæſare Ferdinando ſolo multos Principes proſcriptos & omnibus fortunis ſuis exutos eſſe, aliis viciſſim in gratiam itidem ſolo ipſius nutu receptis, notum in vulgus eſt. Nec tamen ab Ordinibus Imperii querelas temerè audias fuſas eſſe violatæ hoc ipſo ſuæ libertatis. Vt proindè judicia illa jam quidem ſint tantum non παμβασιλικὰ, quæ antè Ariſtocraticum regimen ſapiebant. Quo Ariſtocratico modo etiamnum ſeſe habēt judicia de capite & omnibus fortunis Nobilium Ordinum in Dania ac Polonia, ut quæ ad ſola Comitia pertineant: ſicut ad Principum cauſas judicandas in Anglia etiam, imò & in Gallia, Pares Curiæ adhuc adhibentur. Publicâ Ordinum omnium lege mutatum eſſe priſtinum morem neſcio an liceat affirmare. Nam quod *parte 2 Ordinat. Cameral. tit.* 7. ſcribitur, Cæſari reſervatum judicium lite orta de Principatibus, id poſſit accipi ex uſu veteris formulæ: Eodem enim modo loquuti jam olim ſunt Cæſares, nec tamen umquam excluſi fuere à judiciis illis Pares curię h.e. Principes ipſi. Quaſi nempe nihil aliud ſignificetur, quàm ad judicium Aulicum aut Camerale, conſtitutum ex perſonis infra dignitatem Principum poſitis, non pertinere lites de Principatibus, ſed ad Cæſarem ac Curiæ Pares. Quemadmodum illa verba jam interpretati ſumus th. 50 Sanè alias cauſas introducti novi illius moris reddere, fortaſſis haud fuerit in difficili.

LXVI. Verùm de judiciis Principum ſecularium ſatis. Judicia attinentia EPISCOPORVM ac Metropolitanorum cauſas perſonales, plurimùm quoque à Carolinis inſtitutis diſceſſerunt. Scilicet prætextu Sardicenſis Canonis cauſas III.

tan-

ejuſmodi tantum non omnes ſingulari artificio ad ſeſe traxerunt Romani Papæ, ſummâ cum injuriâ & totius Eccleſiæ pariter & ſingulatim Metropolitanorum : utpotè qui tandem ferè ab omnibus hujusmodi Iudiciis fuerint ſeclusi : non ſine Epiſcoporum etiam aliorumque litigantium maximo incommodo, quod procul extra provinciam, & quidem Romæ, coacti ſint litigare ſumptibus maximis, in foro cùm calumniis perquàm obnoxio, tum ferè ad quævis vendibili. Neque verò non tantùm nullam quamvis iniquiſſimam appellationem rejecerunt Papæ, ſed & citra appellationem, & præter Epiſcoporum ipſorummet voluntatem, ſui judicii fecere cauſas Epiſcopales, eaſque novo exemplo Romam pertraxerunt. Cœperunt autem hæc quaſi per gradus. Namque in Synodis etiam auctoritate Regia deciſas cauſas unà cum partibus Romam evocavit jam Nicolaus Primus, Hildebrandinæ ille tyrannidis quaſi metator. Cum Romam veniſſent quàm iniquo ſint judicio circumventi Guntherus & Theodogutho Epiſcopi Belgici, liquet ex comeorum querela quam poſt Aventinum & Flacium etiam Baronius ex Annalibus Franciciis Pithœanis refert. Obſervatu tamen dignum eſt : illorum cauſam Romæ quidem fuiſſe agitatam, non tamen niſi coactâ Synodo : ſecùs quam opus eſſe poſtea Dictavit Hildebrandus. Nicolai ſucceſſor Hadrianus ſecundus Hincmari Laudunenſis cauſam, evocato actore & reo, Romæ itidem voluit definire ; verùm Carolo Calvo Regi & Belgii Epiſcopis etjam hoc inſolens tùnc eſt viſum idq; meritò Quoniam ſcilicet hactenus obtinuerat, more Sardicenſibus quoq; patribus probato, ut cauſa quadamper appellationem ad Papam fortè devolutâ, illa nonniſi in provincia, in qua erat nata, per Epiſcopos & Papales Vicarios decideretur. Inter Hildebrandi porrò Dictatus eſt : *Quod majores cauſæ cujuſcunque*

Eccleſ

Eccleſiæ ad illum referri debeant. Eſt autem illud ſequenti tempeſtate ſtrenuè obſervatum. Atque ita penè omnes illæ de quibus agimus Epiſcoporum cauſæ, Metropolitanorum & Provincialium Synodorum judiciis ſubductæ ſunt. In iisdem eſt Dictatibus: *Quod Papa ſolus poſſit Epiſcopos deponere & reconciliare.* Quo itidem omnibus Synodalibus & Regiis Epiſcoporum damnationibus detrahitur. Quod ipſum adhuc magis fit apertè in Dictatu illo: *Quod abſq; Synodali conventu poſſit Papa Epiſcopos deponere & reconciliare.* Sed hac de re paulò pòſt clarius.

LXVII. Præterea, ut alii Clerici ita Epiſcopi atque Archiepiſcopi ſubducti juriſdictioni reipublicæ, in unius fermè Papæ imperium conceſſerunt. Princeps omnem Regiam poteſtatem à ſuis cervicibus removit Hildebrandus aut Gregorius ſeptimus Papa, & quidem ita ut pariter reliquum clerum, contra morem antiquum, ſubtraheret Laicorum imperio, quo ſibi tamen eos ſubjiceret. *Huic enim* (verba ſunt Onuphrii Panvinii) *cum omnes Latinæ Eccleſiæ tum præcipuè Romana acceptum referre debet, quod libera ſit, & ab Imperatorum manu eruta.* Ex eo ſanè auditæ demum illæ voces ſunt: Clericos omni juriſdictioni Laicorum eſſe exemptos, & quidem jure divino. Quod uſq; adeò arriſit ſequioris ævi hominibus cõpluribus, ut ex eo tempore pauciſſimi libertatem Clericorum tulerint acceptam Principum benignitati. Ita quoque apertè in Canones Eccleſiaſticos translatum eſt, ut Bellarminus, qui humano juri primùm adſcripſerat illam libertatem, pòſt mutatâ ſententiâ auctoritate illorum Canonum commotus conceſſerit in partes adverſas, uti videre eſt *l. de Clericis edit. Venetæ* 1599 & in iis quæ adverſus Joannem Marſilium Paulum Serviram alioſque Venetos Theologos diſputavit. Paucis pòſt Hildebrandum annis in Concilio Urbanus Papa (teſte Florentio Wigorniense *in Chronico anno 1121*)

 cos

eos anathemate percutiens, qui pro impetrandis Eccleſiaſticis honoribus Laicorum fiunt homines aut vaſalli, dixit: *Nimis execrabile videri, ut manus quæ in tantam eminentiam excreverunt, ut (quod nulli angelorum conceſſum) Deum cuncta creantem ſuo ſignaculo creent, & eundem ipſum pro redemptione & ſalute totius mundi ſummi Dei Patris obtutui offerant, in hanc ignominiam detrudantur, ut ancillæ fiant earum manuum, quæ die ac nocte obſcænis contactibus inquinantur, ſive rapina ac injuſta ſanguinum effuſioni addicta commaculantur.* Quæ verba ſunt profectò in Reges ac Principes ſummè injurioſa; ſimul verò oſtendunt, quàm putidis argumentis imperium Principum Papæ & Epiſcopi tunc detrectaverint.

LXIIX. Quamvis verò ea ſit Papæ mens & multorum aliorum, non ſtatim tamen ab Hildebrando idipſum reipublicæ eſt perſuaſum. Narrat enim Otto Friſingenſis *l. 1. de reb. Friderici c. 62*, diffidentibus Trajectinis de Epiſcopi electione, Regem Conradum, ex Friſingenſis & Miſnenſis Epiſcoporum ſententia, rem omnem judicandam ſuſcepiſſe, parte autem alterâ provocante à Cæſare ad Papam, illam majeſtatis læſæ damnatam; imò Trajectenſes hac de cauſa grandi pecuniâ eſſe mulctatos, tradit idem Otto *l. 2. c. 4.* Ejuſdem de Friderico I hæc verba ſunt l. 2. c. 9. *Rex in proximo Paſcha, Babenberg coronam geſtans, duos Cardinales, videlicet Bernardum Presbyterum, & Gregorium Diaconum, ad depoſitionem quorundam Epiſcoporum ab Apoſtolica Sede deſtinatos, ſecum habuit. Proximam dehinc Pentecoſten Vormatiæ ferians, Henricum Moguntinæ Sedis Archiepiſcopum, virum pro diſtractione Eccleſiæ ſuæ frequenter correptum nec correctum, per eoſdem Cardinales depoſuit, ac Arnaldum Cancellarium ſuum, per quorundam ex clero & populo, qui illuc venerant, electionem ei*

Burchar-

ſubrogavit. Iidem etiam Cardinales permiſſu Principis Burchardum Eiſtetenſem ſenio gravem, de inutilitate cauſantes, itidem ſubmovère. Dumque poſt hæc in Magdeburgenſem & quoſdam alios ſententiam ferre cogitarent, à Principe inhibiti & ad propria redire juſſi ſunt. Hæc Otto. Idem porrò Fridericus Cardinalem alium Româ miſſum Magdeburgenſis negotii cauſâ, repulit, ut legitur *c. 10.* Quin & Vlricum Halberſtadenſem Epiſcopum, quod tributum ſibi in Italiam exercitum ducenti non perſolviſſet. Hartvvicum quoque Bremenſem, qui juſſus Cæſarem in Italiam ſubſequi id neglexerat, majeſtatis damnavit in conventu Procerum, prædiis eorum in fiſcum Imperialem relatis, teſte Ottone *cap.* 12. Contentionem quoque Cleri Colonienſis auditis partibus finivit, ut idem Otto narrat *c. 31. & 32.* Ex hiſce ſanè manifeſtum eſt, non ex ſententia Dictatuum Hildebrandinorum Cæſares ſtatim omne de Epiſcopis judicium Papæ permiſiſſe; ſed quemadmodum eorum inſtitutionem, ita & depoſitionem Cæſarii ex parte juris exiſtimaſſe. Adeoque ut Metropolitanorum Synodalia judicia quidem non habuerint amplius locum, non in unius tamen Papæ juriſdictionem Epiſcopi tum quidem tranſierant. Veruntamen videtur non multò pòſt etiam hac parte prævaluiſſe tyrannidem Papalem; præſertim poſteaquàm Fridericus II Cæſar, adoleſcens adhuc & conſtitutus ſub tutela Honorii Papæ, inductus à tutore, conſtitutionem, *de libertate clericorum* promulgavit, ſimulque in Germaniam Jus Decretale Pontificium malum pedem intulit. Etſi enim multa ex voto non ſucceſſerint Clero per Germaniam, & Fridericus ipſemet jam adultior licentiam clero conceſſam rurſùm circumciderit (quo nomine inter alia anathemate Cæſarem ferire non dubitaverunt Papæ) non tamen poſt Fridericum illum ſecundum quiſquam Epiſcoporum à

Cæſare & Ordinibus dignitate motus fortaſſis eſt, cum ex adverſo ſatis multi id paſſi ſint tantùm vi ſententiæ Papalis. Vix legas, ex eo tempore quenquam Epiſcoporum, ſecularis cauſæ ergò, ante Maximilianum in Germaniæ judiciis conventum eſſe; tantum abeſt ut id factum ſit ſacri delicti nomine: cum tamen olim Carolus Magnus ipſemet Felicis & Elipandi cauſam fecerit in præſentiâ ſuâ Francofurti per Synodum definiri.

LXIX. Poſt Maximilianum avum Carolus Quintus priſca reipublicæ jura feliciùs cœpit vindicare. Namq; & de cauſis ipſam religionem attinentibus multa pro re natâ conſtituit, ægrè licet ferentibus Papis, imò Cæſarem graviter objurgantibus; cujuſmodi increpatoria epiſtola Pauli III in medio verſatur. Cum etiam Joannes Epiſcopus Hildesheimenſis, contra leges pacis publicæ, impetum feciſſet in Brunſuicenſes Duces, proſcriptus eſt à Cæſare anno 1521 ex decreto Ordinum Imperii, & Brunſuicenſibus Ducibus bona Epiſcopo erepta in feudum ſunt conceſſa. Cum porrò Papæ judicio cauſam hanc ſubmiſiſſet Epiſcopus, & Romæ ſpolii damnati eſſent Duces anno 1540 per Paulum III, ſententiam illam tamen Papalem minimè admiſit Cæſar, licet aliquoties ab ipſomet Papa rogatus, ſed tandem Cameræ Spirenſi anno 1548 rem omnem ex ſententia Ordinum remiſit. Per Atrebatenſem quid Epiſcopo Hildesheimenſi, reſtitutionem ex auctoritate Papalis ſententiæ petenti, anno 1547 reſponderi juſſerit, memoratu dignum eſt teſtem ipſum Epiſcopum audire: *Quod Sacra Cæſarea Majeſtas, poſteaquam ex relatione ipſius, & aliorum dominorum Doctorum, Conſiliariorum ſuæ Majeſtatis, unanimi voto & ſententia, cognoviſſet & intellexiſſet, quod Papalis ſententia reſtitutoria mea maximè in hoc fundata eſſet, quod Bannum Imperiale Camerale contra Ioannem Epiſcopum Hildenſemenſem prædeceſſorem,*

ceſſorem meum per Majeſtatem ſuam latum, invalidum eſſe cognovisſet, vigore tamen cujus, auctoritate ſua Majeſtatis, Duces Brunſuicenſes prædicti bona Eccleſiæ Hildenſemenſis invaſiſſent & illa occupaſſent; quod non ſpectaret neq; pertineret ad ſummum Pontificem Paulum & Sedem Apoſtolicam ſuper validitate & invaliditate banni ſui Imperialis diſputare, neque de illo cognoſcere haberet. Et idcirco ex defectu jurisdictionis ſententia reſtitutoria Papalis, etiam Conſiſtorialis prædicta, nihili & nullius momenti eſſet, Majeſtas ſua illum non ad unum pilum æſtimaret, neque pluris uno pilo haberet ac faceret. Eadem verba ſæpiùs leguntur repetita in Publico Inſtrumento, uti vocant, Epiſcopi rogatu à tabellione tunc conſcripto. Idem porrò Carolus Cæſar Hermannum Archiepiſcopum Colonienſem anno 1545, novantem nonnulla circa religionem receptam, citavit ad dicendam coràm ſeſe cauſam, interim ne quid moveat jubens utque id quod erat motum in priſtinum reſtitueret: poſtea non exſpectatâ Papæ ſententiâ eundem loco etiam movit, etſi tamen Papæ quoque conſenſus tandem acceſſerit. Vnde manifeſtum eſt, Carolum exiſtimaſſe, etiam in merè Eccleſiaſticis negociis ſuo Imperio Epiſcopos ſubjectos eſſe. Notum præterea eſt, injectas eſſe manus à Ferdinando II Cæſare cùm in Cardinalem Cleſelium Vindabonenſem Epiſcopum tum in Archiepiſcopum Trevirenſem: quale facinus anathemate ſolet ferire Curiæ Papalis Bulla Cœnæ dominicæ. Verum enimverò haud facilè tamen dixeris, eandem eſſe hodienum ſententiam etiam illis Proceribus Germaniæ qui Romanam religionem tuentur: quod clerici nempè noſtri non ſint exemti amplius in perſonalibus cauſis à foro Cæſaris & reipublicæ. Enimvero ejus partis Theologi pariter & Iuris Canonici Doctores ab ipſo jure divino libertatem iſtam atque exemtionem vulgò derivant, idque propalam & ore & ſcriptis

 defen-

defendunt. Qui aliud verò ſentiant illi qui ſunt ex horum ludis profecti? Ad hoc non dubitavit Camera Spirenſis anno 1629 ſententiam olim à Carolo V in Epiſcopum Hildesheimenſem latam (quantũ videtur) iſthoc unonem ne reſcindere, quod Cæſar Epiſcopum non potuerit proſcribere, eòque pronunciavit pro ſententia Papali. Quo utique ſit manifeſtum, etiam ex illius maximi tribunalis mente Cæſari non competere in Epiſcopos juriſdictionem. Cæterùm prorſus alia, & planè vetera illa, de reipublicæ auctoritate etiam in Clerum placent, imò mordicùs propugnantur, ab Ordinibus Proteſtantium partis. Vt proinde in tanti momenti negotio videatur reſpublica quaſi in ancipiti hactenùs collocata.

LXX. Notum præterea eſt, Seculo tertio decimo præcipuè invectam eſſe auctoritate Pontificiâ, unà cum Decretis novis Papalibus, in Eccleſiam Chriſtianam impeditam illam & perplexam procedendi in foro rationem, quæ pòſt fermè, ubicunque & Romanum Jus receptum eſt, in omnia etiam ſecularia fora ſeſe penetravit. Non eſt inſtituti noſtri inquitatem illius ex merito deſcribere: præſertim quum nemini non liqueat, illam omnibus actoribus maximè adverſam, reis nimium plerumque favere, cum tamen judicia debeant ex æquo utriq; parti eſſe utilia; tum facile etiam ſit obſervatu, ne quidem in reorum gratiam inſtitutum eſſe illum Proceſſum, utut iſthâc ſpecie ſoleat commendari, ſed forte quo Judiciis ex multitudine & diuturnitate litium creſcat auctoritas pariter & inſigne lucrum, adeoque vel maximè ita omnia conſtituta eſſe, ut Curia Romana omne genus litium ad ſe trahere & homines auro poſſet emungere. Cujusmodicunque verò illa ſit procedendi ratio, jam à Seculô tertiodecimo in fora & negotia Epiſcopalia certè inſinuavit ſeſe. Quod ipſum quanto Germaniæ malo factum ſit, ſatis eſt ex unico Con-

rad

radi Vrſpergenſis teſtimonio perdiſcere, qui ipſo alio tempore vixit. Cum enim narraſſet, Ottonem Quartum electum eſſe Regem adverſus Philippum, in hæc verba prorumpit: *Facta eſt hæc abuſio, ut fieret quaſi portentum multarum abuſionum, quæ ſubſecutæ ſunt in terris. Vix enim remanſit aliquis Epiſcopatus, ſive dignitas Eccleſiaſtica, vel etiam Parochialis Eccleſia, quæ non fieret litigioſa, ut Romam deduceretur ipſa cauſa, ſed non manu vacuâ. Gaude mater noſtra Roma, quoniam aperiuntur catarrhactæ theſaurorum in terra, ut ad te confluant rivi & aggeres nummorum in magna copia. Lætare ſuper iniquitate filiorum hominum, quoniam in recompenſationem tantorum malorum datur tibi precium. Jocundare ſuper adjutrice tua diſcordia, quia erupit de puteo infernalis abyſſi, ut accumulentur tibi multa pecuniarum præmia. Habes quod ſemper ſitiſti. Decanta canticum, quia per malitiam hominum, non per tuam religionem, orbem viciſti. Ad te trahit homines, non ipſorum devotio, aut pura conſcientia, ſed ſcelerum multiplicium perpetratio, & litium deciſio precio comparata.*

LXXI. Anteaquam ab Epiſcopis abeamus, nonnihil etiam de JUDICIIS EPISCOPALIUM BONORUM adjiciendum eſt. Illa olim non niſi ad Laicorum Advocatorum & porrò Regium forum pertinuiſſe, ex iis quæ *n.* 35 attulimus eſt maniſeſtum. Etiam proximis ſeculis ſubducta eſſe bona illa judiciis ordinariis Principum & Comitum, liquidò patet, cum aliundè tum ex tabulis privilegiorum Regiorum Epiſcopis conceſſorum; quales ab Ottonibus, Henricis, aliiſque Cæſaribus editæ, etiamnum ſuperſunt ſatis multæ. Attamen etiam ſic omnia bona manſerunt in Advocatorum curâ, utut longè ampliſſima illa fuerint, paucis exceptis, & quidem uſque ad Fridericum ſecundum. Paucis inquam exceptis. Videtur enim jam tum Ottonum ætate Ducum dignitas & potentia

non-

nonnullis Epiſcopis, Moguntino ſcilicet Colonienſi & Virzeburgenſi conceſſa, adeoque plena bonorum adminiſtratio, imò ſecularis (uti vocant) in populum ſubditum jurisdictio: Reliquis tamen Epiſcopis fortè omnibus ſuperſunt manſerunt Advocati. Et quidem dare illos Regii juris fuit: more jam Carolinâ ætate recepto, ut liquet ex *capit. 13. lib. V. & cap. 303. lib. VII. apud Anſegiſum.* Quamvis enim Urbanus III anno 1186, teſte Baronio, gnaviter laboraverit in id, uti liceret ipſiſmet Epiſcopis Advocatos adſciſcere, jus tamen Regium ſuperavit uſque ad Fridericum ſecundum. Atque hic quidem poſſit videri omninò jure illo ceſſiſſe ſtatim Imperii initio, verbis iſtis Bullæ ſuæ quam habet Goldaſtus Statutor. Imperial. fol. 73. & 74: *Omnia nos ſpiritualia vobis & aliarum Eccleſiarum Prælatis relinquimus liberè diſponenda, ut quæ ſunt Cæſaris Cæſari, quæ Dei Deo rectâ diſtributione reddantur.* Fortè tamen verba illa alio ſunt ſenſu accipienda. Sed poſt Fridericum illum certius eſt, id juris Epiſcopos tantùm non omnes paulatim impetraſſe. Facit huc Wilhelmi Cæſaris privilegium Mindenſi Epiſcopo conceſſum, quod legitur in Chronico Mindenſi à Piſtorio edito: *VVilhelmus Dei gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus, &c. Cum venerabilis Vir VVedekindus, Eccleſiæ Mindenſis Præpoſitus, dilectus conſanguineus & Capellanus noſter &c. in Epiſcopum & paſtorem unanimiter electus, ne bona ejusdem Eccleſiæ, quam in noſtram & Imperii protectionem recipimus ſpecialem, hoſtili lacerentur incurſu & improborum inſultibus diſſipentur, Regalia & adminiſtrationem bonorum temporalium ipſius Eccleſiæ ſibi concedimus, de benignitate Regiæ Majeſtatis, ut de cætero, tanquam Princeps Imperii, bona ipſius Eccleſiæ adminiſtret, ordinet, diſpenſet, prout meliùs adutilitatem Eccleſiæ videtur expedire, &c. Datum Brunſuig VI Idus*

Idib. Septembr. anno Domini 1253. Ex eo ſanè plerique Epiſcopi excuſſis ſuis Advocatis ipſi cœperunt ſecularia quoque judicia & adminiſtrationem bonorum ſuorum exercere. Quod ipſum quantum malorum & Eccleſiæ & Reipublicæ Germanicæ attulerit, non eſt hujus loci exponere.

LXXII. Pleraque porrò bona Epiſcoporum oneribus publicis, haut ſecus atque alia laicorum, fuiſſe uſque ad Friderici II ætatem per omnem Germaniam obnoxia, & hactenus ignoratam divinam ſcilicet illam clericalium divitiarum a præſtationibus reipublicæ immunitatem, probatu facillimum eſt. Quare ad illud ſanè uſque tempus nemo etiam dubitavit, controverſias de Epiſcopalibus bonis ad laicorum Advocatorum vel Regium forum pertinere. Non enim temerè reperias exemplum aliquod contrarii conatus, niſi quod Curia Romana poſt Hildebrandum muſſitare talia cœperit. Uſque adeò profecto id verum eſt, ut Fridericus I, Secundi avus, fruſtrâ conquerente Papa Adriano, ab ipſiusmet Papæ bonis per Italiam publica tributa reipublicæ non popoſcerit tantùm, ſed etiam exhiberi ſibi fecerit. Qua de re omninò legendus Radevicus *l. quarto de Rebus geſt. Friderici cap. 34.* Ubi Bambergenſis Epiſcopus ſcribit, à Papæ Nunciis Cæſari propoſitum inter alia: *de dominicalibus Apoſtolici fodrum non eſſe colligendum, niſi tempore ſuſcipiendæ coronæ.* Poſteaquam verò Fridericus II ſeductus levavit iſtis oneribus Clericorum bona, non multò pòſt laboratum eſt cùm ab Epiſcopis & reliquo Clero tùm à Papa Romano, & quidem ſua mâ operâ laboratum, ut omnia bona foro etiam laico totius reipublicæ eximerentur. Neque verò Fridericus quidquam aliud quam hoc tantùm dixerat, quod inſertum eſt titulo *Codicis Juſtinianei libri tertio de Epiſcopis & Clericis.*

daſtum tomo II. Conſt. Imperial. p. 86 & 87. extat reſcriptum Ludovici IV ad Magiſtrum & Fratres Ordinis Teutonici: *ne fideles Imperii coram alio judicio Eccleſiaſtico vel Seculari, quam Imperiali, ratione bonorum ab Imperatore collatorum, reſpondeant.* Friderici III Cæſaris literæ quibus anno 1476 interdixit Halberſtadienſi Epiſcopo appellatione ad Papam, à ſententiâ Cæſareâ la.â de pago Derfort, ſunt in medio productæ in opere cui titulus: In ſachen Braunſchweig *contra* Hildesheim *remiſſionis* Außführliche *Relation* und Bericht *pag. 359.* Eòque ferè nunc obtinet in Germania, ut ſolus Imperator ratione bonorum feudalium & regalium jurisdictionem in Epiſcopos exerceat; ſi pacem publicam violaverint eos etiam condemnet, teſte Gailio *l.* I. *de pace publica cap.* I. *n.* 13. *c.* 8. *n.* 8: provocetur etiam â ſententia Archiepiſcopi vel Epiſcopi non ad Pontificem ſed ad Cameram, eodem teſte *l.* I. *obſerv. 30. n.* 1. *&* 2. De illa reipublicæ jurisdictione in regalia & bona temporalia Epiſcoporum, quædam & in leges publicas *Ordinat. Cameral. p.* 2. *tit.* 7 recepta ſunt. Multum tamen vereor (ne quid diſſimulem) ut jurisdictioni Cæſareæ ſatis vel hâc ratione ſit cautum.

LXXIV. In hunc modum ſeſe Epiſcoporum habet forum. MONACHI (ut de iis hic aliquid addamus) etſi omnes Carolino ævo fuerint proximè quo ad perſonalia ſub Epiſcoporum cujuſcunque diœceſeos jurisdictione Eccleſiaſticâ, ſequentibus tamen ſeculis etiam hac in re multiplex facta eſt mutatio. Etenim & antiquorum Monaſteriorum nonnulla auctoritate Papali Epiſcoporum jurisdictioni ſunt ſubducta ſolique Papæ ſubdita: & novi Mendicantium monachorum Ordines, circa ſeculum tertium decimum ut & ſequente tempeſtate inſtituti, liberi prorſus ab omni Epiſcopali jurisdictione, adeoque ſuis

proximè Provincialibus & Generalibus demumque reapſe uni Pontifici ſubjecti. Nec verò laicorum aliquam in ſe poteſtatem id genus hominum, in perſonalibus quidem, [illegible] dudum voluit agnoſcere. Quamvis enim Proteſtantium Principes, ſi quos alunt, in numero eos habeant reliquorum ſubditorum: inter alios tamen omnes idem minimè obſervatur, licet haut dixerim nuſquam obſervari. Ut proindè ne hæc quidem juriſdictionis ratio certa ſit & uniuſmodi per Germaniam, haud levi profectò reipublicæ malo, in tantâ utriuſque ſexus τὴν ἄσκησιν profitentium atq; otioſorum hominum multitudine.

LXXV. Bona Monachalia jurisdictionem ſuam non minùs atque Epiſcopalia mutaverunt. Illa jam tùm circa initia ſua, Carolina regnante familiâ, ſubducta eſſe ordinariis judiciis Comitum & Principum, & commiſſa Advocatis, liquidò apparet ex ipſis antiquiſſimis tabulis fundationum quas appellant. Cæterùm ſequentibus temporibus, Advocatorum judiciis monaſtica cumplura bona ſunt erepta, partim vi per Pontifices Romanos, partim grandi ære dato aut ſimili aliquo contractu. De Priore exſtat querela Principum Germaniæ inter Centum Gravamina *n 13: Inſuper & hoc moliuntur ſummi Pontifices, monaſteria aliquot eximendo, ut ab* Epiſcoporum*, eorum ſcilicet Ordinariis, ac Defenſorum-Protectorumque aliorum juriſdictione ità exemti, reddantur immunes, immediateque ſubjaceant Sedi Apoſtolicæ. Quæ res non tantùm prædictis ipſorum Ordinariis ac Defenſoribus ſed & toti Romano Imperio cedit in jacturam, tùnc quando collatio pecuniaria pro Imperii neceſſitate viritim Imperii Statibus indicitur. Ita enim fit, ut ipſi per ſe ab oneribus publicis exemti immunitate ſua gaudeant, &c.* De poſteriori præclarè diſſerit Ioachimus Vadianus *l 2. de Collegiis & Monaſter. fol 103.*

Seorſim

Seorſim de monaſterio VValkenrithenſi notat Henricus Eckſtormius in *Chronico p.* 81 Ottonem IV Cæſarem reſignatam ſibi à Comite Hohnſteinenſi Advocatiam in villâ Rhodâ cum omni jure Monaſterio contuliſſe, *p. item* 91: *Pro Advocatia quam Comites Hohnſtenii ab Imperio in feudo habebant Monaſterium ipſis numeravit* 36 *argenti marcas.* Quamvis autem multa Monaſteria liberam nacta ſint in opes ſuas juriſdictionem, multa tamen ſub Advocatis ſuis relicta; bona quoque non niſi paucorum ab oneribus publicis immunitatem acceperunt. Eoque hodiè per Germaniam juriſdictionis ratio in monaſteriorum ſive perſonas ſive bona varia eſt: alibi nempe multum ex veteri more, alibi multum ex recenti trahens. Quin ipſa ſuprema juriſdictio in controverſiis bonorum cœnobiticorum hodieque alicubi ad Papas trahitur, utut Cæſares obnitantur.

LXXVI. CLERICOS alios quod attinet, manſerunt illi quidem uſq; ad Proteſtantium tempora ſub Epiſcoporum & Archiepiſcoporum juriſdictione, neque niſi poſt cognitam Sententiam judici ſeculari, ob commiſſa crimina gladio forte puniendi, ſunt traditi, idq; more ſanè dudum recepto: acciderunt tamen quæ ipſis penè impunitatẽ peccandi dedere. Qua de re itidem graviter conqueſti ſunt Principes Germaniæ in Gravaminibus *num* 31. *Quicunque*, ajunt, *Eccleſiaſticos recipit Ordines majores ſeu minores, per hoc omnium pœnarum magiſtratuum ſecularium, utcunque magna perpetret maleficia, immunis eſſe contendit. Neque hoc ita ordinati temerè præſumunt; quod ab Eccleſiaſticis ſummæ conditionis Statibus in peccandi hac licentiâ manu teneantur.* Cauſis peſſimi moris cum alias adducunt tum haſce: *Vt in peccatis maleficiisque perpetrandis magis adhuc foveantur, præter omnem æquitatis rationem, aliquatenus*

interdictum eſt Archiepiſcopus & Epiſcopis, ne malefactores hos publicè criminali judicio reos agere poſſint, niſi prius degradatos. Id quod tantis ſumtibus, tantaque pompa celebrari oportet, ut propterea perquam rariſſimè uncti illi malefactores meritâ plectantur pœna. Ad hæc adſtringuntur obliganturque Epiſcopi per ſua Capitula, ut perſonas in ſacris Ordinibus, quod dicitur, conſtitutas, ſecundum Canonica etiam jura, pœnis utcunque levibus punire affligereque non audeant. Quæ res tota eò ſpectat, ut ex diſparitate hac inter laicos ac Eccleſiaſticos, ſimultates diſſidia atque odia pluſquam Vatiniana oriantur. Verùm hæc omnia per Proteſtantes quidem, inq; illorum terris, multùm mutaverunt. Etenim Clerici illorum hodiè in cauſis perſonalibus ſubditi ſunt foro Conſiſtoriali iis ab Ordinibus Proteſtantibus quamvis Laicis paſſim conſtituto, in aliis autem plerumque ſortiuntur forum commune laicorum: Pontifici aut Epiſcopis nullo amplius in illos jure permiſſo.

LXXVII. Porrò etiam quæ in Laicos Sacro Ordini jam olim competiit ſancta juriſdictio, multum degeneravit à priſtino more. Cùm enim olim ſecundùm germanos antiquæ Eccleſiæ Canones cauſæ illæ ſpirituales laicorum, in ſingulis provinciis per Sacerdotes & Epiſcopos vel Archiepiſcopos deciderentur, pòſt plurimæ earum ex ſuis regionibus Romam ſunt tractæ. Hinc Excommunicationum & Interdictorum fulmina Papalia Germaniæ non minus quàm aliis Regnis per ſunt facta familiaria. Diſertim multas controverſias, unde nimirum plus lucri vel auctoritatis captari poterat, Epiſcopali judicio ſubductas ſuo foro Papæ reſervatas ſunt. Adhoc hæreticæ pravitatis Inquiſitione, uti vocant, in Dominicanos monachos translatâ, rem maxi-

maximi momenti itidem Epiſcoporum judicio Papæ ſubtraxerunt. Nova etiam ſunt & à priſco more aliena de quibus conqueruntur Principes Gravamine 34: *Romæ cæteriſque in locis per Archiepiſcopos ac Epiſcopos, aut certè eorum Eccleſiaſticos judices, multi Chriſtianorum ob cauſas prophanas, ob pecuniæ denique ac turpis quæſtus amorem, excommunicantur: multorumque, ſed eorum in fide infirmorum, conſcientiæ per hoc aggravantur, & in deſperationem pertrahuntur: ac denique ob pecuniæ lucrivè tantulum, aut alioquin res minimi precii, ad internecionem uſque animæ corporis honoris, contra divina humanaque jura perducuntur.* Quamvis enim non propter ſolum hæreſios crimen, quod Principes videantur voluiſſe, Excommunicatione uſa ſit priſca & primitiva Eccleſia, ſed ob morum quoque deplorata vitia, non tamen illam admiſit ad levia facta aut dubii juris. Nova etiam ſunt quæ Gravamine triceſimo quarto veniunt in querelam: *Et illud in pleruque ſæpiuſcule evenit, quod vicini excommunicatorum decem & eo amplius, quos tamen cauſa nihil omnino contingit, cum ipſo principali excommunicationis pœna agravantur; & non ob aliud, quam ut Officiales, Eccleſiaſtici ſcilicet judices, faciliùs citiùſque pro libidine ſua miſeram plebeculam depeculentur, ac pro ſuo libitu eorum abutantur ſimplicitate, ipſoſque principales, ad quaſcunque etiam iniquas acceptandas tranſactiones, per hoc compellant adigantque. Nam etiamſi excommunicatus ipſe, unà cum uxore liberiſque ſuis, per intolerabile hoc & iniquiſſimum banni onus, in exilium ire cogatur, quod hac in re nullus ſit Officialibus modus neque finis, neque ulla facultatum ratio: tamen nullus eſt hominibus illis reſpectus, num induſtria datave adhuc operâ, & percontemtum, an neceſſitate ita impellente, vel caſu potius, vicini cohabitato-*

bitatores cum excommunicato ipſo participârint commercium vè habuerint : aut ſufficienſne hæc fuerit concivibus cauſa , quare excommunicatum meritò ſolum vertere juſſi deberant. Horum penſi habetur nullum. Prorſus nova etiam ſunt de quibus *Gravamen triceſimum ſextum* ait : *Præterea , quum Sacerdos aut alioqui Eccleſiaſtica perſona caſu occiditur , tum nedum occiſor excommunicatur , ſed & totum oppidum aut totus pagus iniquiſſimè interdicitur. Quod interdictum eò uſque durat , tamque diu interrupta pendent publica Chriſtianorum officia , quouſque vel occiſor , vel tota incolarum ejus loci communitas , fecerint homicidii compenſationem , homicidiumque expiarint : non conſiderato eo, dederitne occaſionem , ut ſe geſſerit , probè vel nequiter verſatus fuerit occiſus ſacerdos vel alius Eccleſiſtico Ordini aſſcriptus , licet jura Canonica ipſa in quibuſdam caſibus modum negotio præſcribant , Prægravanturque itaq. ex delicto unius centum alii nihil tale commeriti : nedum contra communem æquitatem , ſed & contra omnia divina & humana jura.*

LXXIIX. Præter morem etiam veterem Eccleſiaſticæ diſciplinæ , pœnarum omnium ſacrarumque ſatisfactionum Indulgentia cœpit nummis venire : cum omnis pietatis ſummâ corruptelâ. Ex adverſo excommunicationes ob culpas in Sacrum Ordinem fortè commiſſas ſicut factæ ſunt frequentiores ita & effectus earum eſt exaſperatus ; ita ut excommunicato nihil relictum ſit civilis fortunæ. Etſi enim in Saxonici Juris Speculum recepta ſit hæc propoſitio : *Excommunicatio neminem debilitat in jure terra ſeu feudi , niſi ſequatur regularis proſcriptio* : tamen à Gregorio XI id inter hæreticas eſt ſententias relatum. Exaſperata ſimiliter multùm eſt pœna eorum qui hæretici habiti ſunt. Vivicomburio enim cœpit in illos animadverti ;

verti : quod omni retrò ævo in Occidentali Eccleſia nunquam auditum fuerat vel viſum. Ubi major fuit illorum numerus, crux in illos (uti tum loqui mos tulit) fuit prædicata, & quaſi communi gentium conſpiratione in illos omnes, tanquam extrema commeritos, ferro & flamma, nullo ſexus nullo ætatis diſcrimine, ſævitum.

LXXIX. Hæc omnia, etiamnum hodiè, vera & recta eſſe, judicant tantum non cuncti quotquot ſunt Pontificiæ partis. Certè qui inter eos ſunt doctores ità ſentiunt: ſaltem ità docent. Cæterùm nihil horum non improbant Proteſtantes; eòq; omnia hæc abrogaverunt. Nec tamen vel illi omni ex parte conveniunt cum diſciplinâ Eccleſiaſticâ Carolino ævo uſitata : qualis enim illa fuerit petere eſt cum aliunde, tum ex Rabani Mauri Pœnitentium libello. In Proteſtantium verò Eccleſiis longè eſt mitior & laxior diſciplina : quanquam nec apud illos omnes eadem ſit ubique ratio.

LXXX. VENIMUS ad cauſas merè ſeculares, eaſdemque inter ſeculares perſonas popularis duntaxat ordinis controverſas. Patet autem ex ſupra dictis, illas, Francorum durante Carolino Imperio, nunc in Epiſcopali audientia, nunc in ſeculari foro agitatas & deciſas eſſe. Quemadmodum enim Theodoſii legem omnibus vaſti ſui imperii Francorum ſubditis communem eſſe voluerit Carolus, oſtendimus *n.* 34. Sequentibus verò ſeculis uſque adeo placuit Epiſcopis judicandi hoc munus, quod olim optimo cuique grave onus videbatur, ut multis technis fimbrias ſuas hîc dilatare ſint conati. Neque verò quod *l.* 3. *art.* 57 *Speculi Juris Saxonici* ſignificatur, cauſas haſce omnes ad ſeculare forum tantùm pertinere, idq; ex Friderici I Cæſaris conſtitutione ut minus ad illum IV.

 locum

locum Gloſſa, ita obtinuit. Plurimæ querelæ de iniquitate Epiſcoporum eorumque Officialium, quâ laicorum cauſas contra fas & æquum ad forum ſuum pertrahere ſunt ſoliti, prolixe adeò recitantur in Gravaminibus Principum *num.* 56. 57. 58. 59. 60. 62. 63. 64. 70. 71. 72. 73. ut hoc loco omnia illa recitari non poſſint. Ingeſſit verò & in harum cauſarum judicia ſeſe Papalis Curia quàm maximè. Unde conqueruntur Principes Gravamine nono: *Pontifices Romanos ad petitionem perſonarum Eccleſiaſticarum laicos non rarò in cauſis profanis, puta hæreditatum aut pignorum, & in prima quidem inſtantia, coràm ſe Romam citare ac in jus vocare.* Item Gravamine decimo: *Cum Roma quiſpiam etiam laicus interpoſito juramento aſſerit, ſe non ſperare juſtitiam apud judicem competentem in Germania, protinus ad tale juramentum admittitur, ac citatio ei contra partem adverſam decernitur. Sicque proceſſus à judice Ordinario ex Germania Romam, nec judice interpellato, nec parte adverſa monita, protrahitur: inde juramenti prætextu nec fori declinatio nec ulla admittitur probatio, etiamſi planè doceri poſſit actorem illum pejeraſſe.* Addunt Gravamine undecimo: *Eſt & aliud judicum Papalium genus, quos Conſervatores vulgò vocant. Eos Epiſcopi cæterique Eccleſiæ Principes ex Primatibus vel Abbatibus Diœceſis à Sede Apoſtolica in hoc impetrare ſolent, ut coram his omnes illorum cauſæ & lites, quas inſtituere cogitant, dirimantur, vocenturque per hos in jus perſonæ ſeculares, nobiles & plebeii, in cauſis omnino profanis; licet actoribus juſtitia per ordinarium tribunal nunquam fuerit denegata. Quod ſi vocati in jus ire recuſaverint, ii contra jus ac fas excommunicatione feriuntur.* Item Gravamine duodecimo: *Sanctitas Pontificia ad Eccleſiaſticarum perſonarum petitionem judices delegatos & commiſſarios, tanquam*

Eccleſi-

Eccleſiaſticos judices per Germaniam concedere ſolet, ut impetrantes de hinc laicos, cujuscunque etiam dignitatis vel praeminentiae, coram ita delegatis in cauſis profanis judicio conveniri poſſint. In hunc modum conqueſti ſunt ante hos centum annos & quod excurrit Principes & Ordines Seculares Germaniæ; cumque emendationis nulla ſpes affulgeret, Proteſtantes quidem projectâ omni & Pontificis Romani & Epiſcoporum in ſe & ſuos juriſdictione, etiam hiſce in reipublicæ detrimentum exortis vitiis finem impoſuerunt. An cum aliis meliùs hodie agatur, haut facile dixero. Etenim certum eſt, etiam ipſi Spirenſi judicio hodieque iſthoc modo moleſtiam faceſſere & Epiſcoporum Officiales, & Pontificios cùm Conſervatores tum Nuncios & Legatos. Vt proinde ne hoc quidem ſatis conſtanter in republica Germanica nunc ſit conſtitutum.

LXXXI. Dictum porro jam ſupra fuit *th. 70* in fora Epiſcopalia traductum eſſe illum perplexum procedendi in judiciis modum jam ſeculo tertio decimo. Cum tam multa autem cœperint eſſe Eccleſiaſtici fori, quantum omnia ex eo tempore litibus perſtrepuerint manifeſtum eſt. Principes Gravamine octogeſimo conqueſti ſunt, pleroſque inopiâ laborantes, judicialium expenſarum variorumque laborum & ſumptuum formidine ad iniquas tranſactiones compelli. *Neque hoc* (inquiunt, *ſilentio praeteriri poteſt, quod Eccleſiaſtici Judices & Officiales miſeros ac ſimplices laicos, multoties ad illicitas, iniquas, ſibique penitus nocivas tranſactiones adigunt. Nam ſi quando eos in Ius vocant, magna patronorum, rabularum forenſium, ſcribarum, caeterorumque quorum opera in judiciario ſtrepitu uti neceſſum habent, caterva, nullo aere conducta, ſed gratuito conquiſita, ſti*

pati adſtant, ac pauperibus illis prophanis, egeſtate preſſis, id hominum genus non niſi magno conducendum eſt. Quod ubi fortunæ reique familiaris tenuitas denegat, ni penitus cauſa etiam juſtiſſima decidere velint, transactionem ſeu compoſitionem utcumque iniquam inire coguntur. Conqueruntur verò iidem ſequenti Gravamine, quod in multis Eccleſiaſticorum Conſiſtoriis non alii litigantium partium patroni & advocati admittantur, quàm qui tribunali illi ſunt obnoxii. Item Gravamine ſexageſimo quinto & ſexto: *quod reformationes ſuorum judiciorum Epiſcopi nec obſervent, neque executione debitâ tueantur.*

LXXXII. Cæterum de ſacro cauſarum ſecularium foro ſatis. Non leves verò mutationes paſſum quoque eſt forum ipſum SECVLARE populi controverſiis illis judicandis inſtitutum. Etenim (ut ab infimis judicibus ad ſummos pergamus) multis in Germania locis *Scabini* vix alibi quam in urbibus reperiuntur, eorum autoritate per agros deleta. Alibi tamen etiam per agros antiquiſſimus ille ordo ſupereſt, ut in Hollandia & ex parte etiam hîc per Saxoniam. Scabini porrò alibi à Comite, aut eo qui Comitis pollet munere, ex populo pro arbitratu eliguntur hodie: alibi conſtituuntur nulla Comitis accedente auctoritate: alibi deniq; & à populo & à Comite ſimul eliguntur, plurimis ſcilicet nominibus Comiti oblatis, unde quem velit ille in hunc ordinem adſciſcere optione Comiti relicta. Quorum poſtremum antiquo mori maximè affine eſt & plebeiam dignitatem cum Comitis auctoritate ſic ſatis egregiè temperat. Primum μοναρχικὸν quid ſapit, antiquâ populi libertate perditâ. Secundum merè δημοκρατικὸν aut ἀδεσποτικὸν eſt. Obtinet autem illud alicubi eo

quia

quia populus hoc jus eligendi à Comitibus ſive prece, ſive precio, ſive vi, ſive qua alia permutatione acceperit. Eſt autem illud itidem diverſæ rationis: alibi enim penes Conſules & Senatores oppidorum Scabinos cooptandi jus eſt. Qua de re pretium operæ fuerit videre ſententias Magdeburgenſis Scabinatus *l. 1. c. 1. diſt. 1. & 2.* ut & de aliis ad Scabinos pertinentibus *c. 2. integr.*

LXXXIII. *Comitum* quoque aut Gravionum ratio multùm ab antiquò receſſit, ſive numerum videas ſive modum conſtituendi. Etenim olim quot pagos aut gonas totidem Comites vel Graviones numeravit Germania. Poſt autem cœperunt multi Comitatus uni committi. Dati porrò illorum quammulti Epiſcopis & Abbatibus nonnullis: plurimi Ducibus ac Principibus ceſſerunt: pauciſſimi remanſerunt penes illos qui Comitum titulo hodieque gaudent. Enimvero non Epiſcopis vel Abbatibus, non Ducibus, non Principibus, juriſdictio ulla in populum aut plebem ſecularis cum mero mixtoque imperio competit, priſcam originem ſi ſpectemus, niſi inquantum iidem Comitum vel Gravionum pollent poteſtate. Et ſanè jam olim ætate Carolinà fuit moris, alicui in Ducem electo duodecim Comitum potentiam ſimul concedere, in auctoritatem indubiè majorem: quod alias Duci quatenus tali non niſi bellicum imperium competeret. Hinc Annales Francici veteres & Aimoini continuator *l. 4. c. 6.* ſcribunt de Pipino: *Domum reverſus Grifonem more Ducum XII Comitatibus donavit.* Et in ejuſdem Aimoini continuatione *li. 5. cap. 11.* de Ludovico: *Baldrico Duci Forojulienſi, dum objiceretur & probatum eſſet, ejus ignaviâ & incuriâ vaſtatam à barbaris regionem noſtram, pulſus eſt*

Ducatu & interquatuor Comitatus eſt ejuſdem poteſtas diviſa. Vt quidem hunc locum emendavit P. Pithœus *l. Adverſarior. cap.* 8. cum vulgo legatur *inter quatuor*. Porro nonnulli Comitatus, per incuriam aulæ Regiæ inter bella Germanica, nemini dati ſunt; eòque omnis illa vis aut à plebe eſt occupata ut in Friſico olim populo, aut ab aliis ſine ulla auctoritate publicâ proprii eſt juris facta.

LXXXIV. Porro olim quidem Comitum dignitas non videtur fuiſſe hereditaria ſed ex arbitrio dependens penè unius Regis: at pòſt, pauciſſimis exceptis, facti fuere Comitatus hereditarii partim ſimpliciter partim feudali jure: nonnulli & in populi patrimonium tranſierunt, ceu apud Friſios olim factum eſt. Plurimi præterea ex eo non amplius à Rege ſed ab Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus & Principibus proximè in feudum conceſſi ſunt. Multum autem reipublicæ intereſt, quo hæc quidem modo ſeſe habeant. Verè Regium ſtatum arguit, ſi omnes illi potiſſimi judices populi à Rege ipſo conſtituantur. Vnius etiam Regis autoritas ſervari ſalva rectiùs poterit, ſi multi ſint Comites, quàm ſi pauci Ducum Principum Epiſcoporumque multos Comitatus ſimul teneant. Facilè enim accidit, ut horum potentia reipublicæ regiæ noceat & ſtatum novum inducat, imo in ἀναρχίαν tandem rempublicam conjiciat.

LXXXV. Adhæc olim ſingulas gouas ſingulos habuiſſe Comites conſtat. Poſtea verò cœperunt multi in una eademque gouâ Comitis, non quidem nomine, auctoritate tamen gaudere. Namque & Reges vel Cæſares, & Principes, & Duces, & Epiſcopi, & Abbates, & Comites ipſi, particulas gouarum ſuarum aliis atque aliis urbibus, aut populi nobilioribus familiis, imo & plebeis

beis tradiderunt ; partim ſimpliciter venditione , partim pignore , partim feudi jure , partim dono , partim variis modis. Autor Speculi Saxonici *l. 3. art. 64* illas translationes accuſat iniquitatis : *Si Comes vel Advocatus partem Comitatus vel Advocationis alteri contulerit , id contra jus cenſetur attentatum , nec deſuper infeudatus Bannum habebit Regale.* Non male; videntur enim maximè omnium hæc accidiſſe poſt auctoritatem Regiam collapſam, à ſeculo uſque tertio decimo. Certè ante hoc tempus nulla Vrbs Germaniæ tale aliquod jus habuit, quod quidem hactenus innotuerit. Vbi notandum : non omnes inferioris ordinis qui merum mixtumque imperium tenent, ipſo Comitivo jure illud tenere , ſed penes multos tantùm eſſe jus Comitis Vicariale aut Sculteriæ, eòque ab illorum ſententiis dari provocationem ad Comitem , vel illum qui Comitis valet poteſtate : quo ipſo utriuſque juris patet differentia.

LXXXVI. Ex Speculi Saxonici præterea *l. 1. art. 55* diſcere eſt , deficiente Comite , aut eo qui Comitis eſt loco ordinario , arbitrarios judices electos eſſe Gogravios dictos. Verba Speculi ſunt : *Omne jus Seculare ab arbitrio initiatum eſt. Ideoque nullus judex eſſe poterit , niſi qui adhoc eligitur , vel infeudatur. Eveniat autem evidens furtum violentiave , cum quâ perpetrans fuerit comprehenſus , ad hoc licite Gogravius eligatur , qui ad minus ab incolis trium villarum ſeu prædiorum iſtius judicatus eligatur , & hoc ſi judex ordinarius non habetur.* De tali Gogravio pergit loqui articulus 56 : *In Gogravionatu de jure non erit feudum , neque ſucceſſio , quia de libero ruſticorum conſiſtit arbitrio Gogravium eligere ad præſens factum , vel ad tempus præſignatum. Conferat autem Dominus alicui hoc officium , Dominus ei & ſuis filiis tenere collationem*

tionem, & ad jura feudi obligatur, niſi liberâ ruſticorum electione elidatur. Fuit autem horum Gograviorum poteſtas penè momentanea & die unico naturali circumſcripta. Vnde Articul. 57. *Si fur vel raptor infra diem naturalem non condemnetur, ulterius eum Gogravius non judicabit, ſed ad infeudati judicis ſpectat jurisdictionem. Iſta de Gograviis, qui ad violentiam in continenti judicandam eliguntur, ſunt promulgata.* Cœpit autem & aliud Gograviorum genus in uſu eſſe, judicandis nimirum non tantum ſubitis violentis criminibus, ſed aliis etiam. Quare addit Articulus 58: *Qui verò in tempus eligitur ſpacioſum, ille Gogravius à Marchione vel à Comite infeudatur: & ſic coram eo deliberatum ruſticorum arbitrium precedit; & licite in craſtinas violentias judicabit. Quando Comes judicium ſui Gogravii ingreſſus fuerit, per hoc judicium Gogravii evacuatur.*

LXXXVII. Conſtat porrò ex iis quæ ſupra attulimus, Carolinis temporibus à Comitum ſententiis provocationem fuiſſe licitam ad *Miſſum Regium*, huic etiam auctoritatem fuiſſe animadvertendi in ipſum Comitem. At Auctor Speculi Saxonici *l.* 1. *art.* 59 ita loquitur: *Non poterit ullus Comes, qui ſub Regali banno cognoſcit, legitimum habere ſine ſuo Sculteto judicium; cui ante omnia ſe ipſum debet præbere judicandum. Et ideo ab ipſo primam, ſi congruum judicandi tempus fuerit, ſententiam poſtulabit, & poſtmodum eundem interroget, ſi ei tumultus & diſciplinata in judicio liceat prohibere. Quæ dum ab illo fuerint pronunciata, unusquiſque de eo quod eum movet, mediante ferendario, ſuam interponat actionem.* Et idem volunt verba *l.* 3. *art.* 52. *Sine Præfecto Judex* (i. e. ſine Sculteto Comes) *legitimum habere judicium non poteſt, coram quo ſi accuſetur, ſe juri debebit exhibere. Quia Præ-*

fectus

fecto Judicis judex eſt ſuorum delictorum, ſicut Palantzgravius Imperatoris judex exiſtit, & Burggravius Marchionis. Verùm obtinuerintne hæc aliquando nec ne, merito dubites: neque enim auctori illi tutò crediderіs uſque adeo alia multa inepta & falſa aſſerenti. Vt ut autem aliquando fuerit in uſu, hodie tamen nihil horum obſervatur.

LXXXIIX. Cæterum monumenta veteris reipublicæ accurate expendentibus facilè apparet, Miſſorum illorum Regiorum qui in Comitum aliorumque negotia auctoritate Regiâ quotannis inquiſiverunt vix levem memoriam ſuperfuiſſe jam Ottonum ætate, nullam ſequente omni tempeſtate. Vt proinde jàm ab illo uſque tempore hac in re magnam jacturam fecerit auctoritas Regia. Neque enim non cuivis liquet, quantum ad Regum auctoritatem ſervandam momenti attulerit Miſſorum illa annua legatio. Videtur autem omne illud Miſſorum jus abſorptum fuiſſe ſaltem in pleriſque locis ſummâ illa Ducali poteſtate; quæ tum adhuc obtinuit. Obſervandum enim eſt, ultimis Carolinæ familiæ temporibus quatuor per Germaniam in quatuor præcipuis populis fuiſſe Ducatus: Saxoniæ, Bavariæ, Sueviæ & Lotharingiæ, cum ampliſſimâ imo tantum non Regiâ in integros illos populos poteſtate. Videtur ſanè, omnes Comites illarum provinciarum ſuis Ducibus tunc fuiſſe ſubjectos. Quàm ampla certè quondam fuerit Bavarici Ducis potentia, manifeſtum eſt ex iis quæ Auctor libelli von den Alten Reichs Vögteyen notavit *p. 6. 7. & ſ. item lit. E. F. G.* Quin itaque hi Miſſorum Regiorum vim obtinuerint in Comites, non eſt dubitandum.

LXXXIX. Saxonicorum Cæſarum & ſequentium ævo eadem auctoritas videtur Ducibus quadantenus iterum

rum ſubducta (prout & in multis aliis circumciſa eſt illorum antiquiſſimorum Ducatuum potentia) & ſaltem ex parte translata in *Palatinos Comites*, ſed feudi legibus conſtitutos. Neque enim ante hæc tempora uſquam legas memoratos ejuſmodi Palatinos Comites. Quippe qui plurimum fuerunt diverſi a Comitibus Palatii quorum ſupra facta eſt mentio *Theſi* 39. Enimvero primum Palatinum Comitem Bajoarico longe ampliſſimo quondam Ducatui præfecerat Arnolphus Imperator. Etiam poſtea ab Ottone Magno, relegato in Sueviam Everhardo Duce, quod ferociùs ſibi reſtitiſſet, Palatinos Bavariæ Comites eſſe conſtitutos, notum eſt ex Bajoaricis hiſtoricis. De tali autem Palatino Comite ita ſcribit Aventinus l. 4. *Is vicem Cæſaris præſidendo Senatui Principali fungebatur, fidem Imperatoris implorantibus aderat, juſque reddebat, fiſcum Auguſti, prædia Salica, reditus regios procurabat, Cæſareum cenſum exigebat. Nihil citra ejus auctoritatem Duci aut decernere aut ſtatuere licebat. Si Senatus conſultum Reguli* (i.e. Ducis) *diſplicebat, intercedebat ad Cæſaremque referebat.* Habuit & Saxonia Palatinos ſuos Comites de quibus egregia quædam in unum congeſſit Reinerus Reineccius *in appendice VVitichindi.* De Sueviæ Palatinis res eſt obſcurior. Qui memorantur tamen Palatini Tybingenſes & Habſpurgenſes huc referendi omnino ſunt. Franconiæ Palatinus videtur eſſe is qui alias Palatinus Rheni hodieque nuncupatur: utraque enim Rheni ripa ad Franciam pertinet orientalem. Burgundiæ quoque Palatinos memorat Wolfgangus Lazius *in Auſtria.*

XC. Conatus eſt de hiſce Palatinis Comitibus nonnihil dicere etiam Auctor Speculi Saxonici *l* 3. *art.* 53. *Quælibet provincia Teutonica terra ſuum habebat Palantzgravionatum,*

natum: Saxonia, Bavaria, Franconia & Suevia, Quæ antequam à Romanis ſuperabantur, regna fuerunt, à quibus ipſa in Ducatus nomina fuerunt permutata. Attamen illuſtres in vaſallos, & vexillorum feuda obtinuerunt: quæ ipſis per Imperium jam ſunt ſubtracta. Quæ verba videntur ſignificare quaſi Palantzgravionatus illi jam ante Romanorum in Germaniâ imperium fuerint in uſu, certè quod à Romanis fuerint inſtituti. Et vero Gloſſa Germanica poſteriore ſenſu verba accipit; unde addit: Dieſer Nahme Pfaltzgraff / iſt zuſammen geſetzt vom Welſchen und Deutſchen / denn im Welſchen bedeutet ein pfalant einen bezwungenen Herrn / oder ein bezwungen Reich / und ein Graff bedeutet ein Richter/ nach dem alten Sächſiſchen. Sunt autem omnia hæc commenta anilia. Falſiſſimum enim eſt, Saxoniam unquam eſſe domitam à Romanis aut regiam habuiſſe rempublicam. Falſiſſimum item, Bajovarios noſtros à Romanis ſuperatos, utpote qui pulſis Romanis Vindeliciam & Noricum occuparint. Par ratio eſt Francorum & Alemanorum. Iam ante quoque monitum eſt, horum Comitum Palatinorum per provincias conſtitutorum nullam reperiri memoriam ante tempora Saxonicorum Cæſarum. Omnium ineptiſſimum eſt gloſſema illud; verbum *Palant* denotare Italis provinciam ſubjugatam. Suo more autem plane ineptit ille Gloſſator in enumerandis quoque Germaniæ Palatinis. Primum Ducem Saxoniæ eſſe Palatinum Saxoniæ: Secundum Bavariæ Ducem eſſe Comitem Palatinum Rheni: tertium Palatinum Marchionem Brandeburgenſem: Franciæ Palatinum eſſe Archiepiſcopum Moguntinum: Sueviæ Palatinum Archiepiſcopum Trevirenſem; Palatinum Gronovienſem Archiepiſcopum Colonienſem. Riſu ſane hæc digniora ſunt quam confutatione. Etenim Saxoniæ Dux quod Palatinâ illâ gau-

deat dignitate per accidens contigit, ut poſt liquebit: & Palatinatus Rheni à Palatinatu Bavariæ prorſus fuit ſemper diſtinctus, etſi hodie dignitas illa ſit penes familiam Ducum Bavariæ. Brandeburgenſem Marchionem obtinere aliquem Comitatum Palatinum nuſquam legitur in editis quidem monumentis. Nuſquam item hoc legitur de Archiepiſcopatu Moguntino. Quid Archiepiſcopo etiam Trevirenſi cum Suevia rei eſt? Nec temere quid reperias de Archiepiſcopi Colonienſis Palatinatu Gronovienſi, cum Grona ſit juris Brunſuicenſis. Fabulæ igitur ſunt: quibus omnes Saxonici & Suevici Juris libri ſunt refertiſſimi. Plus veri habet quod legitur *art. 62. l. 3. Speculi: Quinque civitates, quæ Palantia dicuntur in Saxonia inveniuntur, in quibus Rex legitimis debeat curiis præſidere. Prima dicitur Grona, VVerlitz ſecunda, quæ modò in Goslariam translata eſt, VValhauſen tertia, Alſtede quarta, quinta Mersburg nuncupatur.* At vero hæc oppida non pertinuerunt ad negocium Comitum Palatinorum: ſed fuere olim Palatia Regia, qualia multa paſſim habuit Germania. Quæ verò his nominibus denotentur expoſuit Meibomius *Irminſula. 13.*

XCI. Cæterum Comitatus illi Palatini dudum in Ducum poteſtatem tranſierunt. Etenim jam tum Duces Saxoniæ Aſcanienſis familiæ in feudum acceperunt Saxoniæ Palatinatum. In tabulis etiam quibus Sigiſmundus Cæſar Friderico Marchioni Miſniæ Ducatum Saxoniæ contulit apud Petr. Albinum *tit. 16.* Meißniſch Land Chronick. *p. 218.* diſerta fit mentio der Pfaltz zu Sachſen / Item des Pfaltz Hauſes und Stadt Alſtede. Bavariæ quoque Palatinus Comitatus expiravit, à Ducibus Bavariæ neſcio quo vicedominatu in ejus locum ſubſtituto, teſte auctore von den Reichs Vogteyn. Interierunt etiam Palatini Comitatus

mitatus Sueviæ ſi qui fuerunt. Unus ſupereſt Comitatus Palatinus Rheni, verùm omni illo jure antiquo dudum privatus. Et vero ne Ducibus quidem ratione Palatini Comitatus hodie quidquam juris eſt extra proprias terras. Quod equidem factum reor, per potentiam novorum poſt exortorum Ducatuum, Epiſcopatuum, Vrbium, aliorumque, nec non per ampliſſima ſingulis Ordinibus collata Cæſarum privilegia. In univerſum certè omnia luſtrantibus facilè apparet, nihil fortaſſis hodiè ſupereſſe quod illi Miſſorum regiorum antiquiſſimo & reipublicæ tunc utiliſſimo officio reſpondeat.

XCII. Si tamen verum fuerit quod nonnulli ajunt: à Conrado Imperatore anno 1147 inſtitutum eſſe Rotvvilenſe dicaſterium, ampliſſimo terrarum tractu illi ſubdito, quò liceat & appellare à ſententiis alibi pronunciatis, & nonullas cauſas in prima etiam (uti loquuntur) inſtantiâ deferre: fatendum omnino fuerit Miſſorum regiorum illam auctoritatem quadamtenus à Cæſare iſto huc translatam. Neque enim alia huic judicio poteſtas eſt: utpote quum liceat etiam ab hoc appellare ulterius ad Cæſarem vel ejus judicium ſummum, planè ut olim data fuit provocatio à Miſſis ad Regem. Sed quantum illi hiſtoriæ de inſtitutione primâ Judicii Rotvvilenſis ſit tribuendum judicent aliàs alii. Neque verò eſt ignotum, quàm multa ejuſmodi ſoleant in Cæſares auctores falſò referri. Sed & Judicium Magdeburgenſe non minùs latè olim patuit, nec minore fuit auctoritate: & tamen arbitrario duntaxat populorum conſilio, abſque ulla Cæſaris auctoritate, fuit inſtitutum, utut & multi vulgò auctorem ejus jactent Ottonem Cæſarem. Vt autem olim cœperit illud Rotvvilenſe Judicium nulla publica auctoritate, hodie tamen omnino jus dicit auctoritate Cæſarea.

Eòque merentur legi Ordinationes & Reformationes ejus apud Goldaſtum *tomo* 1. Reichs Satzungen *p. 6. & ſeqq. p. 206. & tom 2. p. 266.* cumprimis autem illa quæ integro libro hujus argumenti habet Paulus Matthias VVehnerus.

XCIII. Non dubitandum verò eſt, *Miſſorum* illorum veterum Regiorum, ſimulque & ordinarii Ducis, defectum effeciſſe tandem, à ſeculo XIII, in terris illis quæ olim Sueviæ Ducum imperio paruerunt, uti Urbes complures compromiſerint in judicia quædam. Quemadmodum à Principibus quoque factum eſſe *n.* 53. docuimus Non enim fuit ad manum qui controverſias Senatus populique Vrbium, aut primorũ in Vrbibus civium, decideret, quod nihil etiam in Cæſaribus tum præſidii eſſet. Quapropterne in bellum lites exardeſcerent opus fuit novis Judiciis compromiſſoriis. Ita Noribergа judices cæpit agnoſcere Windesheimum & VVeiſſenburgum oppida: Reutlinga Ulmam, Eslingam, Gemundam Suevicam: Schvvinfurtum ſuum Advocatum Regium ſed qui adjungere ſibi debeat aliquot Scabinos Noribergenſes & Rotenburgenſes: Dunckelſpiela Ammannum Vrbis & Scabinos petitos Nordlinga, Rotenburgo ad Tuberam, Halla Suevica, & VVerta Suevica: Halla Suevica Regium ſuum Sculcetum, itidem tamen adjunctis Scabinis ex tribus proximis urbibus. Quæ omnia narrant cùm alii tùm Petrus Friderus *l. 1. Proceſſ. Camer. ſub finem.* Secutæ autem hoc exemplum ſunt & aliæ urbes liberæ. Namque & Argentina judices primæ inſtantiæ agnoſcit Baſileam VVormatiam & Ulmam, Ratisbona Auguſtam Vindelicorum Noribergam & Ulmam.

XCIV. Cum ad eandem pene libertatem perveniſſent Saxonicarum Urbium nonnullæ ſeculo XIV, ipſæ quoque

que ſimilem ob caſam in judicia quædam compromiſerunt. Eóque factum, ut Venedici ſoli præſtantiſſimæ quæque Vrbes Lybecam hodieque provocent à ſententiis ſ:orum magiſtratuum. Acceſſiſſe tamen & illud crediderim, quod illæ urbes leges & ſtatuta Lybecâ tanquam à matrice ſua acceperint: ut proinde in dubio hinc jus petere æquum ſit creditum. Et verò hac potiſſimum ratione inductæ olim Polonicæ, Bohemicæ, Marchiæ Miſnenſis & Luſacenſes urbes complures, provocarunt ad Magdeburgi & Hallarum Saxonicarum ampliſſima quondam in id inſtituta tribunalia. Quod ipſum ergo, mutatis in plериſque locis legibus antiquis, & accedente Regum exterorum interdicto, hodiè pene omne deſiit.

XCV. Sed de judiciis quæ in locum judiciorum à Miſſis olim exercitorum ſucceſſerunt, ſatis eſt dictum. Facile autem apparet id quod ante diximus, hac in re multum detrimenti auctoritatem Regiam accepiſſe. De ipſo AULICO JUDICIO REGIO vel CÆSARIO quædam addenda. Speculum Juris Suevici *part* 1. *c.* 13. ita loquitur: In welche Stadt der König kömpt die in dem Reich lieget / das iſt und dieweil er darin lieget; die Mez der Zoll und das Gericht iſt ſein / Er ſol auch alles das richten das in der Stadt und in dem Lande zu richten iſt / ohne das begehret iſt zu richten das ſollen die Richter richten / voraus die das begonnen haben zu richten. Quorum verborum non ea tamen mens eſt, quaſi Rex teneatur omnes controverſias illas judicare, ſed quod poſſit decidere. Quapropter cautiùs loquitur Speculum Juris Saxonici *l.* 3. *art.* 60. *In quacunque civitate Imperii Rex devenerit, ibi Telonia ei vacabunt & Moneta. Et in omni territorio quò ſe transfert, ſibi judicia vacant, ut poſſit cognoſcere de omni cauſa in judicio non incepta nec determinata. Et in adventu Principis*

cipis omnes detenti ad faciendum cum eis juſtitiam ſunt Regi præſtandi, quanto citius poſt regis poſtulationem id duci poterit ad effectum, & in ipſius præſentia vincendi ſunt, aut (ut juris eſt) dimittendi, poſtquam Rex eos aut ipſius nuntii ad juſtitiam in audientia detentoris, aut in caſtro vel fundo ubi detenti ſunt, poſtulaverit. Præmiſſa ſi denegentur, & hoc per nuncios poterit comprobari, ſtatim qui eos tenent & detinuerint, & caſtra in quibus detinentur, proſcriptioni Imperii includentur. Faciunt eòdem verba illa *l. 1. art. 58. Quando Comes judicium ſui Gogravii ingreſſus fuerit, per hoc judicium Gogravii evacuatur. Et ſic Comitis judicium eliditur, ſi Rex ejus ingreſſus fuerit Comitatum, ubi Rex & Comes ambo ſunt actores præſidiales. Sic etiam omnes judices in Regis præſentia, ſi actio ipſam non attigerit, ſuſpenduntur.* Hæc duo illa Specula. Quæ ſi locuta ſunt ex more ſui ævi, manifeſtum eſt priſcum Jus Regium, ætate Francorum uſitatum, hac quidem in re adhuc ſuperfuiſſe circa initium ſeculi quarti decimi. Hoc tamen vel aſſerere vel negare equidem haud auſim. Quicquid ſit; ab illo uſque tempore jus hoc magna ex parte omninò evanuit.

XCVI. Id præterea certum videtur: provocationes ad Regem fuiſſe omni etiam illo tempore licitas, & quidem in rebus quamvis levioribus. Cæterum poſtilla privilegiis de non appellando multis hoc modis reſtrictum eſt. Etenim jam ante Cameralis Judicii originem reperire eſt, aliis indultam immunitatem appellandi de certâ aliquâ pecuniæ ſummâ, aliis ſimpliciter vel non niſi quando præſens adfuerit Rex. Sic Lehmannus *l. 5 Chron. Spirenſ. c. 116. & c. 125* recitat privilegium Spirenſibus datum à Rudolpho I & Adolpho Naſſovio de non vocandis Spirenſibus in Judicium Cæſareum extra urbem ſuam, niſi

niſi quando ſit denegata juſtitia. Carolus IV. *Aurea ſua bullæ tit.* 8 Regi Bohemiæ illimitatam judicandi facultatem attribuit, aut potius confirmat: *t.* 11 aliquantò reſtrictiorem auctoritatem (liberam enim reliquit provocationem ſi juſtitia denegetur) etiam reliquis ſex Electoribus concedit. Id tamen neque à Palatino neq; à Brandenburgico obſervatum eſſe, vulgò narratur. Attamen per Rudolphum Cæſarem Secundum Sereniſſimo quidem Electori Brandenburgico iterum hoc eſt confirmatum, eoque nunc viciſſim in uſum rediit. Valent verò eâdem auctoritate & Archiduces Auſtriæ. Inter alias enim eminentiſſimas immunitates illi etiam hoc numerant: Daß von ihnen an einen Römiſchen Käyſer oder König/ noch an des Reichs Cammergerichte/ oder andere Gerichte/ nicht appelliret ſuppliciret noch revidiret werden kan. Item daß ſie mit keiner Sachen ſchüldig ſein für dem Reich zuſtehen/ ſie wollen dann gerne. Præter hos verò penè nulli non Ordinum data ſunt ſua quædam, magis tamen minuſque reſtricta, de non appellando privilegia. Quorum multa recenſet Friderus *l.* 1. *de Proceſſ. in Appendice*, multa ex eo tempore à variis demùm impetrata ſunt.

XCVII. Quamvis autem olim permiſſa promiſcuè omnibus fuerit provocatio ad Judicium Regium, raró tamen, ante quidem ſeculum quartum decimum, fuiſſe illuc cauſas adductas, facillimum cognitu eſt ex Aulici illius Judicii ipſa conſtitutione. Etenim eâ de re ita cautum eſt Friderico Secundo Cæſare anno 1236 *artic.* 24. Wir ſetzen auch/ daß des Reichs Hoff habe einen Hoffrichter/ der ein freyer Mann ſey/ der auch in dem Ampt zum wenigſten ein Jahr ſol bleiben/ der ſol alle Tage zu Gericht ſitzen/ ohn den Sontag und die heiligen Tage/ und ſol die Leute richten die ihm klagen von allen Leuten/ ohne Fürſten und

 andere

andere hohe Leute / wann es gehet an ihren Leib oder an ihr Erbe / oder an ihre Ehre / das wollen wir ſelber richten. Eadem verba repetuntur in Edicto Rudolphi I apud Lehmannum l. v. cap. CVIII: ut & in Edicto Alberti I apud Goldaſtum part. II Reichſatz. p. 27. Vbi *cap. 13 art. 5.* additur: Der Richter ſol auch haben einen ſonderlichen Schreiber der da beſchreiben ſol alle die in die acht kommen / und die Sache drumb ſie drein kommen ſeyn. Ad illum actuarium pertinent & ſequentes Articuli ad cap. uſq; XL. Hinc verò liquet, Judicium aulicum Imperatoris toto illo ſeculo decimo tertio unum duntaxat habuiſſe judicem & unum actuarium vel ſcribam. Non aliam fuiſſe illius Judicii rationem ſeculo etiam decimo quarto, abunde liquet ex illius ævi monumentis.

XCIIX. Cæterum decimo quinto ſeculo appellationes illæ cœperunt eſſe longè frequentiſſimæ. Cauſa autem hujus rei nulla fuit alia, quàm quod eo tempore præter antiquum morem litibus tota pene Germania cœperit abundare. Cujus mali cauſam multos Ordinum in Doctores Juris Romani tum retuliſſe, eòque illos ab omnibus judiciis & conſiliis voluiſſe abigere, ipſum quoque Jus Romanum Germaniâ omni ſtatuiſſe ejiciendum, manifeſtum eſt ex iis tabulis Reformationis quas habet Goldaſtus *p. 1.* Reichſatz. *p. 166.* Et verò negari nequit, pene illo ipſo tempore quo in Germania cœpit aliquis Romani juris uſus, ſimul magnam litium ſementem in fora noſtra ſparſam eſſe. Idque ipſum ſatis fuit accurate ab Ordinibus tunc obſervatum. Aſt non quod illi putabant, ſed in cauſa fuit partim ſimul tum introducta procedendi in foro ratio, Pontificiæ curiæ probata, longa illa ac moroſa; partim malorum rabularum maximæ perverſique ingenii partibus apertus tum ampliſſimus

pliſſimus campus calumniarum ac ſycophantiarum. Scilicet antehac procedendi illa ratio jam tunc dudum unâ cum Pontificio Jure pedem aliquem intulerat in Germaniam: aſt obtinuerat tantùm in foro Eccleſiaſtico, alibi ejus non niſi parùm ex eodem fonte jam manaverat, quantum hodieque videre eſt ex Speculis Juris Saxonici & Suevici. Attamen ut plurimùm ſimplex obſervatus fuit proceſſus in foris ſecularibus. Satis fuerit de ipſiusmet urbis Spirenſis judiciis audire teſtimonium Lehmanni *l. 4. Chron. cap. 21.* Was den Proceß in Rechtſachen anlanget / wiewol man vor Gericht und Raht in Rechtſachen gar langſamb den Brauch der Protocollen angefangen / ſo iſt aus denſelben / faſt vor 200 Jahren beſchriebenen / zu vermercken / daß von alters ein kurtzer Proces in allen Bürgerlichen irrungen gehalten / und ſchwere Sachen in zweyen oder dreyen GerichtsTagen auffslengſt erledigt worden. Es befindet ſich aus einen Protocoll / darin mehr als tauſend Urtheil eines Rahts / ſampt der Parteyen klagen und alten Handlung / ſo vor Gericht und Raht fürkommen / nicht alleine in Sachen der Bürgerſchafft zu Speyer / ſondern auch vieler Adelichen Perſonen auffm Lande / der benachbarten Städte Flecken und Dorffſchafften / ſo Entſchiedt und Urtheil vorm Raht zu Speyer vielfältig geſuchet / daß die Partheyen nuhr mündlich / und gar nicht in Schrifften / ihre Sachen entweder ſelbſt oder durch eines Rahts verordnete und beeydigte fürſprechen / nach Geſtalt der Sachen / entweder vor Gericht / ſo ſie dahin gehörig / oder vor dem Raht fürgetragen / der Kläger ſeine Klage kurtz ohne weitleufftigkeit doch zur Noturfft angebracht / der beklagte darauff ſeine einrede fürgewendet / der Kläger hinwieder repliciret, und der beklagte dupliciret, darneben jeder Theil ſein beweißthumb mit lebendiger Kundſchafft oder in ſchrifften dargethan. Hæc Lehmannus.

XCIX. Quum præter alia itaque mutata fuerit procedendi ratio in multis Germaniæ foris, non potuit non ſeges litium ſuccreſcere, atque adeo appellationum ad Judicium Cæſareum major ſolito copia naſci. Et verò ea appellationum inſolita multitudo permovit Cæſarem Ordineſque, de ſtato quodam & novo, hactenus Germaniæ haud uſitato, ſummo tribunali conſtituendo. Non enim ſimpliciter verum eſt quod vulgò fertur, originem ortam ex eo, quod Judicium Regium unà cum Cæſare ambulatorium eſſet. Ab antiquiſſimis enim temporibus illud ſemper fuerat vagum, (niſi quod judicium Miſſorum Regiorum fuerit quodammodo ſtabile) nec tamen hactenus ulla neceſſitas exegerat locum aliquem illius judicii ſtatum. At verò accedente illâ litium copiâ, utique neceſſarium fuit conſtans tribunal inſtituere. Multum hac de re deliberatum primò, fuit Maximiliano Cæſare anno poſt milleſimum quadringenteſim quinto nonageſimo. Spira verò Nemetum denique in hunc perpetuum uſum conſecrata eſt in Comitiis Auguſtanis anno poſt milleſimum quingenteſimum triceſimo. Conſtat nunc ampliſſimus ille conſeſſus Judice Cameræ Comitivæ aut Baronalis dignitatis, & quadraginta uno aſſeſſoribus, iiſque partim Romanis partim Auguſtanis fidei dogmatibus addictis. Conſtituuntur autem hi partim ab Imperatore, partim ab Electoribus, partim denique à reliquis Ordinibus, prout hi in Circulos diviſi ſunt. Proceditur autem in cauſis judicandis non ſummariè ut olim, ſed tractu longiore illo. Quamvis verò non liceat appellare à ſententiis hujus tribunalis, nec cauſas huc delatas aliò avocare, ſi tamen culpæ dolive arguatur Camera, petitâ intra juſtum tempus Reviſione aut Syndicatu, ad Cameræ Viſitatorum Iudicium recurritur;

tur, ſuſpenſâ interim executione ſententiæ in Cameræ tribunali pronunciatæ. Quo patet, ſimpliciter ſummam judicandi auctoritatem non penes Ordinarios tribunalis illius judices ſed ejus Viſitatores eſſe conſtitutam. Cæterùm Reviſiones ejuſmodi dudum penè nullæ haberi potuerunt, ob contentiones inter Ordines Catholicos & Evangelicos exortas. Illis nempe in Viſitatorum numerum non admittentibus eos, quibus lege publicâ jus hoc datum fuit. Quam lentè porrò cauſæ in foro iſthoc decidantur, docent querelæ publicæ Ordinum omnium. Inter Gravamina Evangelicorum Oſnabrugæ non adeo pridem hæc diſertis ſunt verbis propoſita: Daß es mit der *Adminiſtration* der Juſtiz zu Speyer dermaſſen langſahm und verzuglich zugehet / daß die Gerichtliche Proceß bey eines Menſchen ja offtermals Kindes und Kindes Kinder gantzen Lebenzeiten kaum zu ihrem endlichen beſchluß / zu geſchweigen Urtheil und *Execution* mehr gelangen können / und alſo der *finis juſtitiæ, ut jus ſuum cuique tribuatur*, ſo gar dabey nicht erreichet wird / das vielmehr *contrario plane effectu* andern bedrängten *ſub prætextu juris* daß ihrige *calumnioſè* auffgehalten wird: Ja ſie noch dazu was ſie anderweit übrig haben dabey auffwenden und auffſetzen müſſen. De multitudine cauſarum ibidem adhuc hærentium memoratu digna ſunt eorundem Evangelicorum Ordinum verba in iisdem *Gravaminibus*. Die Schuld ſolcher *immortalis litium diuturnitatis* iſt nicht ſo wohl denen *litigantibus*, *eorundem advocatis ſeu procuratoribus*, noch *Dominis Iudicibus & Aſſeſſoribus*, viel weiniger *prudentiſſimis legibus & ſanctionibus*, *etiam procedendi formæ modoque PER SE*, als vornemlich *immenſa cauſarum multitudini* zu zuſchreiben: Welche bereits auff viel tauſend zum Theil geſchloſſene / zum Theil noch obſchwebende Händel dermaſſen

erwachſen / das gleich wie bereit mit derſelbigen alleinigen Ercörterungen / die Herrn Aſſeſſores / auch in völliger anzahl länger dann ein gantzes *ſeculum* zu ſchaffen haben würden ; das im Fall noch immer zu noch newe Sachen dazu kommen ſolten / ſich ſelbige gar in *infinitum* aufhäuffen / und keine andere Mittel oder Hoffnung mehr zu der meiſten / oder zumahln jüngerer / Händel *expedition* und erledigung übrig verbleiben / und alſo in *effecto* derſelben *campana ſine piſtillo* ſein / und mehr den böſen und ſchuldigen zu mißbrauch / als denen bedrengten und unſchüldigen zu gute kommen würde. Hæc illi. Quæ omnia quantum abſint ab illo antiquo judiciorum ſtatu, nemini non eſt manifeſtum.

C. Præter hoc vero ſummum judicium Alterum quoque ſive natum fuit, ſive manſit ſuperſtes, in ipſamet aula Cæſaris, quod vulgò der Reichs Hoffrat nuncupatur. Cujus leges & ordinem primò Ferdinandus Cæſar anno ſuperioris ſeculi decimi ſexti quadrageſimo nono promulgavit, auxit Cæſar Maximilianus II anno ejuſdem ſeculi nonageſimo ſexto, plane novavit hujus ſeculi quartodecimo anno Matthias Imperator. Solius verò hactenus Cæſaris fuit illi ampliſſimo Judicio Senatores dare. Quamvis autem ante hoc ferale Germaniæ bellum, à Correſpondentibus Ordinibus hujus Judicii auctoritas acriter fuerit aliquamdiu oppugnata, tunc tamen etiam à plurimis Ordinibus fuit admiſſa : nunc ſanè à nemine fortaſſis in dubium ampliùs vocatur. Certè & in Tranſactione Pragenſi confirmatum hoc Judicium eſt, & hodiè neque Oſnabrugis neq; Monaſterii eâ de re diſputatur. Tantùm id malè habet Evangelicos, quod in Judicii hujus Senatum hodie ſoli fere Pontificii cooptentur. Horum enim quammulti cum odio proſequantur omnes Evangelicos, iniquis

inter-

interdum ſententiis illos prægravare feruntur. Verè itaque & hoc Judicium ſummo eſt per Germaniam loco, nullaque parte minus Spirenſi Camera. Quin majorem potiùs huic attribueris auctoritatem quam Spirenſi illi, quod illius decreta Reviſioni ſubjaceant, hujus omnia plerumque hactenus fuerint ἀνυπεύθυνα.

CI. HÆC fere eſt ſumma Judiciorum Germaniæ, V. ab antiquisſimis retrò temporibus ad noſtrum uſque ævum deducta. Brevibus reſtat ut exponamus, qua ratione fortaſſis nonnihil in melius vitia quædam, quæ nunc paſſim ſupereſſe monuimus, queant emendari. Ante omnia ergo ponendum *primò* quaſi extra controverſiam: ad id, ut reſpublica aliqua pleno fruatur majeſtatis jure neceſſariò requiri, ut ſola habeat in poteſtate ſuâ omnia Judicia illa ſine quibus integrè adminiſtrari non poteſt. Nec enim illa reſpublica, quæ exteris aliorum judiciis tenetur, ſive quoad omnia, ſive in multis negotiis, verè libera eſt & ſui juris. Quod ſi ergo Germanica reſpublica vere libera aliqua eſt reſpublica, profectò ejus membra aliorum judiciis nequaquam debent eſſe obnoxia. Ponendum *ſecundo* etiam hoc eſt: cuilibet reipublicæ liberæ competere plenum in ſuos cives judicium: eoque à judicio reipublicæ neminem civium poſſe eſſe immunem; qui autem eſt immunis illum ampliùs in civium numero ſaltim hactenus non eſſe. *Tertiò* ponendum: multum referre ad ſtatum reipublicæ, penes quem ſit poteſtas dandi judicis negotiis ſaltim potiſſimorum Ordinum: itaque prout debeat eſſe reſpublica etiam Germanica, Monarchica an Ariſtocratica an Mixta, ita etiam hoc jus oportere ut ſeſe aliter atque aliter habeat.

CII. Hinc manifeſtum eſt, ignominioſum eſſe reipublicæ Germanicæ id quod ſibi arrogans Papa Romani im-

ni imperium in Cæſares & Reges Germaniæ: adeoque manibus pedibuſque, quod ajunt, procul à cervicibus reipublicæ meritò hoc propellendum eſſe. Ex re igitur fuerit, non tantùm ipſis Hildebrandinis conatibus, ſi quando fortaſſis recruduerint, omnem reipublicæ potentiam opponere, verùm ne doctrinam quidem illam momento ullo perferre ac pati. Ad exemplum ſcilicet Gallicani Regni, quod hæreſios illius damnum cum vetere Germanicâ expertum, libros iſtius argumenti manu carnificis è medio tollit. Nec verò eſt quod blandiamur nobis exemplo Hiſpaniæ, cujus Rex ſecurè doctrinam illam tolerat. Multùm enim utramque inter rempublicam, ſpectatâ regentium potentiâ, intereſt. Fortè autem & Hiſpania aliquando ſecuritatis ſuæ luet pœnas. Sixtus ſane V, animoſus Papa, nihil ipſius Philippi II potentiam veritus, parùm abfuit quin & in illum vibraret ſacrum fulmen. Et verò quid expectare nos jubeat Curia Romana vel ex eo liqueat, quod non adeo pridem ipſum Hildebrandum divorum ordinibus inſeruerit. Certè, ut excommunicandi vim Papæ relinquamus, neutiquam tolerandum tamen fuerit, quod idem ſolvere ſubditos queat fidelitatis ſacramento, aut aliis muneribus civilibus quidquam impedimenti parere. Multò minùs toleranda eſt propudioſa illa doctrina, de ſingulari dominio Papæ in Cæſares tanquam Vaſallos ſuos. Sanè ut ex re ſuâ eſſe judicavit Hiſpanus, Baronii adverſus Siculam Monarchiam diſputationem omnibus ſuis terris arcere; ita conſultum fuerit, ex ipſo etiam Pontificii Juris Corpore canones & conſtitutiones Papales Germaniæ ignominioſos auctoritate publica tollere, vel ſaltim eos damnare.

CIII. Similiter non permittenda ampliùs Papæ eſt juriſdictio in Epiſcopos aut Clerum reliquum, multò

minus

minùs in alios & bona publica Imperii. Etiam hoc enim pugnat cum αὐτοκρατείᾳ reipublicæ Germanicæ; ut taceam quàm ſit noxium, cauſas ex Germania Romam trahi. Et verò ſatis commode omnia poterant revocari ad inſtituta veterum Canonum, de quibus jam tum ſupra aliquid innuimus. Cumque Epiſcopi noſtri & Abbatum multi ſimul Principes agant, profectò cognitio de eorum vita, moribus, & in univerſum de civilibus ac criminalibus eorum cauſis, ad rempublicam Germaniæ omnino pertinet. Alioquin enim reſpublica non habeat juriſdictionem in ſuos cives. Quo nihil eſt abſurdius. Ipſe Bellarminus *l. contra Guil. Barclajum p. 585. editionis Colonienſis* concedit, jus fuiſſe Carolo V proſcribendi Hermannum Archiepiſcopum Colonienſem, quod eſſet Princeps Germaniæ. Ne merè Eccleſiaſticæ quidem cauſæ extra omne reipublicæ judicium debent eſſe. Sanè exemplo præiverunt hac in re ſuo, non tantum Cæſares Romani priſci, qui à Conſtantino Magno floruerunt, ſed ipſe etiam Carolus Magnus & Ludovicus, ceu ex hiſtoriis notiſſimum eſt. Certe quod Galliæ in Clerum ſuum licet, id utique licet etiam reipublicæ Germanicæ. Numerat autem illa delicta quædam gravia, *privilegiata* dicta, (cum tamen rectiùs deberent dici *communia*, ut etiam cenſet Milletotus) quorum cognitio & judicium pertinet ad magiſtratus ſeculares. In univerſum ſanè nihil eſt ulli reipublicæ magis adverſum, quam ſi non tantum vivant in civitate, ſed etiam bonis publicis imò maximis gaudeant, qui reipublicæ legibus & judiciis non tenentur.

CIV. Porro ſi reſpublica quidem Germanica non debet eſſe παμβασιλικὴ, ſed in partem majeſtatis veniunt Ordines Regni, manifeſtum eſt, cauſas Ordinum, quæ quidem vitam & dignitatem vel bona potiſſima attinent, de-

cidendas eſſe non in alio judicio quam quod ipſi quoque Ordines inſtituerunt. Itaq; aut antiquus & ab omnibus retrò ſeculis uſitatus mos, Principum cauſas Regis & Parium judicio committendi, fuerit obſervandus, aut vero tribunal aliquod in hunc uſum, communi reipublicæ auctoritate, inſtituendum. Communi, inquam. Neque enim temerè permittendum, tantæ ut cauſæ vel citra Regis vel citra Ordinum mentem & ſententiam judicentur: utpote quum ad reipublicæ ſummam pertineant, ſumma autem iſthæc penes illos conjunctim ſit, niſi fallimur. Fortaſſe verò apprimè etiam in rem fuerit, ſi omnes illæ controverſiæ quàm citiſſime finiantur, atque adeo in eorum judiis proceſſus obtineat quàm ſimpliciſſimus, & qualis ante hos ducentos annos ſemper in uſu fuit. Animorum enim diſtractionem pariunt lites: nihil autem in omni republica perniciofius, quam ſi Principes & Optimates inter ſeſe ſtudiis collidantur; quæ vox eſt omnium ſapientum & magno (proh dolor!) Germaniæ malo comprobata. Et verò ſolito majus periculum eſt à controverſiis Ordinum ſi reſpublica ſit liberior. Aureum ſanè aſſertum eſt Taciti: *periculoſiores ſunt inimicitiæ juxta libertatem.* Ad hæc cum executio iſtiusmodi ſententiarum prudenti conſilio Circulis ſingulis ſit commiſſa; fortaſſis haut abs re fuerit, ſi pecunia & apparatus bellicus ſingulis Circulis fuerit ad manus, cùm ad alium reipublicæ uſum, tùm ad cogendos illos qui viribus ſuis freti latis juſtè ſententiis obtemperare detrectant. An non porro loca munitiora refractariorum, aut alia eorundem bona, per vim occupata, publico uſui totius Circuli ſervare præſtet, quam diruere aut uni alterique privatos in uſus concedere, judicent prudentiores.

CV. Haud obſcurum præterea eſt, longè fore utiliſſimum Eccleſiæ, ſi Epiſcopi & Abbates ſolis ſacris vacantes

ſecula-

ſecularem juriſdictionem Cæſari & judicibus ſecularibus ultrò permittant. Quemadmodum in Gallia anno 1320 Philippo Pulchro Regi eam conceſſit Clerus Gallicanus. Sed hoc optari fortaſſis licet quidem, non ſperari tamen: quoniam à multis jam ſeculis aliter obtinuit, nec tenetur quis jure quæſito cedere.

CVI. Illud vero omnino par eſt & juſtum, ut Judicia omnia ita ſint inſtituta, ne cuiquam partium ſint gravia. Eoque cum (eheu) religionis diſſidium in odium mutuum plurimos traxerit, quo magis æqualiter omnibus jus dicatur, omnino iis locis ubi utriuſque religionis ſociis litigandum venit, Aſſeſſores judiciis dandi ſunt utriuſq; itidem religionis. Multò maxime ergò id, oportet ut obtineat in ſummis Germaniæ tribunalibus. Certe id niſi fiat, tametſi judices optime etiam functi fuerint officio ſuo, nunquam tamen deerit malè ſuſpicandi cauſa; quæ eſt perpetuum diſcordiæ fomentum.

CVII. Omnino deniq; danda eſt etiam atque etiam opera, ut litium hæc multitudo & diuturnitas, quæ haud multò minùs perdit Germaniam atque vis militaris, emendetur. Quod ipſum fortaſſis poterit fieri, ſi in temere litigantes omnes, & ſeorſim in litium iniquos patronos, graviſſimis pœnis animadvertatur: ſi judicibus nihil ex partium ſportulis aut muneribus ſit exſpectandum, ſed cogantur illi ſuis ex publico ſtipendiis eſſe contenti: ſi proceſſus judicarius ad priſcam ſimplicitatem, qua tot ſeculis floruit Germania, quæq; in omnium veterum rerum publicarum optimarum foris, in ſuis Hebræorum ab ipſo Deo, fuit probata, ſi non omni ex parte, ſaltim potiore reducatur: ſi poſtremò, quæcunq; in controverſiam trahi ſolent, ſingulis in locis, legibus plebi etiam quoad fieri poteſt perſpicuis definiantur. Certè quamdiu omnia hæc in Germania ſunt obſervata litibus

nuſquam laboratum fuit. Iniquum porrò fuerit, in id ut judices locupletentur & creſcant au&orirate, lites protelare: cum judicia non ad horum ſed ad totius populi commodum debeant inſtitui in omni republica quæ non ſpectat ſolam dominantium utilitatem.

CVIII. Num in remedium liceat laudare Privilegia quæ vocant de non appellando, meritò fortè dubitaveris: quoniam eo ipſo & plebis libertati & ſummæ reipublicæ au&oritati perinde fortasſis detrahitur. Attamen niſi illa quæ modò diximus, obſerventur, juvare illa privilegia ad litium citiorem finem, fatendum eſt. Quod ſi profectò haud placuerit iis remediis quæ laudavimus uti, omnino vel appellationes ad fora Regni ſumma præcidere magis magisque ex re fuerit, vel verò in ſingulis Circulis ſumma tribunalia publicâ Imperii au&oritate ſunt conſtituenda. Non enim hiſce moribus duo quæ nunc ſunt tribunalia publica litibus finiendis ſufficiunt, ſed numerus illorum augendus fuerit Gallici Regni exemplo.

EXER-

EXERCITATIO SEPTIMA
DE
CONSTITVTIONE EPISCOPORVM GERMANIÆ.

HABITA XXVI MAII ANNI cIↄ Iↄc XLVII.

RESPONDENTE

HENRICO JVLIO Blume HANNOVERANO.

DE Germaniæ Epiſcoporum conſtitutione, quemadmodum ab initio uſque habuerit ſeſe, utque ſit in hunc ſtatum deventum; præterea, num, qui nunc obtinet mos, Reipublicæ ſit atque Eccleſiæ utilis, nec ne, & ſi non eſt utilis, quænam ratio potiùs ſit obſervanda: agere conſilium eſt. Verùm id antequam aggrediamur, fortaſſis fuerit pretium operæ, nonnulla de Chriſtianæ religionis in Germaniâ primordiis præmittere.

II. Incertum autem omninò eſt, quando primum Germanicæ gentes Chriſtianâ fide imbui cœperint. Iam Apoſtolorum ætate perlatum ad eas Evangelium, ſunt quæ fidem facere videantur. Εἰς πᾶσαν τὴν γῆν, inquit enim de Apoſtolis D. Paulus, ἐξῆλθεν ὁ φθόγγος αὐτῶν, καὶ εἰς τὰ Rom 10.
πέρατα τῆς οἰκουμένης τὰ ῥήματα αὐτῶν. Et verò in Æthiopiam 18.
& Indiam, quas inter extremas fermè Africæ & Aſiæ provincias quis numeraverit, perveniſſe Apoſtolos, cùm veteres memorant, tum quod Maliaporæ hodie-

num viſitur S. Thomæ ſepulchrum, fidem fortè fecerit. Fortè inquam: non enim certo affeveraverim: quia aliud negant perquam probabili narratione, Thomam illum cui Indi iſti Chriſtianam religionem debent, fuiſſe ſequioris aliquem ævi Neſtorii ſententiis infectum. Quicquid autem hujus quidem fuerit, quum Apoſtoli tam longinquas, & procul à finibus Romani Imperii diſſitas gentes adierint, Germanicas, ſaltim illas quæ Romanis fuerunt ſubditæ nec ab Italia ita longe remotæ, ab iis præteritas, haud videtur veriſimile. Theodoretus ſanè *libro nono de Curationibus Græcarum affectionum*, inter gentes ab Apoſtolis converſas Germanos quoque & Britannos numerat. Is verò, qui, ſub Dorothei Tyri Epiſcopi nomine, Synopſin de vitis Apoſtolorum & ſeptuaginta diſcipulorum commentus eſt, Apoſtolum quoque nominat, qui Germaniam adierit: Thomam enim ait *Germanis, Hircanis, Bactris & Magis prædicaſſe*. Cæterùm nihil horum probando inſtituto ſatis eſt. Nam ſacris quoque ſcriptoribus αὐξήσεις ex vulgari loquendi conſuetudine hauſtæ ſatis frequentes ſunt, ut proinde πᾶσα γῆ hîc non niſi potiorem cultioremque tunc terræ portionem fortè ſignificet. Et vero in extrema etiam Americæ penetraſſe Apoſtolos probari non poteſt; debeant autem etiam huc perveniſſe, niſi αὔξησις admittenda ſit. Porrò cum ex Actis Apoſtolicis conſtet, Apoſtolos à S. Spiritu nonnunquam iis locis, ubi degebant, prohibitos eſſe prædicare Evangelium, quidni fieri potuerit, ut in minùs remotas terras non ierint? Certè omnis illa Evangelii prædicatio, ſingulari Dei conſilio & ex ſingulari gratia fuit inſtituta; gratiæ autem divinæ menſuram ſcire non eſt noſtrum. Theodoretus præterea non eſt idoneus teſtis rerum quæ tot ante ſeculis ſunt geſtæ; certe non eſt cur illi uni

Vid. Baron. ad an. 44

tutò

tutò fidem adhibeas. Adhæc liber ille, qui Dorothei nomine circumfertur, ex fabulis & mendaciis fere totus eſt conſutus; tum etiam ſine dubio Caramannis ibi legendum fuerit, non Germanis. Nullum Apoſtolorum quoque Germanis Evangelium prædicaſſe, quis dixerit fortaſſis eo argumento, quoniam in Occidente ſola Romana Eccleſia cathedra audit Apoſtolica. Non eſt autem firma hæc etiam collectio. Audit enim fortaſſis ita ſola Roma, quia nuſquam alibi in Occidente Apoſtolorum aliquis ἐπισκοπὴν Eccleſiæ geſſit, quod â S. Petro Romæ eſſe factum vetus & dudum recepta per orbem traditio eſt. Cujus fundamentum fortè eſt in ipſâ S. Petri Epiſtolâ Babylone i. e. Romæ ſcriptâ, ubi ſeſe συμπρεσβύτερον vocat, quod eſt ex more loquendi tum uſitato coëpiſcopus, quo nomine alius quiſquam Apoſtolorum ſeſe haud appellavit. Cæterùm Apoſtolorum ne aliquis docuerit noſtros Germanos nec ne, in dubio potius relinquendum eſt; quum nihil ſuppetat, quo id certò vel affirmare vel refellere in promptu ſit.

III. Majori veriſimilitudine dixeris, ſaltem viros Apoſtolicos in nonnullas Germaniæ provincias penetraſſe. Et verò ſi rerum Germanicarum ſcriptoribus, ac vulgatæ famæ fides aliqua habenda eſt, non pauci eorum in Germaniam pervenerunt. Eucharium utique Valerium & Maternum, Petri quondam diſcipulos, Trevirorum Vbiorum & Tungrorum primos doctores & Epiſcopos facit Marianus Scotus. Eadem fere de iis tradit Albertus Stadenſis. Laureaci quoque, quod eſt in Auſtriâ oppidum ad Anaſum fluvium, Marcus, cujus Paulus in Epiſtola ad Philemonem & Timotheum meminit, & Auguſtæ Vindelicorum Lucius, & ipſe Pauli σύνεργος (quem Lucium quendam Britanniæ Regem nobis fingit Sigiſmundus

lib 2. at. 6.

Anno 47.

mundus Monachus in *Chronico Auguſtano*) Vindeliciæ & Norici gentibus Chriſti fidem tradidiſſe, Aventino dicuntur. Mediomatrices Clementem patruum Clementis Epiſcopi Romani, Leuci Manſuetum primos ſuæ ſalutis auſpices dicunt. Vindoniſſæ Sequanorum urbis Beatum quendam Petri diſcipulum ex Britannia reducem; Epiſcopum fuiſſe, tradit Franciſcus Guillimannus. Sunt qui Creſcentem quem Paulus in Galatiam ſcribit abiiſſe, Moguntinæ Eccleſiæ primum autorem profitentur. Quod videri poſſit veriſimile, quoniam ille Euſebio memoretur à Paulo in Galliam miſſus, Galliæ autem olim acenſita ſit Germania ſaltem transRhenana. Sed quis tutò hiſce narrationibus fidem habeat? Nam & Euſebii illud teſtimonium profectò nihil de Moguntiaco probat. Cui verò ignota ſunt inſcita otioſorum Monachorum figmenta? in quibus tamen colligendis præ cœteris ſtudioſus fuiſſe videtur autor Magni Chronici Belgici Canonicus Regularis S. Auguſtini, ſui ſeculi morem ſecutus. Certè utut illa nobis manifeſtæ falſitatis facilè arguere non liceat, fidem tamen iis omnino adhibere temerarium fuerit. Uti enim rerum civilium, quæ hiſce temporibus in Germania acciderunt, tenuis admodum inq; Romanorum tantùm ſcriptis ſupereſt memoria: ita Eccleſiaſticarum rerum longe ſupereſt tenuior, vel nulla potius. Si qua verò ſuperat, à fabulis haud multum abeſſe videtur. Forte ſanè licuerit aſſeverare, illa quæ de hiſce tradunt Germaniæ ſcriptores, & catalogos Epiſcoporum quos texunt, paris eſſe autoritatis, cujus eſt illa ſeries antiquiſſimorum Regum Germaniæ à Tuiſcone uſque non interrupto ordine contexta, vel quæ de origine gentium Germanicarum inſcitè ut pluriꝛum & ineptè tradunt antiqui, uti Paulus Diaconus de Longobardis, & ille

lib. 11. cap. 1. in Helvetia. [margin note beside "Epiſcopum fuiſſe"; partly illegible: *lib 11. cap. 1. in Hasbur-giacis.*]

totus

totus ex mendaciis compoſitus Hunibaldus de Francis,
cujus figmentorum (quod obiter fas ſit memorare)
Philippus Cluverius doctiſſimus vir Trithemium au- *Germ.*
torem immeritò facit, cum eadem penè fabularum por- *Antiq.*
tenta apud complures antiquorum, Sigebertum Gem- *l. 1. c. 3.*
blacenſem, Epitomatorem Gregorii Turonenſis, alioſ-
que, magno conſenſu, etſi non eo ordine nec tanto ver-
borum apparatu, inveniantur.

IV. Hæc quidem igitur incerta ſunt omnia, quibuſ-
que tutò fidem non habeas. Indubitati tamen teſtes ſunt
rerum Ecleſiæ veterum Irenæus & Tertullianus. Vterque *Lib. 1.*
autem Germanicarum Eccleſiarum meminit. Ille quoque *adv. hær.*
ſimplicem & orthodoxam Germanicarum gentium fidem *c. 3.*
commendat. Vt proinde nullum ſit dubium, jam tum *Adv. Iu-*
ſeculo ſecundo Catholicis Eccleſiis Germaniam, ſaltem *daeos c. 7.*
illam quæ juris fuit Romani, patuiſſe. Quod verò at-
tinet, quæ de Gereone ejuſque ſociis, actis Afræ vir-
ginis, & cæteris martyribus, quos Rictiovarus Galliarum
præfectus immani crudelitate Auguſtæ Trevirorum ma-
ctaverit, in Martyrum actis & Sanctorum vitis habentur,
non libet ea huc adferre. Qui illa ſcire volet, Martyro-
logia, Helinandum, Auguſtana Velſeri, & Baronium *Tom. 3.*
conſulat. Multò minus narrabimus de Vrſula & unde- *Ann. ad*
cim mille virginibus Agrippinenſes gerras: quoniam illæ ſe- *annum*
culo demùm duodecimo cœperunt confingi, jamq; illarum *297 &*
puduit Romanos ipſos Martyrologii correctores, qui *303.*
ergo pro *undecim mille virginibus* ſubſtituerunt *Vrſulam cum
ſociis*. Enimvero compertum eſt, illam partem Hiſtoriæ Ec-
cleſiaſticæ, ſi quam aliam, maximè fabuloſam eſſe. Qua de
re legere ipſummet Baronium *cap. 1. & 3. prolegomenorum ad
Martyrologium Romanum*, fuerit haud abſque pretio operæ.
Vt igitur narrandi talia ſatius fuerit labore ſuperſedere. Ma-

jorem longè fidem mereantur acta quædam Conciliorum, quæ hodie adhuc ſuperſunt. Ex iis autem conſtat, fuiſſe in Germania ſeculo quarto haud incelebres Eccleſias, ſaltimColoniæ Agrippinæ & AuguſtæTrevirorum. Vtriuſque enim civitatis Epiſcopos interfuiſſe concilio primo Arelatenſi, à Conſtantino M. anno CCCXIV coacto, manifeſtum eſt ex ſubſcriptione Epiſcoporum Concilii Arelatenſis ſecundi quæ huc referri debet. Vterque ſane Agricius Trevirenſis & Maternus Colonienſis ad Silveſtrum Papam Romanum de iis quæ in Synodo iſthac ſunt acta perſcripſit; quam Epiſtolam ex Petri Pithœi biblio-
Anno theca depromptam recitat Baronius. Præter hos autem,
314. etiam Nemetes, Vangiones, Argentinenſes, ſive Tribocos, Mediomatrices, Ambianos, Rauracos, & Tungros, Epiſcopos habuiſſe, acta Concilii Provincialis Colonienſis, à quo Euphrates, vel ut aliquibus dicitur, Offracta, Epiſcopus Colonienſis ob hæreſin Arianam anno CCCXLVI Epiſcopatu pulſus eſt, docent. Non enim, uſque adeo interpolata illa eſſe, ut nullam omnino me-
Anno reantur fidem, argumenta Baronii evincunt. Sed quid
346. multis opus? Fuiſſe hoc quidem tempore in Germaniâ ſaltim Romanorum, neque paucas neque obſcuras Eccleſias, ex hujus ætatis ſcriptoribus ſic ſatis apertè liquet. Vel Hilarii Pictavienſis Epiſcopi ad Coëpiſcopos Germaniæ primæ & ſecundæ Epiſtola hujus rei fidem fecerit; ut nihil nunc de Synodo Auguſtæ Trevirorum contra Priſcillianiſtas imperante Maximo Antecæſare habitâ, nihil de Epiſcopis Germaniæ, qui Sardicenſi Concilio interfuerunt, nihil denique de Trevirenſibus, Tungrenſibus, Colonienſibus, & Moguntinis Epiſcopis, quorum apud Athanaſium, Hieronymum, alioſque haud infrequens mentio, nunc dicam. Hæc enim omnia, ſi confe-

ras, fuiſſe tunc in illa ſaltim Germaniâ ſic ſatis florentes numero pietate & orthodoxa fide Eccleſias, docent.

V. Verùm hæſit fortaſſis cultus hic omnis religionis Chriſtianæ in ſolâ Germaniâ primâ & ſecundâ, Romani Imperii provinciis; Belgicâ item utrâque; Vindeliciâ quoque & Norico, quæ etſi hodie Germaniæ accenſeantur, eâ tamen ætate Germaniæ nomine, quod ab Illyricis gentibus habitarentur, non veniebant. Vt Rhenus ac Danubius, tunc quidem temporis, velut Romani Imperii in Germaniâ limes, ſic & Chriſtianæ religionis fortè fuerit. TransRhenanam Germaniam, quæ & Magna olim eſt dicta, expertem adhuc veræ fidei fuiſſe, veroſimilius eſt. Non enim quicquam moror, quod de Ægiſto & Mariano ejus Diacono ex Henrico Hervordienſi, VVernero Rolevinckio, & Alberto Crantzio tradit doctiſſ. Meibomius in Hiſtoria urbis Bardevici. Commentum enim id indubie eſt; perinde ut illud omne, quod de ſummâ illius urbis antiquitate fingitur, cum vix ante Henricum Aucupem ulla conſtet fuiſſe in Saxoniâ oppida mœnibus quidem cincta. In Magnâ igitur Germaniâ, vel illâ ætate vel ante eam, Chriſtiana ſacra fuiſſe recepta, nullis fide dignis teſtimoniis probare eſt. Nec tamen, quoſdam ex vicinis Rheno gentibus hujus etiam Germaniæ Chriſtianam fidem inſtitutos, vero eſt abſimile. Integros autem populos ad eam adductos, non videtur; idque quoniam gentes omnes Germanicas, quæ Romani Imperii provincias pôſt occupaverunt Tranſrhenanâ ac TransDanubiana Germaniâ relicta, idolorũ cultui addictas fuiſſe, conſtet. Egreſſa autem finibus ſuis eſt innumerabilis vis Germanicorum populorum ſeculo quarto & quinto, & totum Occidentem Romanum quaſi inundavit. Primi verò ex iis Gothi, cùm Oſtrogothi tum Weſtrogothi, Chriſtiana ſacra ſuſceperunt: ſed cum in do-

ctores Arianos incidiſſent, ipſi quoque eâ labe infecti Imperium Occidentis fidemq; orthodoxam multum afflixerunt. Supereſt hodieq; illa quâ uſi ſunt Novi Teſtementi verſio, quæ fortaſſis Vlphilæ debetur illorum Epiſcopo. Eadem vero fuit Vandalorum infelicitas. Proximi ab his Burgundiones Chriſto nomen dederunt, inde Heruli, Suevi Hiſpaniæ, Franci Galliæ incolæ, Langobardi Italici, ut & Saxones illi qui in Angliam tranſierunt. Idque felicius. Nacti ſcilicet magiſtros Catholicæ fidei addictos, quum jam ipſi conſuetudine cum gentibus cultis facti eſſent cultiores, Chriſtianum cœperunt profiteri nomen.

VI. Sed de hiſce populis, cum extra Germaniam vixerint, plura addere operæ pretium fortè non fuerit. In ipſâ verò illâ Germaniâ adeo non fuit propagata Chriſtiana religio, ut etiam alibi propemodum mole barbararum gentium fuerit oppreſſa. Quam ſanè ab iis cladem Germaniæ & Gallicæ propriè ſic vocatæ Eccleſiæ jam illo tempore ſint paſſæ, vel Hieronymus nos docuerit. Fuit vero ea levis præ illâ, quam ſub Attila acceperunt. Profligatâ ſanè tunc Chriſtianâ fide, cis Rhenum quoque tam altas idololatria egit radices, ut de eâ ſuo adhuc tempore conqueratur in Epiſtolis Bonifacius. Trans Rhenum quicquid gentium erat, idolis adhuc ferè omne tunc ſerviebat. Sed & hæ denique à viris piis edoctæ Chriſtiana ſacra ſuſceperunt. Noricum & Vindeliciam Germanicæ jam gentes inſederant. Hos igitur Severinus verâ fide imbuit. Boii Rupertum habent Francorum antè apoſtolum: Helvetii Gallum: Suevi Columbanum: Franci orientales Kilianum. Thuringorum quoque pars bona nomen Chriſto jam ſeculo octavo dederat. Nondum omnis tamen profligatus tunc fuit paganiſmus. Multum enim ejus adhuc ſeculo iſthoc octavo reliquum erat: cui tamen tollendo egregiam ſane navavit operam Bonifacius Moguntinus Archiepiſcopus, homo Anglus. Vti enim Scoti

Ep. xi.

ante

ante in barbaris gentibus erudiendis aſſidui fuerant, ita hac ætate Angli eandem inſtituerunt viam. Latè tum patebat Friſiorum nomen in omni Oceani Germanici littore. Ad eos ergo a Pagana religione ad Chriſtianam convertendos miſſi complures ab Egberto Eboracenſi Archiepiſcopo. Inter eos autem VVillibrordus Trajecti ſedem fixit, Svidbertus primus Verdenſis Eccleſiæ Epiſcopus fuiſſe dicitur, & Saxonum Friſiorumq; Apoſtolus appellatur. Alii alibi prædicarunt. Fertur Svidberti vita quaſi deſcripta à Marcellino, qui unà cum ipſo ex Britannia venerit, dicata Gregorio Trajectenſi Epiſcopo; ex qua ſane liquet, Svidbertum Weſtphalos Bructuarios & Saxonas adiiſſe. Quin imo ſi Marcellino illi fides, Brunſuicum etiam venerit. Ita enim ait, *Suidbertus venit in grandem vicum dictum Brunſuik, ibique convertit multos*, & dein Satrapæ in Brunſuick meminit. Verùm hoc quidem, perinde atq; illud quod de Hollandia ibi habetur & ſimilia complura (quod etiam advertit Vorburgius) eſt a mala manu: conſtat enim, Brunſuici nomen eſſe à Brunone Saxonum Duce, primo conditore, ſatis diu pôſt Carolum. Sed tamen etiam ante Carolum illum Magnum quoſdam Saxonum Chriſto nomen dediſſe, nolim equidem diffiteri. *Cap.* 17. *Cap.* 18.

VII. Quicquid autem alii illi demum præſtiterint, maxima tamen propagatæ & reſtauratæ per Germaniam Chriſtianæ religionis gloria penes Carolum Imperatorem & Bonifacium manet. Hic ſanè quiquid erat inter Rhenum & Viſurgim populorum, inprimis Friſios, Chriſtianam fidem docuit; qui verò eorum (erant autem non pauci) Chriſtiana ſacra jam ante receperant, hos confirmavit, iiſque diſciplinam legeſque Eccleſiaſticas ſanxit. Benè an ſecùs omni ex parte ſeſe geſſerit, nunc non diſputabimus. Quas ſane Epiſtolas ejus edidit Serrarius, illæ ſatis pro-

dunt, hominem multa ſuperſtitione & rudiiate laboraviſſe, Zelo tamen imbutum pietatis promovendæ. At verò Carolus Magnus etiam ultra Viſurgim habitantes populos Germanicos, horum ſaltim principes Saxones, ſimul perdomitos, ad ſalutarem fidem, quoad fieri tunc potuit, adduxit. Apprime huc faciunt, quæ Adamus Bremenſis libro primo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ tradit, & iiſdem verbis repetit Albertus Stadenſis in hiſtoria ad annum 755. *Primus omnium*, inquit, *qui Auſtrales Germaniæ partes idolorum cultui deditas ad cognitionem doctrinæ ac Chriſtianæ religionis adduxit, VVinifridus erat, natione Anglus, verus Chriſti Philoſophus, cui poſtea cognomentum ex virtute erat Bonifacius. Et quamvis alii ſcriptorum, vel Gallum in Alemanniâ, vel Hemeranum in Bajoariâ, ſive Kilianum in Franconiâ ſeu certè VVillebrordum in Friſiâ priores verbum Dei aſſerant prædicaſſe, his tamen omnes alios, uti Paulus Apoſtolus, ſtudio & labore prædicationis antevertit. Ipſe enim, ut in geſtis ſuis legitur, Apoſtolicæ Sedis autoritate fultus, legationem ad gentes ſuſcepit, Teutonumq́ apud populos, (apud quos nunc & ſumma Imperii Romani & divini cultus reverentia viget ac floret) Eccleſias doctrinâ virtutibusq́ illuſtravit. Quorum etiam provincias ac Epiſcopatus diſtribuens, ſeorſim Francos cis Rhenum, Haſſones, ac Thuringos, qui Saxonum confines ſunt, primitivo quodam laboris ſui fructu Chriſto & Eccleſiæ copulavit.* Thuringis & Haſſis, haud malè fortaſſis & illos addas, quos Gregorius III Papa in Epiſtola ad univerſos optimates & populum provinciarum Germaniæ commemorat; Bortharos, Niſtreſos, VVedreſios, Sudvodos, & Graffeldos. His enim idem Bonifacius præfuit; utut, qui populi hiſce nominibus veniant, nemo temere nunc intelligat, niſi quod veroſimile ſit, indigitari ſingulares populos Wetteraviæ alioſque Haſſorum nunc communiore voce appellatos.

VIII.

VIII. Etſi vero Bonifacii & Caroli Magni Imp. operâ & ſtudio ingens ad Chriſtianam religionem Germanicarum gentium acceſſio facta fuerit, ampla tamen adhuc Germaniæ pars idolis ſerviebat. Vt proinde juſto jactantius loquatur Baronius, quando *Tomo nono*, *in anno 731* ait: Germanos Eccleſiæ Romanæ, à qua Bonifacius prædicare Evangelium miſſus ſit, quicquid novatores obſtrepant, leges, diſciplinam, vitam cultiorem, & veram de Deo notitiam debere. Etenim jam anteaquam adiiſſet Romam Bonifacius, Friſiam, illi genti prædicaturus, adierat, teſte Wilibaldo *cap.* 4: non etiam primum præconem egit Evangelii Bonifacius, tot jam gentibus converſis: neque rem omnem ille confecit, bona & latiore Germaniæ parte denſis adhuc tenebris tum circumſepta. Hanc nimirum Venedicæ ſeu Slavicæ Venedorum gentes ex Sarmatia olim tranſgreſſæ pridem inſederant, & ſub diverſis nominibus VVilizorum, Soraborum, Obotritorum, Kiſſinorum, Hevilorum, Circipanorum, aliſque compluribus (quæ ſatis accuratè perſequitur Adamus Bremenſis *libro ſecundo*) quicquid ferè ad Albim, Viadrum, & Viſtulam provinciarum erat tenebant. Ab his autem avita ſacra tantâ contentione & pertinaciâ ſunt defenſa, ut genti ipſi excidio illa ferme fuerit. Belligeratum nempe cum iis eſt per quatuor ſecula, prius quam vinci poſſent, ut in recepta religione Chriſtiana armis ſibi impoſita acquieſcerent. Finem utiq; bello impoſuit denique, fortiſſimus Saxonum Princeps Henricus Leo, regulo Pribislao ſæpius victo & Obotritorum gente tantum non penitus deleta. Hiſtoriam omnem Venedicarum gentium, quæue initia & qui progreſſus apud eas religionis Chriſtianæ fuerint, accurate ſatis perſequuntur Arnoldus Lybecenſis, & Helmoldus Butzovienſis Canonicus. Mihi in re ſatis comperta diuti-

diutiùs jam immorari, & diſtinctè, à quibus & quo tempore ſingulæ gentes converſæ, perſcribere vetat propoſitum. De initiis ergò Chriſtianæ religionis in provinciis Germaniæ hæc pro inſtituti ratione nunc ſufficiant.

IX. Cum vero conſtitutio Epiſcoporum Eccleſiarum Germaniæ, à primis initiis Chriſtianæ religionis in Germania, repetenda mihi ſit; an ab eo uſque tempore, quo primum gentes quædam Chriſtianam fidem amplexæ ſunt, fuerint quidam Epiſcopi in Germania etiam, inquirendum nunc fuerit. Nec enim ulla Epiſcopi cujuſpiam Germaniæ apud veteres, ante quartum quidem ſeculum, mentio fit. Cum tamen ceu antedictum, priſci ſcriptores Eccleſiarum Germanicarum meminerint, Epiſcopos iis præfuiſſe, nobis quidem nullum dubium eſſe nunc poteſt. Cæterum hic ſtatim initiò eſt obſervandum, prima Eccleſiæ ætate *communi Presbyterorum conſilio Eccleſias gubernatas* eſſe, qui promiſcuè omnes & Epiſcopi & Prebyteri audierunt. Bene ſanè probat S. Hieronymus *Comm. in Epiſt. ad Titum* I. 5. illam *æqualiter inter plures Eccleſiæ curam diviſam*, teſtimoniis variis ex Epiſtolis Pauli, Petri, & Apoſtolorum Actibus petitis. Etiam tum nihilominus Presbyterorum illa ſingula collegia unum aliquem ſuorum tanquam caput agnoverunt. Ad exemplum nempe Synagogarum Iudaicarum, quarum quælibet itidem ſuum habuit ἀρχισυνάγωγον. Non verò negavit S. Hieronimus, hoc ipſomet initio ita obtinuiſſe, ſed illud eſſe novum pronunciavit, quod unus ille ita ſit cœteris ſuperpoſitus, ut ad illum *OMNIS Eccleſiæ* cura pertineret, aut quod *ad unum OMNIS SOLLICITVDO ſit delata.* Et ſanè id ſeriùs cœpit, utut alibi tamen magis alibi minusſerò; idq; prout ſchiſmata magis minuſque urſerunt, in quorum videlicet remedium cœpit paſſim Eccleſiarum

rium regimen magis minuſque μοναρχικόν. Cæterum id quod diximus, ſemper in ſingulis ferè Eccleſiis unum aliquem Presbyterorum primo fuiſſe loco, qui κατ' ἐξοχὴν deinde Epiſcopus eſt dictus, id ſi veterum conſulamus monumenta, adeò videtur eſſe manifeſtum, ut vix cuiquam dubium eſſe debeat. Vt ſanè taceamus teſtimonia Ignatii & Polycarpi, quinam primi præcipuarum urbium Imperii Romani ipſa Apoſtolorum ætate Epiſcopi fuerint, hodie adhuc ex ſcriptoribus Eccleſiaſticis conſtat. Quanquam videatur interdum in urbibus maximis, ut Romæ & Antiochiæ, forte & Alexandriæ, licet id neget Epiphanius, curam illam ſummam nonnihil fuiſſe diviſam in plures uno: quo etiam factum ſit ut in recenſione primorum nominum Epiſcopalium ſcriptores haut conveniant. Veteris utiq; Romæ Antiſtitum complures ſunt ipſa prima Eccleſiæ ætate qui catalogum texant. Nova porrò Roma ſuos quoque Epiſcopos ab Apoſtolorum aliquo continua ſerie arceſſit. Antiochenæ, Alexandrinæ, Hieroſolymitanæ, Smyrnenſis, Epheſinæ, aliarumque urbium primos Epiſcopos Apoſtolis partim coævos, partim eorum ætati proximos recenſent Euſebius, aliique. *A S. Timotheo uſque nunc XXVII Epiſcopi facti, omnes in Epheſo ordinati ſunt*, dictum eſt in ipſa Chalcedonenſi Synodo. Non potuiſſent autem ejuſmodi catalogi conſcribi, niſi ſemper unus aliquis præ aliis Presbyteris eminuiſſet. Cum hac autem Hierarchiæ Eccleſiaſticæ ratione, per univerſam Eccleſiam receptâ, conveniſſe & gubernationem Eccleſiarum Germanicarum, non temere quiſquam negaverit. *Act. XI.*

X. FVISSE igitur alicubi in Germania, prima ſtatim ætate, Eccleſias quaſdam, & illas paulatim auctas, quales item fuerint, eas porro ab Epiſcopis, ut in toto Chriſtiano orbe, ſic & in Germaniâ fuiſſe adminiſtratas, ſatis quidem

liquet. Proximum verò jam eſt, quomodo Epiſcopi in Germania conſtituti, à quibus electi, an à Populo & Clero ſimul, an à Principe ſolo, an ab his omnibus ſimul, an denique à Clero ſolo, ut videamus. Sermo autem nobis eſt de conſtitutione Epiſcoporum in urbibus vel provinciis in quibus jam Clerus aliquis fuit & plebs quæ ſummo numini ſervit. Nam ſi ad gentem veri numinis adhuc expertem, aut ad exiguum numerum hominum Epiſcopus quiſpiam mittatur, res longè aliter etiamnum ſe habet. Nec enim plebis tum nec Principis etiam conſenſu opus eſt, cùm id omne ſæpè invitis iis initiò quidem poſſit inſtitui, & hactenus nunquam non in orbe terrarum fuerit inſtituta. Non etiam intereſt, à quo Evangelium prædicaturus mittatur: an ab Epiſcopo Romano, (quem, miſſis doctoribus Epiſcopis, Germaniæ nonnullis populis convertendis aliquando operam dediſſe, non diffitemur) aut ab alio aliquo Epiſcopo, an verò à Principum aliquo. Cura enim illa propagandæ Chriſtianæ fidei per barbaros & idolorum cultui deditos populos, ſoli Romano Pontifici, (ut quibuſdam hieromonarchicis placet), neutiquam propria eſt: ſed cum aliis Epiſcopis, imò cum omnibus Chriſtianis cujuſcunque fuerint ordinis, etiam laicis (utpote cum fideles omnes ſine diſcrimine ipſemet S. Petrus dignatus ſit nomine *Sacerdotii ſancti ac Regalis Sacerdotii*) & nunc adhuc communis eſt, & olim quoque ſemper communis fuit.

XI. Quæ igitur in Eccleſiis jam conſtitutis Epiſcoporum inſtituendorum ratio olim obtinuerit, dicendum ſaltim paucis hîc nobis eſt. Videtur autem illam in primitivà Eccleſia non ubivis fuiſſe eandem. Diſertè enim S. Hieronymus *Epiſt. LXXXV ad Evagrium: Alexandriæ à Marco Evangeliſta uſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos PRESBYTERI ſemper unum EX SE ELECTUM in excelſiore gra-*

du col

du collocatum Epiſcopum nominabant Ambroſius, ſive quis alius antiquus autor, fortaſſis Hilarius Diaconus Damaſi Romani Epiſcopi, *Comm. in Epiſt. ad Epheſ. cap.* 4. ſcribit: obtinuiſſe initio, ut recedente uno Presbyterorum ſequens ei in locum Epiſcopi ſuccederet. *Sed* (addit) *quia cœperunt ſequentes Preſbyteri indigni inveniri ad primatus tenendos, immutata eſt ratio, & proſpiciente CONCILIO, ut non ordo ſed meritum crearet Epiſcopum, MVLTORVM SACERDOTVM IVDICIO conſtitutum.* Verùm illa ſucceſſio per ordinem non videtur ubivis obtinuiſſe; Alexandriæ certè ſemper eligi ſolitos Epiſcopos, modò dicentem Hieronymum audivimus. Quid? quod alterius illius ſucceſſionis veſtigia forte nuſquam hodiè liceat reperire: niſi fortaſſis *l. Cleric. Cod. de Epiſcop. & Cler.* tale quid ſignificetur. Sanè S. Clemens Romanus *Ep. ad Corinthios* ipſam electionem Epiſcoporum, ſi non omnium ſaltim Romanæ ſuæ & Corinthiacæ, videtur ad Apoſtolica inſtituta referre. *Apoſtoli noſtri*, inquit, *per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum cognoverunt, contentionem de nomine Epiſcopatus orituram, atque ob hanc cauſam perfectâ præſcientiâ præditi, conſtituerunt prædictos, ac deſcriptas deinceps miniſtrorum officiorumque vices reliquerunt, ut in defunctorum locum alii VIRI PROBATI* (δεδοκιμασμένοι) *ſuccedere, & illorum munera exſequi poſſent.* Conſtitutos itaque ab illis, vel deinceps ab aliis viris eximiis (ἐλλογίμων) *cum conſenſu VNIVERSAE ECCLESIAE* ait. Non diffiteor tamen, Clementi non de ſolis Epiſcopis propriè dictis, ſed ſimpliciter de omnibus in univerſum etiam Presbyteris ſermonem eſſe, qui nempe tunc conſtituti ſunt à Clero cum conſenſu univerſæ Eccleſiæ. Quicquid ſit, electio, quæ fieret à Clero pariter & Populo, uſque adeo toti Eccleſiæ placuit poſtmodum, ut divinæ & Apoſtolicæ eam

traditioni (etſi perperam, ſi quidem *traditionis* voce intelligas legem univerſalem & immutabilem,) adſcribat ſanctiſſimus martyr Cyprianus. Nota ſunt ejus verba, nec opus eſt hîc recitari. Merentur cumprimis legi, quæ de receptâ hâc conſuetudine habet ipſemet Dionyſius Petavius *libro primo de Hierarchiâ Eccleſiaſtica*, quem Tomo tertio dogmatum Theologicorum inſeruit. *Epiſcopi*, inquit, *Cleri ac Populi ſuffragiis eligi ſolebant. Traditionem divinam & Apoſtolicam obſervationem vocat Cyprianus Epiſt. LXIIX.* Et poſt: *Sunt non pauca exempla moris ejuſdem in primis Eccleſiæ temporibus; qui in jus deinceps legemq; tranſiit. Nam ut ab Epiſcopis, aut unâ etiam à clero eligerentur Epiſcopi, recepta per omnes* Eccleſias *canonum decreta ſanxerunt. Ut autem in iis renunciandis laicorum inſuper ſuffragia locum haberent, in Occidente potiſſimùm lex & conſuetudo tenuit.* Allatis deinde nonnullis Pontificum & Conciliorum de hâc ipſâ re Canonibus & decretis addit: *Sed innumera ſunt hujuſmodi decreta de eligendis à Populo Epiſcopis Occidentalium Eccleſiarum.* Hæc inquam Petavii merentur hic recitari, tantùm ut appareat vis veritatis. Quam Bellarminus aliique nonnulli è Jeſuiticæ ſodalitatis præcipuis obſcurare, imò tollere è medio anniſi ſunt; quaſi nempe iſtiuſmodi popularis electio tantùm ex conniventiâ Papæ Romani, & quidem ad breve tempus duntaxat, fuerit tolerata.

XII. Rectè autem etiam illud ſeſe habet, quod Orientis provincias non excludat Petavius, etſi in Occidente potiſſimum receptam eam conſuetudinem & decretis firmatam tradat. In toto enim orbe Chriſtiano (ſi paucas quaſdam Eccleſias, & in his fortè Alexandrinam, ubi aliter paullò obtinuiſſe videtur, electione ſcilicet ibi factâ à Presbyteris ſolis ſive ſacerdotibus, ceu paulò ante Hieronymi & Ambroſii teſtimoniis docuimus, excipias) fuit ea conſuetu-

fuerunt. Complura quæ huc faciunt ex antiquorum Patrum monumentis, Conciliorum decretis, Pontificum Romanorum Epiſtolis, & variis demum rebus in Eccleſiâ geſtis, collegit eruditiſſimus Spalatenſium antiſtes Marcus Antonius de Dominis, quibus plura alia addi poſſunt. Luculentum admodum electi à Populo & Clero Epiſcopi in vico etiam Ægypti Palæbiſca, exemplum habet *Epiſtolâ LXVII* Syneſius Cyrenes Epiſcopus. Tam diſertè enim & accuratè de totâ hac re ad Theophilum Alexandrinum omnia perſcribit, ut ipſe Petavius exiſtimet, nuſquam poſſe inveniri expreſſius veſtigium moris antiqui in creandis Epiſcopis, & popularia ad id comitia celebrandi. Digna etiam cumprimis lectu ſunt, quæ de ſua ad Epiſcopatum Conſtantinopolitanum electione per Populum non minùs quam Clerum facta, narrat illo carmine quo vitam ſuam deſcripſit Gregorius Nazianzenus. Iure igitur mirari licet, quid Cardinali Bellarmino in mentem venerit, ut quibus poteſt argumentis populo ſua jura ereptum eat, & illam, quam aſſerimus conſuetudinem, nec diuturnam fuiſſe nec in Eccleſiâ univerſâ receptam, contendat, cum omnis antiqua hiſtoria ipſi adverſetur. Quod enim decreta quapiam attinet, Nicenæ primæ, Laodicenæ, & Conſtantinopolitanæ quartæ Synodorum, quibus aliter conſtitutum videtur, vel ipſe Petavius docet, dubitari poſſe an ex illis canonibus, ſi quis diligenter eorum verba perpendat, ſatis probari poſſit, Populo jus illud fuiſſe tunc ereptum. Et verò illis Canonibus neutiquam id factum eſſe, vel inde conſtat, quod multis pòſt ſeculis ſemper plebis ratio fuerit habita in conſtitutione Epiſcoporum. Secus quam obtinuiſſet, ſi lege omnino fuiſſet vetitum univerſali. Imo verò nihil aliud iis quidem cano-

Lib. III. c. 3 n. 6 & 4 c. 1. Vide & Blondell. de jure plebis.

Edit. Pariſ. anno 1629.

Tom. II. lib. I. de Cler. c. 7.

Can. IV. Can. XIII. Can. 28.

nibus improbatur, quam electionis illud jus quod alicubi ſoli ſibi popularis turba arrogabat excluſo etiam Clero.

XIII. Quin igitur ad Populum & Clerum, ab initio uſque Eccleſiæ, jus pertinuerit aliquod Epiſcopum eligendi, nullum debet eſſe dubium. Id ſane omne, quod ſibi in Epiſcoporum electionibus Populus & Clerus uſurparunt, ſola conniventiâ Pontificum Romanorum, ad quos conſtitutio omnis Epiſcoporum jure divino pertineat, factum eſſe, inaudita profectò & omni antiquitati ignota eſt Cardinalis Bellarmini aſſertio, lubricis illis ſuperſtructa fundamentis, quibus tota Pontificia majeſtas innititur. Reges quidem & Principes Epiſcoporum electiones ad ſe quoque pertinere arbitrati deinceps ſunt: Pontifices verò tale quid aggredi, meliori ſanè Eccleſiæ ætate, nunquam ſunt conati, utique aliter acturi, ſi id ad ſe jure divino pertinere credidiſſent. Non ab illo autem more etiam in Gallia eſſe diſceſſum, non tantùm ex univerſali illa conſuetudine eſt cognitum, ſed etiam ſingulatim cum ex Martini Turonenſis electione apud Severum Sulpitium *in vita ejus*, tum etiam ex iis, quæ Cœleſtinus Papa ad omnes Galliæ, & Leo M. ad Viennenſis provinciæ Epiſcopos reſcribunt, aperriſſime liquet. *Cap. 7. Epiſt. 87.* Si autem univerſaliter hoc ita obtinuit primis Eccleſiæ ſeculis, & ſeorſim per Galliam eſt idem obſervatum, indubiè eligendi hæc ratio valuit etiam in Germania prima & ſecunda, in Maxima item Sequanorum provincia, nec non Belgica prima; quæ quatuor provinciæ ex ſeptemdecim diœceſeos Gallicanæ integræ pòſt ad Germanicum Regnum noſtrum cœperunt pertinere. Par ratio indubie quoq; fuit electionis Epiſcoporum per Pannoniam, Vindeliciam, Noricum, & Rhætiam, quæ itidem hodie potiſſimâ ex parte Germanici ſunt juris.

XIV. QUINAM itaque tum elegerint Epiſcopos, ſatis con-

conſtat. Non difficile autem eſt dictu etiam, *ex quibus* fieri ſolerent electi Epiſcopi & *quomodo*. Etenim jam tum diximus, aliquando ab initio factam ſucceſſionem obſervato ordine ætatis in presbyterio, Alexandriæ item presbyteros ex ſuo collegio optimum elegiſſe. Vnde liquet multis in locis non alios in Epiſcopalem ordinem eſſe relatos, quàm qui jam tum iis in locis Preſbyterii munere erant functi. Alibi tamen etiam aliunde acciri ſolitos, compluribus exemplis conſtat ex Eccleſiaſticis monumentis. Sed & interdum etiam neophytos creari ſolitos Epiſcopos, liquet ex *Canone* 2 *Nicæni Concilii*; quo nempe eſt vetitum, ne quid deinceps tale fiat. Eſt tamen ne hoc quidem pòſt ſemper accuratè obſervatũ, quod vel ſolius Ambroſii & Syneſii nos doceant hiſtoriæ. *Modus* porrò conſtituendi itidem non unus olim fuit. Etenim jamtum eſt auditum, paſſim olim obſervatam ſucceſſionem ex ordine Catalogi Preſbyteralis: Alexandriæ contra à S. Marco uſque electionem habuiſſe locum, & placuiſſe tandem hunc modum toti terrarum orbi Chriſtiano. Annon verò ſimul etiam ſors alicubi fuerit adhibita (quomodo factum in electione Apoſtoli Matthiæ, & familiare aliàs fuit Iudaico populo, ex antiquiſſima conſuetudine divinitus approbatâ) meritò dubites. Sanè S. Cyprianus *Ep. XL & LV* agnoſcit in Epiſcopi conſtitutione ſeorſim divinum judicium, ſeorſim populi ſuffragium, ſeorſim Clericorum conſenſum. Illud autem *divinum judicium* fortaſſe ſors fuit. In eum ſanè ſenſum de ſorte non ſemel loquitur Sacra ſcriptura. Clemens Alexandrinus de Ioanne Apoſtolo ita ſcribit: *κλῆρον ἐκλήρωσε τῶν ὑπὸ πνεύματος σημαινομένων.* Sed & Barcinonenſe Concilium *Can* 3. diu pòſt, ſorte fieri debere electionem, conſtituit.

XV. Præter hæc verò, ab initio uſque Eccleſiæ, Epiſcopale munus fuit omnibus, ritu aliquo externo, quaſi obſignatum per manus impoſitionem, quæ pòſt dici cœpit ORDINATIO. In hunc ſanè modum ipſe S. Paulus impoſuit

Timo-

Timotheo manus, 2. *Timoth*, 1. 6. More nimirum ab Hebræis derivato, qui manus imponebant iis pro quibus Deum precabantur. Verùm illam quoque Ordinationem non videntur olim iidem peregiſſe. Etenim quod ſolis Epiſcopis id commiſſum, ſerius videtur cœpiſſe, & ne quidem ubivis. Sanè S. Hieronymus Epiſtola ad Evagrium inquiens, *quid facit excepta Ordinatione Epiſcopus quod Presbyter non facit?* videtur innuere quaſi Ordinatio ſoli competat Epiſcopo propriè dicto. Cæterùm ſimpliciter quidem omnis Ordinatio, etiam Presbyterorum, ne quidem Hieronymi ævo unius Epiſcopi fuit. In Africa enim & Ægypto etiam Presbyteri unà manus impoſuerunt, teſte ipſomet Hugone Grotio *pag.* 159 *Discuſſionis Apologetici Rivetiani*. Liquet autem illud ex difertis verbis *Can.* 3. *Concilii Carthaginenſis quarti*. Non affirmat porrò Hieronymus, ipſo ſtatim Apoſtolorum ævo id inter Epiſcopum & reliquos Presbyteros fuiſſe diſcriminis. Imò non fuiſſe, meritò colligas ex eo, quod Apoſtoli alioquin diſcrimine quodam facto Epiſcopum & Presbyteros officii ſui admonuiſſent, ſi jam tum muneribus fuiſſent diſtincti. Sed & S. Hieronymus, illam Epiſcopi eminentiam ſuper reliquum Clerum poſt Apoſtolorum ævum cœpiſſe demum, ſignificat. Simpliciter idem ſic loquitur. *Alexandria à Marco Evangeliſta uſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos PRESBYTERI ſemper unum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominabant. Quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat, aut diaconi eligant de ſe, quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vocent.* Conſenſus itaque aliorum Epiſcoporum, eorumque χειροτονία, ibi ſanè videtur non fuiſſe uſitata. Certe Timotheo, cùm eſt conſtitutus Epiſcopus Epheſinus, non à ſolo Paulo, ſed etiam à reliquis presbyteris impoſitas manus, haut vanè colligere eſt ex *cap.* 4 *Epiſt.* 1. *ad Tim. verbis*: μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου. Nec tamen ignoro, alio ſenſu hæc verba

accepiſſe & Heronymum & Hilarium Diaconum. Sanè ab Apoſtolis ipſis eſſe inſtitutum, ut Epiſcopus à duobus aut tribus Epiſcopis, aut ut presbyter ab uno Epiſcopo ordinetur, ut & diaconus, ac reliqui clerici, (quæ hodie inter Canones Apoſtolorum primo loco leguntur) procul eſt a vero. Multò magis falſum eſt, hoc inſtitutum æterni eſſe divini juris, ut quod ſecus fit divino ſit ordini adverſum, aut quod is qui contradicit, anathema mereatur. Quin merito dixeris, eos qui id docent non minus ſchiſmati aut hæreſi velificari, atq; olim Aërius, qui æqualitatem Presbyterorum & Epiſcoporum ab eodem jure accerſivit. A Pontificiis id doceri, mirum ſane eſt, quia in Germanis quidem noſtris apud illos Epiſcopi ipſi non niſi rariſſimè Presbyteros ordinant, ſi modo unquam, omni hoc munere vicariis, aliorum locorum Epiſcopis titularibus, commiſſo. Ut nunc taceam, ipſummet Vazquez docere, ſimplicem ſacerdotem ordinare poſſe ſi id habeat in commisſis.

XVI. Cæterùm ſeculo tertio etiam vicinorum Epiſcoporum conſenſum, in Africâ quidem & Româ, acceſſiſſe ad Epiſcoporum ordinationes, ex multis locis operum Cypriani manifeſtum ſane eſt. Poſt Cypriani autem tempora videntur demum inſtituti Metropolitani. Non enim hos Africa agnovit Cypriano vivo, ideoque nulla apud hunc autorem Metropolitanorum fit mentio, ſed ex adverſo gravis illius vox paſſim exſtat: *quemlibet Epiſcopum rationem ſui actus Domino redditurum, nec ab alio judicari poſſe, ut nec ipſe alium judicat.* Quæ directè oppugnant jura Metropolitanorum. Enimvero ex quo Metropolitani cœperunt, his præcipuè τὸ κῦρος τῶν γινομένων fuit creditum, ut habet *canon IV Nicenus.* Certè non licuit ex eo tempore, χωρὶς γνώμης τοῦ μητροπολίτου Epiſcopum ordinare, ut habet ejuſdem magni Concilii *canon VII*, & Antiochen

Gheni non multò junioris *canon XIX.* Neque verò in Concilio Niceno iſthoc Patriarchatus ſunt conſtituti, aut hac in re facta aliqua mutatio; quod vulgo creditur. Sed in ſingulis provinciis ſumma regiminis Eccleſiaſtici ſolis Metropolitanis permiſſa eſt. Tantùm per illud magnum Concilium, exemplo Romani, Alexandrino Epiſcopo prærogativa quædam quemadmodum antiquo more erat introducta, fuit confirmata; nempe ut Alexandrinus unus per Ægyptum Lybiam & Pentapolin, adeoque per tres magnas provincias Diœceſeos Ægypti, metropolitana jura exerceat, quia Romanus eadem obtinebat per *ſuburbicarias* Eccleſias, ut quidem Ruffinus interpretatur mentem canonis. Audiit verò iſthac Ruffini ætate *Suburbicariam*, quicquid intra centeſimum ab Vrbe lapidem continebatur. Cujuſmodi erat ea Tuſciæ & Piceni pars quæ in antiquis ævi illius monumentis dici ſolet *ſuburbicaria*, diſtinctim ſcilicet ab altera parte *annonaria*, Latium item integrum quod Campaniæ nomen acceperat, & Valeria: ceu rectè docuit Salmaſius contra Sirmondum in Epiſtola pariter & Euchariſtico, alibique. Nec enim diverſum licet firmiter colligere, ſive ex epiſtola Celeſtini Papæ ad Apuliæ & Calabriæ Epiſcopos, quaſi illa ſignificet, tunc temporis etiam ibi à Romana ſede Epiſcopos fuiſſe ordinatos: ſive ex eo, quod teſte apud Baronium anno 1057 Vaticanâ vetere Notitiâ, ſexaginta novem Epiſcopi in ſynodos Romanas olim coierint. Poſt illud enim denique ævum potuit extendi illa Romani Epiſcopi ulterior ſollicitudo Eccleſiarum: quæ Nicæni Concilii ætate in ſolis Suburbicariis fuerat occupata. Quod ſi tamen cui Sirmondo aliisq; placet aſſentiri, hac Suburbicariarum Eccleſ. & provinciarũ nomine intelligere omnia illa quibus iſthac tempeſtate præſidebat Vicarius Vrbis Romæ, nolo cum eo nunc contendere. Ejuſmodi provincias autem recenſet

cenſet Notitia Imperii Occidentalis *cap. XLIIX.* numero decem: 1 Campaniam, 2 Tuſciam & Vmbriam, 3 Picenum ſuburbicarium, 4 Siciliam, 5 Apuliam & Calabriam, 6 Brutium & Lucaniam, 7 Samnium, 8 Sardiniam, 9 Corſicam, 10 *V*aleriam. Nolo inquam. ſuper hac re cum quopiam contendere. Longè verò alias dederunt nonnulli interpretationes verborum Ruffini & neutiquam tolerandas. Enimvero Baronius & Bellarminus non dubitaverunt *ſuburbicarias Eccleſias* interpretari Eccleſias totius orbis, Perronius & alii quammulti Eccleſias Occidentalis Imperii. Hæ ſane interpretationes nimium quantum diſcedunt ab omni etiam veriſimilitudine. *Primò* enim caret exemplo, *ſuburbicarium* appellare totum mundum aut totum Occidentale Imperium. Nemo quiſquam ita loquutus unquam fuit. Solum porrò Occidentem ſic appellari, planè aſſertu ridiculum eſt, quia quo jure Occidens eodem & Oriens Romæ fuerit ſuburbicaria. *Secundo* jus ordinandi Epiſcopos, quo de agitur Canone ſexto Niceno tanquam à Romano Epiſcopo exercito, iſthac tempeſtate non tantum non per omnem orbem ſed non etiam per Occidentale Imperium vel arrogaverat ſibi Romanorum Paparum quisquam, tantum abeſt ut reapſe exercuiſſet. Vſq; enim adeo hoc certum eſt, ut ipſismet Metropolitanis Romà pallium mitti in Francorum regno denique ſeculo octavo cœperit. Quod aliàs docebitur. *Tertiò*, nunquam Papæ provocaverunt ad Canonem ſextum Nicenum, ut jus *ſollicitudinis* omnium ſive totius mundi ſive Occidentalis Imperii Eccleſiarum, ſibi aſſererent adverſus oppugnatores. Certiſſimo autem id indicio eſt, illas amplas Canonis iſtius interpretationes, non veniſſe illis in mentem. Haud neglecturi ſcilicet fuiſſent à tanto Concilio factam ſui juris confirmationem. *Quarto*, intra Occidentalis Imperii limites

non profecto jam olim Romana juriſdictio voluit contineri: utpote cum ſeculo quinto jam cœperit inſtitui Vicariatus Theſſalonicenſis extra Occidentale Imperium, in Illyrici ſcilicet Orientalis diœceſi Macedonia. Id quod ſeorſim valet contra Perronium & qui illum ſequuntur. Mitto alia, quia hæc diſputatio ab inſtituto noſtro eſt aliena. Aſt ſuper Vrbicariis, ſive illis Provinciis quæ Vicario Vrbis Romæ paruerunt, adeoq; & illarum provinciarum omnium Eccleſiis, non eſt animus contendere. Fortasſis enim, Ruffinus diſcrimen *Vrbicarii* & *Suburbicarii* non accurate obſervavit. Meretur tamen annotari, ad ſynodum quæ anno 498 habita eſt a Symmacho Papa de electione Papali, non niſi ſeptuaginta tres Epiſcopos convocatos cum longè plures fuerint intra Vicariatum Vrbis Romæ. Sed hæc obiter.

XVII. Concilio Oecumenico ſecundo per Imperii Orientalis quinque diœceſes, (in ſeptem autem illud non adeo pridem diviſerat Conſtantinus ſive Magnus Theodoſius) inſtituti ſunt ſupra Metropolitanos, etiam Primates, vel ut loquitur Canon Concilii ſecundus οἱ ὑπὲρ διοίκησιν ἐπίσκοποις & quidem in ſingulis (Thracica & Ægypti Diœceſibus exceptis) duo vel tres, ut docet *Socrates lib. V. cap. 8.* Quæ iterum pòſt mutavere. Ita in Concilio Chalcedonenſi *canone XXII*, Epiſcopo Conſtantinopolitano (cui una Thracica, ut Alexandrino una integra Ægypti diœceſis hactenus ſubfuerat) datæ ſunt Diœceſes tres, Thraciciæ adjunctis Aſianâ & Ponticâ cum ſuis Primatibus ſive Exarchis: Antiocheno etiam ad ſeſe per vim rapiente diœceſin, (exceptâ parte aliquâ Hieroſolymitano primùm in Concilio Chalcedonenſi, plenius autem in Concilio quinto attributa,) Orientis, & enim in Concilio jam Niceno illi commiſſam fuiſſe, iniquè & contra inſerta Canonis verba reſpondit per epiſtolam quæ ſuperat Alexandro Antiocheno Innocentius id nominis primus

Roma-

Romanus. Hac ſanè ratione devenit quinque diœceſium Orientalis Romani Imperii Eccleſiarum ſummum regimen ad Patriarchas quatuor: quorum primario Conſtantinopolitano tres, Antiocheno una, Alexandrino item una diœceſi, Hieroſolymitano tantum exigua pars diœceſeos Orientis regendæ obtigerunt. Eo ipſo autem ſimul factum, ut non tantùm χειροτονία ipſorummet Metropolitanorum ad Patriarchas quatuor illos Orientalis Imperii dictarum quinque diœceſium devenerit, ſed nec Epiſcopi à Metropolitanis amplius potuerint ibi ordinari citra Patriarcharum conſenſum. Adeoque tota fere regiminis Eccleſiaſtici priſca forma plurimùm ibi quidem mutata eſt.

XIX Quantumvis verò in iis quas dixi quinque Diœceſibus hoc ita iſthac tempeſtate contigerit, non tamen eandem mutationem paſſæ ſunt duæ reliquæ Orientalis Imperii diœceſes, Macedonia inquam & Dacia. Non enim & illæ acceperunt tunc temporis proprios Patriarchas, neç cuiquam illorum quatuor fuerunt ſubjectæ. Vt proindè in illis quidem duabus Diœceſibus manſerit integra Metropolitanorum Epiſcoporumq; aliorum vetus auctoritas & conſuetudo. Multò minùs Occidentalis Imperii ulli Diœceſi Concilium aliquod Oecumenicum Patriarcham aliquem dedit. Nec vero id jus, quo tum temporis utebatur Romanus Papa, quidquam fuit aliud quam Metropolitanum, inq; ſolis Eccleſiis ſuburbicariis. Extra illas Patriarchale nihil vel exercuit Papa, vel ſibi tum arrogavit. Quod autem in ſolis illis quinque diœceſibus Orientalis Imperii, non autem alibi fuerint conſtituti Exarchi aut Patriarchæ, contigit fortè ideo, quia illa loca cumprimis tunc laboraverunt ſchiſmatibus: in quorum nempe remedium ſuperiores illæ dignitates ſunt conſtitutæ. Solet quidem vulgò credi, Papæ etiam datum jus Patriarchale & quidem in uni-

verſum Occidentale Imperium, auctoritate Concilii Niceni. Et verò Græci quoq; Canonum doctores ſolent in hoc ipſum laudare Canonem ſeptimum Concilii illius: ſolentque proinde illi, non minus atque factum etiam fuit ab ipſo Iuſtiniano Imperatore, Romanum Papam Patriarchis accenſere. Verum enimverò, ceu jam theſi antecedente diximus, in Canone iſtoc Niceno nihil tale reperitur. Nec Papæ Romani ipſimet unquam olim in argumentum ſui prætenſi juris canonem ſextum Nicenum produxerunt, ſed Sardicenſes illos canones qui agunt de appellando Iulio Papa, quibus Nicenum nomen fraudulenter dederunt: non etiam ſeſe Patriarchas appellaverunt, vel illa quæ quatuor iis quos diximus Patriarchis competierunt in ſuis diœceſibus jura, reapſe olim extra Suburbicarias Eccleſias exercuerunt. Enim verò Papæ demum poſt Concilium Sardicæ habitum, nec niſi jurisdictionem aliquam duntaxat, in univerſam Eccleſiam ſibi ſenſim cœperunt arrogare, autoritate nempe illorum Canonum provocationis jus ſibi deberi prætendentes. Quod tamen in iis Eccleſiis Orientalis Imperii quæ ſuos Patriarchas acceperant minùs ſucceſſit: præſertim æqualem Romanæ, imo hac majorem, ſibi poteſtatem vindicante Conſtantinopolitano, autoritate Chalcedonenſis Concilii. In Diœceſi autem Macedoniæ, liberâ ſcilicet à Patriarchatu, (Dacia enim per Scythicarum gentium irruptiones tota fere jam perierat) plus Papæ potuerunt, Vicariis nempe in appellationibus conſtitutis Theſſalonicæ alibiq;. Nec enim Theſſalonicenſis ille vicariatus in Occidentali Imperio ſed Orientali, & quidem primò omnium a Damaſo Papa, ſi credendum Epiſtolæ Nicolai I ad Michaelem Imperatorem, eſt inſtitutus. Id quod obtentum fuiſſe iis artibus, quibus voluerunt Africanis Eccleſiis tunc Papæ transmarinas appellationes perſuadere, hoc eſt prætextu Sardi-

ni Sardicenſium Canonum mutatorum in nomen Nicæ-num (id quod videtur jam tunc factum ab Innocentio primo Papa in epiſtola ad Victricium Rothomagenſem) haud ſanè poteſt vero abſimile videri illi, qui expenderit pervicaciam infrunitam in Africano negotio adhibitam. Enimvero jus divinum circa ſeculi quinti finem denique prætendi cœpit, quantum ex priſcis licet monumentis colligere. Nec verò id diſſimulavit ipſemet Gelaſius Papa, ſcribens in Commonitorio ad Fauſtum Magiſtrum de Sardicenſibus Canonibus: *ipſi ſunt Canones qui appellationes totius Eccleſiæ ad hujus Sedis examen voluere deferri.* Simili modo autem indubie in Occidentales Imperii diœceſes ac provincias cœperunt Papæ tunc graſſari: ſed conatus ſufflaminavit temporum injuria; quià nimirum fere Imperii illius Occidentalis omnia, ne ipſa quidem Italia excepta, in Germanicorum populorum ditionem pervenerunt, & ſpiſſa hinc incumbente barbarie, etiam Conciliorum veterum canones memoria fere hominum exciderunt. Nec verò obſervare eſt poſthæc ibi a Papis quidquam fere quæſitum eſſe obtentu Canonum illorum Sardicenſium, jam in Africa nempe illorum fracta vi: ſed jure potius ſuæ in Cathedram Petri ſucceſſionis, idque cumprimis demum poſt Iſidorianam Epiſtolarum Pontificalium confictarum editionem, quæ facta eſt ſeculo Chriſtiano nono. Id pro dignitate perſequi nunc non patitur inſtitutum. Digniſſimum autem obſervatione eſt, ingeſſiſſe Papas ſeſe tunc quidem tantùm in juriſdictionem Eccleſiarum, obortis controverſiis; circa conſtitutionem autem Epiſcoporum, ſi omnia eſſent quieta aut nulla eſſet facta appellatio ad Papam, Metropolitanis priſca jura manſiſſe illibata. Et verò in omnibus provinciis omnium Diœceſium, Imperii etiam Occidentalis, fuerunt à Nicæno uſq. Concilio Metropolitani: adeoque cum omnis Gallia (quæ ſola ad res noſtras nonnihil facit) tum fuerit divi-

ſa in

ſa in provincias ſeptemdecim teſte Notitia, totidem quoque Metropoles habuit olim, & totidem Metropolitanos Epiſcopos. Unde veroſimile etiam fit, jam tum olim Moguntiacenſem Germaniæ primæ, Agrippinenſem Germaniæ ſecundæ, Trevirenſem Belgicæ primæ, Veſontionenſem Maximæ Sequanorum fuiſſe Metropolitanos: ſicut urbes iſtæ quatuor illarum provinciarum fuere olim Metropoles. Num vero non & tota diœceſis Gallicana ipſa aliquando conſtituerit ſibi Patriarcham, meritò dubites; quum conſtet, in ſeculi ſexti hiſtoriis frequenter occurrere Patriarchas Lugdunenſes. Quo nomine Metropolitanos tantùm provinciæ Lugdunenſis primæ appellatos eſſe, haud temere recnti perſuadeant Baronius aliiq;. Etſi enim videatur multum diſſentire & Salmaſius in *Euchariſtico l. 2. c. 4.* docet tamen, Patriarcham illum ſediſſe quidem in Lugdunenſi prima, aſt & reliquis Lugdunenſibus provinciis præfuiſſe, imò totius Galliæ fuiſſe Primatem.

XIX. VERUM ILLA de Ordinatione Epiſcopali, ut & ex quibus ac quomodo olim ſint electi Epiſcopi primi, nihil faciunt ad noſtrum hunc locum, utpote, cum propoſitum nobis ſit docere duntaxat, a quibuſnam omni tempore Epiſcopi Germaniæ ſint conſtituti. Ut igitur in viam redeatur, non equidē dubitamus, prioribus tribus ſeculis tantùm per Clerum & Populum, ut alios ità & Germaniæ Epiſcopos eſſe electos. Obſervandum autem eſt, ex quo Imperatores Romani Chriſto nomen dederunt, hîc alibi nonnunquam factum eſſe, ut ipſimet illi Epiſcopos Eccleſiis darent, approbante illud qui tum vivebant Epiſcoporum collegio. Sic enim Liberius Papa à Conſtantino Epiſcopatum Romanum accepit. Sic in ipſo Oecumenico Concilio Secundo Conſtantinopolitano, vacante illius urbis Epiſcopatu, Theodoſius junior *præcepit SACERDOTIBUS in*

char-

chartâ ſcribere nomina eorum quos dignos crederent, qui ordinarentur; ſibi autem unius electionem ſervavit; nominibus poſt omnium perlectis elegit Nectarium ſenatorii ordinis virum. Similiter poſt obitum Siſinnii Valentinianus & Theodoſius junior ſtatuerunt, *neminem ex Eccleſiâ iſtâ Conſtantinopolitana ad pontificium promovere, propter eos qui rebus novis ſtudebant, cum pars Philippum pars Proclum eligi cuperet: placuit igitur ipſis, advenam Antiochia advocari.* Theodoſius idem junior Maximo Epiſcopo defuncto, *juſſit eos qui aderant Epiſcopos, ut Proclum in Cathedra collocarent.* Mediolani etiam poſt mortem Auxentii Imperatorem rogaverunt Epiſcopi, ut ipſe eligeret. Populo itaq; Ambroſium poſtulante, Valentinianus Imperator *juſſit ipſum ordinari.* Fortaſſis igitur etiam in Germaniâ nonnunquam iſtiuſmodi quid tum eſt factum, utpote cum Imperatores, teſte Gelaſio Pontifice *Epiſt. XI* plurimum fuerint Auguſtæ Trevirorum commorati. Quoniam tamen nihil hujus memoriæ eſt traditum, non eſt noſtrum id temere affirmare.

XX. Obſervandum porro eſt, à ſeculo quarto uſque invaluiſſe paulatim per omnem Chriſtianum orbem, ut qui reipublicæ ſummâ cum autoritate præerant, non paterentur temere quem ad Epiſcopalem dignitatem promoveri, niſi accedente ſuo conſenſu. Quod procul dubio factum, quoniam Epiſcoporum in populo ſumma autoritas, adeoq; ἡ δημαγωγία quædã in ipſorum eſt manibus, ſimulque illi multis opibus tantùm non ubivis jam pridem circumfluxerunt. Acceſſit indubie & hoc, quod religio percellere huc illuc animos poſſit quammaximè, quodq; excõmunicationis validum ſit ad vitam quoq; civilem in omnẽ partem momentum, ſoleat deniq; populus ſeſe componere ad bonos maloſque mores eorum qui ſacris præfecti ſunt. Hinc ſane intereſt, ſi quod aliud, cujuſlibet reipublicæ,

manifeſtum, ut nunc quidem haud ſit neceſſum illi argumento amplius immorari. Non opus verò eſt etiam multis oſtendere, id quod initio theſ. diximus. Statim nempe a ſeculo quarto, qui Chriſtiana ſacra Cæſares profeſſi ſunt, electionem Epiſcoporum ſaltim citra conſenſum ſuum, ſi res exigeret, non paſſi ſunt inſtitui. Pro exemplo nunc quidem ſuffecerit attendere ad illa, quæ Philoſtorgius narrat *l. 2. c. 11.* de confirmatione electionis Athanaſii, poſtquam illam populus per literas indicaſſet, facta à Conſtantino Magno; ut & quæ idem habet *l. 9. cap. 8.* de electione Demophili, ejusque Cæſarea confirmatione in Epiſcopum Conſtantinopolitanum. Ita verò & aliàs fuiſſe obſervatum, cumpluribus licet etiam aliis exemplis demonſtrare. Cæſarum porrò per Italiam extinctâ auctoritate, cum Odoacer Herulorum Rex ibi rerum potiretur, ejus primarius miniſter Baſilius Patritius lata lege vetuit, ne Papa eligeretur, niſi conſentiente Principe. Eſt verò illud Romæ accuratè perdiu obſervatum. Quapropter cum Pelagius ſecundus electus eſſet non impetratâ Imperatoris approbatione, miſſus Conſtantinopolim eſt Gregorius tunc Archidiaconus, ut id excuſaret; eo obtentu, quòd obſeſſâ per Longobardos urbe Imperator Conſtantinopoli non potuerit adiri. Neque verò jure hoc ceſſerunt in confirmandis Papis Romanis Conſtantinopoli commorantes Cæſares, ante Conſtantinum IV. Qua de re pluribus agit ipſe Baronius *tomo VIII Annalium, Anno DXC.* Merentur vero & illa legi, quæ *ad vitam Pelagii* a Platina deſcriptam annotavit Onuphrius Panvinius: confeſſionem item Gretzeri de Imperatorum Conſtantinopolitanorum ſequioris etiam ævi poteſtate circa Epiſcoporum electionem, in *Notis ad Cantacuzenum l. 2. pag. 283.*

XXI. In omni hoc negocio autem Germanicarum gentium Reges exemplum illud Romanorum Imperatorum ſunt ſecuti. Ex quo enim illi Chriſtianam ſunt fidem amplexi, modò hic modò alibi, pro ſuo arbitrio, Epiſcopos Eccleſiis dare, aut à Clero & Populo antiquo ritu electos confirmare, ſui juris exiſtimaverunt. In Hiſpania à Gothorum Regibus hoc jus, nemine reclamante, fuiſſe exercitum, cùm ex monumentis Hiſpanicis conſtat, tùm ex eo, quod Concilio Toletano duodecimo, Salutis anno ſexcenteſimo octogeſimo primo, eſt conſtitutum, liquidò apparet. Eoque ipſe Mariana *l. 6. c. 17.* ait: *ad Regem jus creandi tota illa ditione Epiſcopos, pervetuſto Hiſpaniæ more, ſpectaſſe.* Ipſe Canon Toletanus indicat, factum hactenus, ut *tractu terrarum fuerit impedita celeritas nunciorum, ne potuerit Regi defuncti Præſulis obitus innoteſcere, aut Principis de ſucceſſore electio expectari, eòque in quibusdam civitatibus decedentibus Epiſcopis diu differri ordinationem ſucceſſoris.* Verum Hiſpaniæ ut & Britanniæ aliarumq; regionum, etſi à Germanicis gentibus occupatarum, res ad nos fortaſſis haud pertinent. Attamen & Francorum Reges, cum ad eos Galliarum & Germaniæ imperium pervenisſet, uſi ſtatim ſunt hoc jure, & quidem usq; adeo frequenter, ut ferè ab eorum nutu cuncti Epiſcopatus penderint. Hinc

Lib. 10. Clodovæus ipſe Dinifium in Turonenſem Epiſcopum elegit, ut eſt apud Gregorium Turonenſem. Qui & alibi O-

Lib. 3. maſium poſt Dinifium mandato Clodomeri Epiſcopum Turonenſem dictum, & Nicetium Regis Childeberti & pleno populi ſuffragio in Epiſcopum electum, demum etjam Quintianum Arvernorum Epiſcopum Theodorico Re-

Lib. 3. ge conſentiente conſtitutum, tradit. Nonnulla quæ huc faciant exempla ex Turonenſi affert Lehmannus in *Chronico Spirenſi*; omnia verò in unum collegit faſciculum Tho-

Thomas Bilſonus VVintonienſis in Angliâ Epiſcopus libro, quem ſcripſit *de perpetuâ Eccleſia gubernatione.* Sunt verò præter Turonenſem alii quoque ſcriptores, qui idem confirmant. Extat apud Surium vita Sulpitii Bituricenſis Epiſcopi, qui Auſtregiſilo ſucceſſit, ex quâ cognoſci poteſt, quàm neceſſarius habitus Regis in conſtitutione Epiſcoporum fuerit conſenſus. E populo alii alium, ut ſolet fieri, nominarant, pars etiam quædam inſanioris vulgi primoribus nonnullis conſenſerat in cujusdam Simoniacam electionem, Regisque conſenſum, magnâ vi auri oblatâ, ad id impetrari poſſe, ſpes fuerat; Rex tamen Gunthramnus re rectius perpenſâ, repudiato Simoniaco, Sulpitium voluit eſſe Epiſcopum: ita, Gregorio Turonenſi teſte, eos qui Simoniacis artibus Epiſcopatus ambiebant affatus: *Non eſt principatus noſtri conſuetudo ſacerdotium venundare ſub pretio: ſed nec veſtrum, eum præmiis comparare, ne & nos turpis lucri infamia notemur, & vos mago Simoni comparemini.* Ne ſolo *Principis imperio* quis conſtituatur Epiſcopus, cautum quidem fuit anno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo in Concilio Pariſienſi tertio; ſed major illâ Concilii definitione tantum non plærumque fuit habita Regum auctoritas. Quid ſanè circa electionem in Palatio Regio tunc quaſi ordinariè fuerit obſervatum, liquet ex formulis Marculphi, quibus Epiſcopi in Palatio deſignati fuerunt Metropolitanis conſecraturis oblati. *Lib. 2. c. 41.*

XXII. Invaluit verò longe magis illa conſuetudo, ut ii eſſent Epiſcopi, quorum elect.onem Francorum Reges, quibus tum Germania quoque Ciſrhenana & pars Transrhenanæ parebat, ſuo ſuffragio confirmaſſent. Eam in rem conſtitutus eſt in Concilio Aurelianenſi quarto, Chriſti anno quingenteſimo quadrageſimo nono, ille Ca-

 non-

non. *Vt nulli Epiſcopatum præmiis, aut comparatione liceat adipiſci. Sed cum voluntate Regis, juxta electionem Cleri ac plebis, ſicut in antiquis canonibus tenetur ſcriptum &c.* Hiſtoriæ porrò horum temporum teſtantur, à Regum arbitrio Epiſcoporum conſtitutionem, ſaltim magnam partem, dependiſſe. Theophilus Rainaudus Ieſuita *in Indiculo ſanctorum Lugdunenſium* de Ennemundo tradit, cum voluntate Regis Clodovæi II in Epiſcopum Lugdunenſem eſſe electum. Idem ex Angrano de Lamberti Lugdunenſis Epiſcopi, qui ſedit anno DCLXX electione ita loquitur: *Defuncto S. Geneſio, Præſule urbis Lugdunenſis, illico pius Rex Theodoricus & inclytus Princeps Pipinus cum proceribus palatii ſalubre agentes concilium, divinâ utique providente juſſione, in præfatâ urbe, cum unanimi ejusdem regionis populi voto, ejusdem urbis eum conſtituerunt antiſtitem.* Quantum conjicere licet, id quoque ſibi interdum videntur uſurpaſſe Francorum Reges, ut ipſi nondum præviâ facta electione cleri & populi Epiſcopos nominarent, quos tamen dein liberè clerus & populus reciperet. Sed id forte rariùs factum. Conſenſu autem Regio omnino nunquam non opus fuit. Hinc Modoaldus Trevirenſis Epiſcopus conſtitutus eſt, *volente Rege, Pipino duce, Clero & populo,*
Cap. III. ut *in vita* ejus Stephanus Leodienſis Abbas tradit. Is, qui Pauli Epiſcopi Virdunenſis vitam deſcripſit, uti ea ex-
Cap. V. ſtat apud Surium die VIII Februarii, autor eſt, Regem miſiſſe Paulum, eumque invitaſſe, ut in aulam veniret: *electum eum eſſe à Palatinis, clero & populo, ut Virdunenſis Epiſcopus eſſet, ſe quoque illorum votis & ſententiæ aſſenti-*
apud Surium die IX. Februarii
ri. Idem de Ansberto Rhothomagenſi Epiſcopo narrat in ejus vita capite XV Angradus monachus, eum eligentibus civibus metropoleos Rhotomagenſis, *cum unanimi voto ſanctorum ſacerdotum, Regis & Principum*, electum eſſe
Rho-

Rhotomagenſem Epiſcopum. Avitus Avernorum Epiſcopus, cum Bonitum ſibi ſucceſſorem dari vellet, Regis conſenſum flagitat. Aurelianenſes verò cives, cum Eucherium Epiſcopum elegiſſent, proxima illis cura fuit, de Regis ſuffragio impetrando. *Mittunt igitur ad Carolum Martellum Francorum Principem legatos, qui ejus pedibus advoluti ſuppliciter petierunt, ut Epiſcopum illis concederet Eucherium.* Verba hæc ſunt ejus, qui hiſtoriam vitæ Eucherii reliquit apud Surium die xxx Ianuarii. Digna denique ſunt, quæ hic legantur verba VValthrami Naumburgenſis ex libro, quem ſcripſit de inveſtiturâ Epiſcoporum. *Longè ante decretum Adriani Papæ, ejusque ſucceſſorum, Reges, qui erant uncti, & Majores domus, inveſtituras Epiſcoporum fecerunt; ſcilicet Dagobertus Sigibertus, Theodoricus, Hildricus, Pipinus filius Begge Major domus, Theodebertus. Ab his inthroniſati ſunt Remaclus, Amandus, Audomarus, Anspertus, Eligius, Lampertus, aliique ſanctiſſimi præſules, cum Reges iſti in moribus ſuis ſatis fuerint notabiles.* Hæc verò tam apertè, quanta fuerit Regum Francorum in conſtituendis Epiſcopis autoritas, docent, ut nemo iis refragari poſſit. Quin imò non tacet ipſe Baronius, quæ fuerit circa hæc tempora in Epiſcoporum electionibus Principum ratio habita: *Sanè à regibus eſt præſumtum*, inquit. Tomo VII Annalium ad annum 559, *jus præficiendi Eccleſiis paſtoribus deſtitutis Epiſcopos hoc ſeculo, tum in Occidente, tum in Oriente.* Præſumtum jus vocat ille quidem verbo aſperiori: quod, ſi tamen illud intra limites cohibeatur, optimo jure Regibus competere, ex parte jamtum liquet & ruſſum deinde probabitur.

Ap. Surium die XV. Jan.

Cap. III.

XXIII. Fortaſſis tamen quidam Eccleſiaſtici proceres in Galliis initio non ſatis æquo animo tulerunt illam, quam ſibi Reges uſurpabant, poteſtatem. Patres enim Concilii

lii

lii Avernenſis, inter quos etiam fuere Nicetius Treverorum, Domitianus Tungrorum, Deſideratus Virdunenſium, Superius Aventicorum in Helvetiâ Epiſcopi, huc videntur reſpexiſſe, cum Canone ſecundo ſancierunt; qui Epiſcopatum deſideret, electione clericorum vel civium, & conſenſu metropolitani provinciæ debere ordinari, non verò patrocinia potentum adhibenda. Acrius Patres in Concilio Pariſienſi, anno DLIX habito, in eam conſuetudinem, quâ vel invitis civibus beneficio Regis Epiſcopatus quidam obtinere ſe poſſe ſperabant, invehuntur Canone VIII. Quædam ejus jam tum adduximus, eſt autem dignus ut integer hic adſcribatur: *Quia in aliquibus rebus*, inquiunt, *conſuetudo priſca negligitur, ac decreta canonum violantur, placuit, ut juxta antiquam conſuetudinem canonum decreta ſerventur. Nullus civibus ordinetur Epiſcopus, niſi quem populi & clericorum electio pleniſſimâ quæſierit voluntate. Non PRINCIPIS IMPERIO, neq; per quamlibet conditionem, contra Metropolitani voluntatem & Epiſcoporum comprovincialium ingeratur. Quodſi per ORDINATIONEM REGIAM honoris iſtius culmen pervadere aliquis nimiâ temeritate præſumſerit, à comprovincialibus loci ipſius Epiſcopis recipi nullatenus mereatur, quem indebite aſſumtum agnoſcunt. Si quis de comprovincialibus recipere eum contra interdicta præſumſerit, ſit à fratribus omnibus ſegregatus, & ab ipſorum omnium charitate remotus.* Ita ſtatuerunt Epiſcopi in Concilio illo Pariſienſi coacti. Id verò duntaxat velle hos Epiſcopos liquet: non eſſe concedendum, ut Reges ſoli pro arbitrio atq; autoritate tantum regiâ, vel invitis civibus, conſtituant Epiſcopos. Id enim creditum ſcilicet eſt: neminem invitis civibus, quibus ipſe præeſſe debeat, poſſe juſtum eſſe Epiſcopum. Qui igitur ſaltim hoc ſtatutum Eccleſiaſticũ pervertere auſi ſunt, eos jure quodam meritoq; Cõcilium Pariſienſe per-

perſtrinxit. Conſuetudinem verò illam, quæ tum in Gallia obtinebat, ut confirmationem factæ electionis vel Epiſcopi ipſi electi vel cives peterent à Rege, nullo verbo improbarunt. Quin paulò ante Epiſcopi Gallicani in Synodo Aurelianenſi quintà, Childeberto regnante, anno ſeculi quint. LII decreverũt quidem: neminem debere Epiſcopatus per præmia, aut opes potentium perſonarum inclinatis civium animis aucupari, addidere tamen, *ſed voluntate Regis juxta electionem Cleri ac plebis.* Cujus canonis jam tum itidem meminimus. Habemus igitur jam primorũ Regum Francorum jura exemplis confirmata, & Synodi decretis ſtabilita. Sed illa jura, uti in Gallia exercuiſſe Reges conſtat, ſic quoque in Germania, quantacunque ejus pars iis parebat, itidem ab illis haud fuiſſe neglecta, extra omne dubium eſſe debet. *Can. x. & ix.*

XXI. Ex Galliis autem petenda fuere exempla, quia ob defectum ſcriptorum, quomodo tum ſe res in Germania habuerit, non ſatis conſtat. Non eſt verò quod quis arbitretur, aliter tum in Germaniâ atque alibi in Regno Francorum obtinuiſſe. Nihil enim eſt quod ſuadeat, minorem ſibi priſcos Francorum Reges in Germanos uſurpaſſe poteſtatem, quam in ipſos Francos Galliæ incolas: præſertim cum multas in Germaniâ Eccleſias deſolatas & deſtructas Reges Francorũ reſtaurarint; qua in re primas Dagobertum ejusque filium Sigibertum tenuiſſe ferunt. Nec verò etiam locorum intervalla impedire potuerunt, quo minùs Eccleſiarum in Germania curam agerent. Auſtraſiæ enim Regnum, cujus Germania pars maxima erat, ſuos ſæpe ex Francorum regiâ familiâ proprios habuit reges. Childebertus quoque & Dagobertus in ipsâ Germaniâ ſedem fixerunt, ille quidem Stratisburgi, quod eſt Argentoratus, hic vero Kirchenm non procul ab Argentorato.

Quin Athanaſius & Baſinus Spirenſes Epiſcopi à Dagoberto & Carolo Martello conſtituti memorantur Lehmanno. Vt jam eos præteream, quos à Francorum Regibus Conſtantiæ, Argentorati, VVormatiæ & Moguntiæ Epiſcopos conſtitutos Bruſchius tradit. Minus enim fateor, accuratè ut alia ita & ea quæ ad Epiſcoporum electiones faciunt, perſequitur, quod intuenti manifeſtum eſt.

Lib. III. cap. 13. & 21.

XXV. In Bavariâ verò, quæ tunc proprios habebat Reges aut Regiæ auctoritatis Duces, interdum à Rege aut Duce, interdum à populo Epiſcopos delectos, Leges Bajovvariorum, cum aliàs editę tum quæ ſunt Codici Legum antiquarũ Friderici Lindenbrogii inſertæ, indicant. Ita enim legitur cap. XII. lit. I. *Si quis Epiſcopum, quem conſtituit Rex, vel Populus ſibi elegit Pontificem, occiderit, ſolvat eum Regi vel Plebi, aut parentibus, ſecundum hoc edictum.* Hæc utiq; aperta ſunt. Bonifacius ipſe à Principibus ſive Majoribus Domus Pipino & Carolomanno Moguntinus juſſus eſt eſſe Archiepiſcopus. Is, qui ejus vitam deſcripſit, apud Surium die quinto Iunii, manifeſtè ait: *Gervilione depoſito S. Bonifacius à Carolomanno & Pipino fratre ejus Moguntinæ Sedi præficitur.* Dein cum *infirmitate corporis prægravatus Synodalia Conciliorum conventicula,* (verba ſunt VVilibaldi *in vita ejus cap. X.*) *per omnia adire non poſſet,* idem ille Bonifacius, *conſultu atque conſilio glorioſi Regis Pipini Lullum ſibi ſucceſſorem conſtituit.* Zacharias Pontifex ipſe Epiſtolâ CXLII, Bonifacio ſcribit: *quod tibi ſucceſſorem conſtituere petiiſti, ut te vivente in tuo loco eligatur Epiſcopus, hoc nulla ratione concedi patimur, quia contra omnem Eccleſiaſticam regulam, vel inſtituta patrum eſſe, monſtratur.* Quid verò ſibi volunt illa verba, quod *petiiſti tibi ſucceſſorem*, ſi hæc ad Pipinum, à quo petierat, non ſunt referenda? Supereſt vero adhuc Epiſtola Boniſacii ad Fulradum preſbyterum ...

Fu,o-

Baronium *tomo IX Annalium*, ad annum 755, quæ eſt in codice Epiſtolarum Bonifacii XCII, quâ rogat Fulradum, ut Pipinum adeat, eumque ſuo nomine roget, ut, ſi clementiæ ipſius placeat, Moguntiæ *Lullum in miniſterium populorum & Eccleſiarum componere & conſtituere faciat prædicatorem & doctorem presbyterorum & populorum.* Cum deſiderium impetraſſet Bonifacius, gratias egit Pipino per Epiſtolam, quæ eſt inter epiſtolas Bonifacii CIV. Hæc enim huc omninò referenda eſt; ut liquet, ſi quis VVilibaldi verba antè allata cum hâc Epiſtolâ conferat. Sed & aliàs Bonifacius hanc Regium poteſtatem agnovit. Cum enim Bavariam omnem in quatuor diœceſes divideret, & ſingulis præficeret Epiſcopum; *Odilone Duce conſentiente* id eſſe factum tradit VVilibaldus *capite IX.*

XXVI. CONSENSV igitur Principum tunc fuiſſe opus, non eſt dubitandum. Pontificis autem Romani approbatione non fuiſſe tum opus, non eſt quod dubitemus; quoniam nullum ejus indicium leviſſimum in omnibus iſtius ævi monumentis liceat obſervare. Tantùm in novis Epiſcopatibus conſtituendis, poſſit videri eo tempore Pontifices Romanos autoritatem ſuam cœpiſſe miſcere. Bonifacius nempe contendit per literas à Zacharia Pontifice, ut, quas in VVirtzburg Baraburg & Erpfesfurt Epiſcopales ſedes conſtituerat, Apoſtolicæ Sedis autoritate confirmaret; ejus quoque petitioni aſſenſum haud difficulter præbuit Zacharias, & rata habuit quæ conſtituerat Bonifacius. Sed cum Bonifacius novo, & quidem inſolito more, Romanæ Sedis Legatus fuerit, illique planè nova quadam ratione addictiſſimus, ab ejus factis argumentum ſueti tùm & recepti moris, quaſi nempe conſtitutio novorum Epiſcopatuum omnium etiam hactenus fuiſſet ſolius poteſtatis Papalis, haud ſatis rectè ducas, & jus aliis quod

Epiſt. CXXXII.

Ep. CXIII.

quod Pontificis Romani arceſſas. In Moguntinæ ſanè Metropoleos nova conſtitutione, quod ſibi Principes Carolomannus & Pipinus conſenſum aliquem Romani Pontificis impetrandum cenſuerint, ut eſt in vitâ Bonifac i, ea res longe aliter ſe habet. Jampridem ſcilicet uſu venerat per Galliam, ut Metropolitani in celebratione ſacrorum, ad majorem muneris ſui ſplendorem, uterentur ſacri veſtimenti aliquo genere quod Pallium appellaverunt: unde in Concilio Matiſconenſi decretum fuit anno quingenteſimo octogeſimo primo, ne Archiepiſcoporum quisquam præſumeret Miſſam celebrare ſine Pallio. Verùm illa Pallia unusquisq; illorũ ſibi hucuſq; confici curaverat. At verò Bonifacii perſuaſione, anno ſeptingenteſimo quadrageſimo ſecundo, Galliæ Metropolitani conſenſerant, impoſterum Pallia ſua à Romanorum Paparum manu accipere, non autem, ceu hactenus ſueverat, propria ſeſe auctoritate iis induere. Epiſtolâ centeſimâ quintâ ita loquitur de hoc negocio ipſe Bonifacius: *Decrevimus in noſtro Synodali conventu, & confeſſi ſumus fidem Catholicam & unitatem & ſubjectionem Romanæ Eccleſiæ ſine tenus ſervare, Sancto Petro & Vicario ejus velle ſubjici, Metropolitanis Pallia ab illa Sede quærere, & per omnia præcepta S. Petri Canonicè ſequi.* Potuit autem hoc Metropolitanis Galliæ ea tempeſtate non difficulter perſuaderi, quia per totos octoginta annos Gallia caruiſſet Archiepiſcopis, & curante Bonifacio tunc recenter per Carolomannum & Pipinum nonnulli fuiſſent quaſi de novo reſtituti. Ex eo igitur tempore munus Metropolitanum à Romanæ Sedis cõ[n]ſenſu inſolitâ hactenus ratione cœpit quadamtenus dependere: ac proinde ad Moguntinum Metropolitanum conſtituendum, hac ipſâ de cauſſâ inducti ſunt illi Francorum Principes à Zacharia Papa conſenſum expetere

petere, quod alioquin non fuiſſet neceſſarium. Et vero ad id ut Bonifacius ille conſtitueretur Epiſcopus, conſenſus Zachariæ Papæ non fuit poſtulatus, neque ad id illo fuit opus. Sed & ipſa illa Pallii conceſſio nihil aliud tum fuit quam amica quædam approbatio, non autem ullius ſacræ jurisdictionis largitio. Indicant hoc verba ipſius Zachariæ Epiſtola CXXXVIII. ad Bonifacium ſcriptæ: *De eo, quod ſuggeſſiſti, quod elegerunt unam civitatem omnes Francorum proceres, pertingentem uſque ad paganorum fines, & in partes Germanicarum gentium, ubi antea prædicaſti, quatenus ibi Sedem metropolitanam perpetuò habere debeas, & inde cæteros Epiſcopos inſtrueres ad viam rectitudinis, & poſt tui ſucceſſores perpetuo jure posſideant: hoc, quod decreverunt, nos læto ſuſcipimus animo, eo, quod ex Dei nutu factum eſt.* En, quàm nihil aliud agit Zacharias, quam quod decretum Francorum laudet & probet. Qui à Carolo Magno & Ludovico Pio ſunt in Saxonia alibique inſtituti Epiſcopatus, non auctoritate Papali cœpiſſe, indicant Diplomata inſtitutionum. Quicquid autem ſit de noviter inſtituendis Epiſcopatibus, in Epiſcoporum certe electionibus, Principum ab ipſo Clodovæo uſque maxima, Pontificum autem Romanorum uſque ad Gregorium ſeptimum nulla, velſi caſus aliquis incidiſſet, non adeo magna, habita eſt ratio, præterquam, quod Metropolitani pallia à Romano Pontifice recipere tandem cœpiſſent.

XVXII. VT VERO AD PRINCIPVM, de quo ſermo eſt, conſenſum redeamus: Baronius, quo Pontificiam majeſtatem aſſerat, (quæ ingens ſane detrimentum patitur, ſi Regibus & ſummis Principibus Regio jure illud quod ſibi in electionibus Epiſcoporum uſurparunt competit) conatur nobis perſuadere, jus illud Regibus

promanaſſe à conceſſione Pontificia. Affert in eam rem verba Lupi Ferarienſis in Galliâ Abbatis, (qui diu Fuldæ ſub Rabani diſciplina vixit, teſte Chriſtophoro Brovvero
Lib 1. c. x. *in Antiquitatibus Fuldenſibus,*) *ex epiſtola ejus LXXXI* ad Amulum Lugdunenſem Archiepiſcopum. Baronius verò de eâ re ita loquitur *Tom. 9. Annalium, ad annum 752. Illud non ignorandum, conceſſam fuiſſe à Zacharia Romano Pontifice Pipino Regi Francorum nominationem, quam vocant, ſeu poſtulationem Epiſcoporum pro Eccleſiis vacantibus in Regno ſuo. Vt intelligas, cum legis, à Regibus Eccleſiis eſſe datos Epiſcopos, totum id factum non jure proprio, (quod nullum penitus in Eccleſiaſticis rebus Reges habent,) ſed conceſſione Apoſtolicæ Sedis. Vnde erubeſcant mentientes Politici novatores, cum Eccleſias ſubjiciunt Regibus.* Vnde verò cœteri Reges Francorum id jus habuerant, ſi id demum eſt Pipino conceſſum? Silent enim de Papali conceſſione documenta veterum, nec Baronius tale quid producit. Vnde reliqui atque adeò & Hiſpaniæ ac Britanniæ Reges habuerunt, qui idem uſurparunt? Non etiam Lupi verba id indicant, quod vult Baronius. Liquidum ſcilicet eſt, Lupi verbis agi de ſolâ illâ Epiſcoporum electione, quæ fiebat in *Palatio Regio* inconſulto Populo & Clero. Quam Lupi etiam ætate, atque adeo Rege Carolo Calvo, quibusdam planè fuiſſe viſam iniquam, docet nos libellus Flori Diaconi Lugdunenſis Eccleſiæ, iſthoc tempore conſcriptus. Itaque apparet, Pipinum quoque fuiſſe dubium, num id eſſet licitum piumque. Zachariam autem Papam conſenſiſſe, ſpectata *temporum illorum acerbitate*, quæ nempe curam rerum Eccleſiæ Populi animis excuſſerat. Et verò in Synodo Liptinenſi, quam indubiè reſpicit Lupus, nihil tale de Epiſcoporum electione fuit conſtitutum, quale Baronius venditat. Certè credidiſſe Pipinum, in manu Pon-

nu Pontificis ſic tum eſſe tale aliquod jus ſibi largiri, atque eo animo Zachariæ aſſenſum flagitaſſe, nec Lupi verba indicant, neque etiam aliunde conſtat. Utique, cum Pipinus adhuc Major domus eſſet & Princeps Francorum, aliam ipſi mentem fuiſſe, patet. Ita enim Childericus & Pipinus in Comitiis Sueſſionenſibus anni DCCXLIV loquuntur: *idcirco conſtituimus per conſilium Sacerdotum & Optimatum noſtrorum, & ordinavimus per civitates legitimos Epiſcopos, & conſtituimus ſuper eos Archiepiſcopos Abel & Ardobertum.* Recitat hoc decretum Goldaſtus *tomo tertio Conſtitutionum Imperialium.* Carolomannus quoque, Pipini frater, in Synodo, (cujus acta in librum quintum Capitularis tranſtulit Benedictus Levita,) ita Regio more loquitur. *Ego*, inquit ipſe Carolomannus, *Dux & Princeps Francorum ſynodum congregavi. Et per conſilium ſacerdotum & optimatum meorum ordinavimus per civitates Epiſcopos, & conſtituimus ſuper eos Archiepiſcopum Bonifacium, miſſum ſancti Petri.* Nulla hic conſenſus à Pontifice aliunde impetrandi ſuſpicio mota eſt. Suâ autoritate & Epiſcopos & Metropolitanos eſſe conſtitutos, uterque & Pipinus & Carolomannus diſerte loquuntur.

XXVII. Hoc loco autem mirari licet, cur Baronius conceſſionem Pipino à Zacharia factam tam multis urgeat, in celebre vero illud & πολυθρύλητον Hadriani I privilegium, uti communiter vocant, quo is Carolo adhuc Patricio electionem Romani Pontificis & Epiſcoporum inveſtituras conceſſit, plenus irarum inſurgat. Conceſſit nempe, ex ſententia ipſiusmet Baronii, Zacharias Pipino, nominationem Epiſcoporum; hæc verò, ſi rem ipſam videas, non multum ab inveſtiturâ differt, utpote quæ vel conſenſus eſt in perſonam à clero & plebe electam,

ctam, atque ita aliquid nominatione minus, vel eſt clero & plebe inconſulta à Rege cujuſpiam ordinandi facta Metropolitano nominatio, quem, ſi Metropolitanus dignum illo munere judicèt, Epiſcopum hic ordinet & conſecret. Ipſa ſane à clero & plebe facta electio, nihil aliud reapſe eſt, quam ſimplex certæ perſonæ nominatio. Cum igitur idem fermè ſit, nominationem Epiſcoporum, atque inveſtituras Epiſcoporum concedere, cauſa nulla erat, cur Baronius tantá quidem vehementia in Sigebertum Gemblacenſem declamaret. Sed indubiè bilem Baronio movit, quod Decreto iſthoc Romani Pontificis cõſtituendi poteſtas Carolo fuerit cõceſſa. Adverſatur id ſane Põtificiæ majeſtati, quam ſibi extollendam ſumſerat. Quicquid tamen obnitatur, conſtat huic Adriani Decreto ſua autoritas. Vindicarunt â falſi crimine Sigebertum cum Marcus Antonius de Dominis *lib. VI. de Rep eccleſiaſt. cap. 7.* tum verò prolixiſſimè ὁ πολυμαθέστατος Goldaſtus *in Rationali ad Conſtitutiones Imperiales*, nec non in *Replicatione cap. 13* ut & ante triennium Clariſſimus Præſes *ſcripto, quod de Germanorum Imperio Romano edidit cap. VI.* Vix quiſquam certè ante Baronium auſus eſt, illos Canones apud Gratianum, qui eodem loco eos ſuo Decreto inſeruit, falſi poſtulare. Bellarminus ipſe ut legitimos adduxit *Libr. II de Rom. Pont c. 29. & lib. I. de Cleric. c. IX & li. I. de Translat Imperii c. XIII.* Monitus tamen deinde, retractavit cum in Recognitone ſuorum operum, tum libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, quod eos pro legitimis habuiſſet: atq; vel falſos eſſe vel certè dubiæ fidei. Caput autem Baronianæ accuſationis eſt: nec Anaſtaſium Bibliothecarium pene σύγχρονον & rerum Romanarum callentisſimum, nec quenquam alium ante Sigebertum, meminiſſe hujus Decreti. Vtrumque verò falſum eſt. Expreſſa enim ejus mentio

tio exſtat in oratione Gregorii VI Papæ apud VVilhelmum Malmesburienſem, *lib. II de geſtis Reg. Anglor. cap. XIII*: obſcurior in Eutropii Langobardi libro, quem de ſtatu Romanorum ſub Græcis & Francis Ottonum ævo conſcripſit. Quod de Paulo Diacono & VValthràmo objicitur, id infirmum adeò eſt, ut non egeat reſponſione. Anaſtaſium verò hanc narrationem non prætermiſſe, ex ipſomet Onuphrio Panvinio diſcimus. Is enim apertè, deſumtum hoc eſſe à Gratiano ex Anaſtaſij *hiſtoriâ eccleſiaſticâ* tradit: neque etiam aliter credi inſcriptio capituli apud Gratianum patitur. Invictum verò argumentum eſt, quod Platina, qui indubie optimo & incorrupto Anaſtaſij codice uſus eſt, hanc conſtitutionem Hadriani in Anaſtaſij hiſtoriâ legerit. Verba enim ejus ſunt in Paſchali primo: *Idem Bibliothecarius ſcribit, Ludovicum liberam eligendorum Epiſcoporum poteſtatem Paſchali dediſſe, cum antea eâ quoque in re Imperatores conſulerentur: quam poteſtatem ab Hadriano Pontifice Carolo conceſſam, idem autor refert.* Platinæ igitur ætate in Anaſtaſio quoque hanc Hadriani conſtitutionem repertam eſſe, ſatis conſtat.

XXIIX. Quid? quod ipſa experientia Sigeberto ſuffragetur. Summa enim utique ex eo tempore fuit in eligendis Romanis Pontificibus Imperatorum autoritas. Id quod & Marcus Antonius de Dominis & Ampliſſimus Piaſes in ſcripto *de Germanorum Imperio Romano* multis adſtruxerunt. Integrum ſane manſit Cæſari & illud jus, donec Carolus Calvus à Joanne Papa conſecratus Imperator, ut alia quammulta Cæſarum jura ita & hoc per ſummam imprudentiam prodegit. Ex eo enim fateor, aliquandiu circa Paparum electiones nulla fuit Carolovingicorum Cæſarum Regumque auctoritas. Eòque cum iſthac Lib. IV. cap. 11.

 tem-

tempeſtate libellum ſuum de Electione Epiſcoporum conſcripſerit Florus Diaconus Lugdunenſis, non eſt mirum, ad Paparum ſine Principum aſſenſu factas creationes, eum provocaſſe. Cæterùm paris atque Adriani auctoritatis eſt altera illa Leonis VIII, quem Otto Magnus Imperator pulſo Johanne XII homine monſtroſo Papam creaverat, conſtitutio, quâ idem Leo iſte Ottoni, quod ante Hadrianus Carolo, conceſſit. Recitat vero eam, ut & alteram Hadriani, Gratianus *Diſt. LXIII.* levitatis ideo à Baronio & Bellarmino pariter notatus. Fictitiam quidem hanc quoque contendit Baronius *Tom. X Annalium, anno* 964, ſed irrito conatu. Non ſine cauſa eſt ulla, cur hujus Decreti fidem quiſquam elevet, ſi Hadrianeum illud firmo ſtat talo. Sed illud quidem paulò ante aſſertum, & Sigebertus ab impoſturæ crimine, quod ipſi impegerat Baronius, vindicatus eſt. Tria verò, quod utramq; cum Hadriani tum Leonis VIII conſtitutionem attinet, diſquiſitione aliquâ indigent. Dicendum enim *primò* an Adrianus Carolo & Leo Ottoni poteſtatem dederint liberè inveſtiendi Epiſcopos omnium Provinciarum, Regno Francorum & dein Germanorum ſubjectarum, an verò ſolius Patrimonij Divi Petri, an Italiæ totius, an in his omnibus locis ſimul. *Deinde*, ad quaſcunque demum provincias illud decretum pertineat, an utraque conſtitutio dici conceſſio & privilegium poſſit. Et *tertio* denique dicendum fuerit, an Carolus Magnus ejusque ſucceſſores inveſtituras Epiſcoporum exercuerint, an verò iis renunciaverint, quod ait Baronius.

XXIX. Vix quiſquam verò eſt, cum veterum tum recentiorum, qui non utramque hanc conſtitutionem de confirmatione juris antiqui, quo Francorum Reges in conſtituendis Epiſcopis uſi diu fuerant, vel de conceſſio-

ceſſione poteſtatis inveſtiendi Epiſcopos per omnes omnino provincias Francorum & poſt Germanorum Regibus parentes interpretatus ſit. Sigebertus Gemblacenſis ipſe de Henrico V diſertè ait: *Rex uti volens autoritate & conſuetudine, & authenticis privilegiis Imperatorum, qui à Carolo Magno, qui poſt de regibus Francorum imperavit Romanis, jamq; per trecentos & eo amplius annos imperaverant ſub LXIII Apoſtolicis, dabat licitè Epiſcopatus & Abbatias per annulum & virgam.* VValthramus quoque non in aliâ fuit ſententiâ. Ubi enim de Carolo M. ipſi ſermo, ait, Pontificem Romanum *de inveſtiendis Epiſcopis per Reges antiquam conſuetudinem confirmaſſe.* Idem ſenſiſſe videntur, quotquot harum conſtitutionum meminerunt, quos magno numero teſtes adducit in Rationali Goldaſtus. Idem ſenſerunt Matthæus Pariſienſis & Nauclerus; uterque enim Sigeberti Gemblacenſis verba tranſcripſit. Quin Imperatores ipſi pro jure inveſtiendi Epiſcopos ad hæc privilegia provocarunt. Abſurdi verò ſunt, nec refutatione aliquâ digni Canoniſtæ; qui ineptiunt, eſſe hâc conſtitutione conceſſum Carolo inveſtire Epiſcopos & in Franciâ & in Hiſpaniâ, quia unus eſt Imperator, atque ita ad vulgares illas nugas de Imperatore mundi domino delabuntur. Nec multò meliùs ſentiunt, qui Hiſpanis quoque inveſtituras Epiſcoporum in perſona Caroli à Pontifice tributas putant, quos refellit Didacus Covarruvias *Tom. 1. Part. II Relect. c poſſeſſor mal. fid.* §. 10. & ex eo Henningus Arniſæus *lib. II. de Jure majeſtatis cap VI.* Eorum ſententia, qui utramq; Pontificis conſtitutionem juris antiqui confirmationem dicunt, minùs eſt improbabilis. Stat enim pro eâ omnium pene veterum recentiorumque autoritas. Neque verò ideò ab eâ recedendum, quod Pontifex conceſſe-

Lib. VI. cap. 7. n. 125. re Carolo Galliæ & Germaniæ Epiſcoporum inveſtituras non potuerit, cum jam ante Carolus more majorum jure Regio Epiſcopos inveſtiverit. Fortè enim ceſſat illa ratio, ſi dicas cum Marco Antonio de Dominis: eſſe illas conſtitutiones, *proprii Principum juris naturalis recognitiones admisſiones & probationes*; *cum remotione obſtaculi injuſti, per prohibitiones perperam & indebitè poſiti: & declarationes, poſſe jam Principes ſuo jure uti, & ſe, quantum in ipſis ſit, nolle illud impedire*: vel cum Duareno, *lib. 3. de ſacris Eccleſiæ miniſt. cap. 11*: *eſſe illas hominum ultrò bonam fidem agnoſcentium confesſiones.*

XXX. Sed ſalvâ aliorum autoritate ac ſententia, novum hoc inveſtituræ jus, ab Adriano & Leone VIII. Papis Carolo & Ottoni delatum, omnino ad ſolos Epiſcopos provinciarum Italiæ illarum in quas jus aliquod hactenus fuerat Imperatoribus Conſtantinopolitanis eorumque Exarchis, non ad reliquos Germaniæ Galliæque, imo nec ipſius Italiæ, Epiſcopos pertinuiſſe, potiùs eſt ſtatuendum. Goldaſtus quidem *in ſuo Rationali* ad Italiam totam extendit hanc conſtitutionem, ſed etiam hoc minus rectè. Argumenta utique, quæ affert, rem non conficiunt. Immo, quibus ille rationibus ductus negat, Decretum Hadriani de Galliæ, Germaniæ, Aquitaniæ, aliarumque provinciarum Epiſcopis accipiendum, eædem pro magnâ Italiæ parte militant. Verba Goldaſti ſunt: *Populus Romanus aut Pontifex dare non potuit, quod non habuit*: Et poſt: *Carolus non à Populo Romano nec à Pontifice jus illud in patriis regnis accepit, ſed ab anteceſſoribus legitimâ ſucceſſione hæreditavit: non etiam in Regnis à ſe devictis, putâ Aquitaniâ VVaſconiâ, Hiſpaniâ, quæ victoriis lege non jure donationis adminiſtravit, patriiſq; regnis adjunxit.* In Langobar-

gobardorum ſcilicet regnum, quod magnam Italiæ partem tunc occupabat, jus itidem nullum pridem fuerat Cæſaribus aut Exarchis aut Pontifici Romano. Ipſi potiùs Langobardorum Reges, captâ Ravennâ & Exarchatu ſublato, quæ Exarchis fuerat in Romam Papam & Exarchatus Epiſcopos poteſtas, ad ſe tranſiiſſe exiſtimarunt. Carolus autem Regnum Langobardicum armis obtinuit, & in devicti Deſiderii jura ſucceſſit. Cum igitur Langobardorum quoque Reges, more tum Principibus ſummis uſitato, Epiſcopos conſtituerint, id jus Carolum ab Adriano obtinere opus non fuit. Cæterùm obtinebant tum Pontifices Romani partim injuſta uſurpatione, partim verò Regum Francorum, Pipini maximè, dono, non ſolùm Vrbem Romam & Ducatum Romanum, ſed & aliàs nec incelebres nec numero paucas Italiæ provincias & civitates. In has autem Carolus, Patritius primum à Populo & Pontifice Romano deinde Imperator dictus, ſummum eſt adeptus imperium; quod reliquum erat Italiæ Regni Langobardici nomine tenuit, ut ait quoq; Sigonius *libro IV de Regno Italiæ.* Cum ergo Adrianus Papa Carolum Patritium, & Leo VIII Ottonem Auguſtum & Imperatorem agnoſcerent, quibus ſumma jam majeſtas in Urbem Romam & illas provincias, quas Principum dono Romana Eccleſia poſſidebat, cum Patritii & Imperatoris nomine erat collata, jure arbitrati ſunt, æquum eſſe, ut more per totum Occidentem imò Chriſtianum orbem à ſeculis aliquot recepto, Caroli quoque & Ottonis ſuffragio electiones Pontificis Romani, & Epiſcoporum per ſingulas provincias Pontifici jam aliquo modo ſubditas, confirmarentur.

XXXI. *Carolus verò*, inquit Marſilius Patavinus in

tractatu de Translatione Imperii cap. 8, *Prima conceſſione, poteſtatem videlicet Romanum Pontificem ordinandi, non fuit uſus. ----- De ſecundâ vero conceſſione, videlicet Epiſcoporum inſtallatione, ſe aliquoties intromiſit, ut ex ipſius geſtis in plerisque locis apparet.* Si ad manus eſſent Hadriani Pontificis literæ, quas ad Carolum aliosque dedit, fortaſſis certiora afferri poſſent. Editæ enim quidem illæ ſunt à Gretzero, ſed ejus voluminis exemplo omni nunc deſtituimur. Habuit verò easdem & Matthias Flacius Illyricus, cum octavam centuriam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ compilaret, Baronius verò ſerò doluit eas deperditas, cum Bibliotheca Vaticana illas ante poſſediſſet. Recitavit tamen ille argumenta illarum, quæ reliqua nobis ſunt. Ex his argumentum Epiſtolæ trigeſimæ nonæ tale eſt: *Carolum mendacii arguit & objurgat, quod Ravennam ad electionem novi Pontificis legatos ſuos direxerit.* Paulò pluribus verbis recitat idem argumentum Flacius, cum ait: *Adrianus in Epiſtola ad Carolum negat, legatos ejus electioni Ravennatis Epiſcopi unquam interfuiſſe, & aſſerit, Ravennates ſemper ab Apoſtolica ſede Archiepiſcopos petere.* Quocunque autem modo hæc res ſe habeat, conſtat hinc: Carolum in conſtituendo Epiſcopo Ravennatium, qui Pontifici parebant, ſui quoque rationem haberi voluiſſe. Reliquum tamen aliquid & Adriano in conſtituendis Epiſcopis fuiſſe videtur. Ita enim in Epiſtolâ, cujus particula in tractatu Flacii de Epiſcoporum electione exſtat, ad Carolum ſcribit: *Quia nunquam nos in ullâ electione nobis ſubjecta ingesſimus, nec ingerere habemus; ſic neque veſtram Excellentiam optamus in talia recumbere: ſed qualis à clero & plebe cunctoque populo electus canonicè fuerit, ſi nihil ſit quod ſacro obſiſtat ordini, ſolita traditione ordinamus.* Hæc ſi de jure Metropo-

Tomo IX. anno 795.

Cent. VIII. cap. 7.

tropolitico intelligenda non ſunt, omnino oſtendunt. Pontificem quoque Epiſcoporum quorundam electiones Exarchali quaſi jure confirmaſſe. Cæterum hæc rectiùs poterunt intelligi inſpectis ipſiſmet illis Pontificum Epiſtolis a Gretzero editis: præſertim quia à nonnullis laudatur cumprimis in hac cauſâ Epiſtola Septuageſima prima Gretzerianæ illius editionis. Sed fortaſſis, Platinæ ſi fidendum, Ludovicum Pium conceſſioni Adriani de inveſtiturâ Epiſcoporum renunciaſſe, dicendum fuerit. Verba ejus paulo antè allata hîc iterum adſcribo: *Idem Bibliothecarius ſcribit, Ludovicum liberam eligendorum Epiſcoporum poteſtatem Paſchali dediſſe, cum antea ea quoq; in re Imperatores conſulerentur.* Non exſtant etiàmnum hæc in Anaſtaſii hiſtoriâ de vitis Pontificum, tamen à Platina ex Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ Anaſtaſii deſcripta videntur. Facile verò hinc colligere eſt: ſi vera ſunt quæ Platina narrat, de ipſiſmet Papis, aut ſaltim de Epiſcopis illarum duntaxat provinciarum, quæ Pontifici ex dono liberali Pipini & Caroli parebant, ea accipienda eſſe; quorum nempe Epiſcoporum inveſtituram Carolo ab Hadriano conceſſam diximus. Is ſanè imprudens fuerit, qui Ludovicum Pium, optimum utiq; Imperatorem, tam prodigum ſuæ majeſtatis fuiſſe dicere auſit, ut omnium in Germaniâ, Galliâ, & Italia Epiſcoporum eligendorum poteſtatem Paſchali permitteret. At verò tota etiàm illa Platinæ narratio haut ſatis certâ fide nititur, ſi verba ipſius de conſtituendis inconſulto etiam Imperatore Epiſcopis accipienda ſint: ut poſſit cui videri. Leo enim quartus, qui ſeptem à Ludovici obitu annis cathedram Romanam adeptus eſt, in Reatinâ civitate Epiſcopum ordinare auſus non eſt, antequam Imperatorem conſuluiſſet. Reate tamen Romanæ ſubjecta erat metropoli. Conſer-

vavit

vavit nobis verba Leonis Gratianus *Diſt. 36. cap. Reatina*, quod hic quoque legi meretur. Ita enim Leo quartus ad Lotharium & Ludovicum Auguſtos ſcribit: *Reatina Eccleſia, quæ per tot temporum ſpatia paſtoralibus deſtituta curis conſiſtit, dignum eſt ut brachio amplitudinis veſtræ ſublevetur, ac gubernationis tegmine protegatur. Unde ſalutationis alloquio præmiſſo, veſtram manſuetudinem deprecamur, quatenus Colono humili diacono eandem Eccleſiam ad regendum concedere dignemini, ut veſtrâ licentiâ acceptâ ibidem eum Deo adiuvante conſecrare valeamus Epiſcopum. Sin autem in prædicta Eccleſia nolueritis ut præficiatur Epiſcopus, Tuſculanam Eccleſiam, quæ viduata exiſtit, illi veſtra Serenitas dignetur concedere, ut conſecratus à noſtro Præſulatu Deo omnipotenti veſtroq; Imperio grates peragere valeat.* Quid apertiùs his pro jure Principum tunc ſuperſtite afferri poſſit? Licentiam enim utiq; Colonum conſecrandi, ab Imperatoribus petit Pontifex, rogatque ne improbent electionem factam. Hinc adeo evenit, ut Gloſſator notaverit: *conſenſum Principis requirendum electione celebratâ, niſi aliud ſuadeat ſcandalum vel præſcripta conſuetudo.* Hoc verò eſt, quod Leo IV Auguſtis promiſerat, ſervaturum ſe illibata jura Imperalia. Faciunt huc etiam ſequentia duo Capitula apud Gratianum, quippe quæ noſtram ſententiam apertiſſimè confirment. Leo enim Ritæ Comitiſſæ ſcribit; dixiſſe Imperatorem, debere Colonum Epiſcopum Reatinum conſecrari. Stephanus verò Papa in ſimili negotio, Reatinæ Eccleſiæ priſcam eſſe conſuetudinem dixit, ut *Imperiali primum perceptâ licentiâ, & Imperatoriâ directâ Epiſtolâ*, Epiſcopus conſecretur. Hæc ſane tam apertè pro Principum illius ævi jure faciunt, ut ea etiam doctiſſimus Carnutenſium Epiſcopus Ivo, *Epiſtola LX*

ad Archiepiſcopum Lugdunenſem Romanæ Sedis Legatum pro inveſtituris afferat. Autor incertus, qui apud Chriſtophorum Brovverum in ejus *Sideribus* translationem Epiphanii Ticinenſis Epiſcopi Hildenſheimium ab Ortvvino Epiſcopo factam deſcripſit, ita de Ottone M. ait: *Otto Eccleſias per Italiam & Tuſciam, priorum Principum ſævitia ac inſolentia neglectas & deſolatas, canonice reformavit, inque antiquum ſtatum reſtituit.* Si autem in Eccleſiās per Italiam *& Tuſciam* ſuâ autoritate uſus eſt Imperator, in Eccleſias omnes Pontifici Romano ex liberalitate Pipiniana ſubjectas, idem eum jus exercuiſſe, verum vel certè vero ſimile eſt.

XXXII. Eadem autem utriuſque conſtitutionis Hadriani & Leonis ratio eſt. Utraque nimirum conſenſu Populi Romani & in Synodo facta eſt, quod tale quid à ſolo Pontifice decerni non poſſet. Leo ipſe dicit, ſe ad exemplum Hadriani hanc conſtitutionem promulgare. Quantum igitur Carolus Hadriano, tantum quoque Leo Ottoni imò plus etiam conceſſit. Ex Leonis autem Decreto rectiùs adhuc colligi poſſe videtur, quid illis verbis velit; cum inquit, *concedere ſe facultatem Sedis Apoſtolicæ Pontificem ordinandi, ac per hoc Archiepiſcopos, ſeu Epiſcopos, ut ipſi ab eo inveſtituram accipiant & conſecrationem unde debent.* Suſpendit nimirum Leo inveſtituras Epiſcoporum à poteſtate eligendi Pontificem; quæ cum ſolis Imperatoribus fuerit conceſſa, quo jure auſi fuerunt Germaniæ reges, priùs quam Imperatoriâ gauderent majeſtate, inveſtire Epiſcopos? Quo jure cæteri in orbe Chriſtiano Reges, quorum in electione Pontificum nulla habebatur ratio? Reliquum igitur eſt, de ſolis Provinciis Romano Pontifici ſubjectis hæc eſſe accipienda; in quas nempe imperium ſum-

mum, adeoque etiam Epiſcoporum inveſtitura, cum nomine Imperatorio conferebatur: niſi quod tamen eos Epiſcopatus exceperit Leo; *quos Imperator Pontificibus & Archiepiſcopis conceſſerat.* Nec verò hiſce obſtat, quod Gregorius VII, & poteſtatem quam ſibi in Romano Pontifice eligendo deberi aſſerebant Imperatores, & Epiſcoporum inveſtituras eodem tempore oppugnaverit. Nunquam enim is eo argumento eſt uſus: conjunctam eſſe inveſtituram Epiſcoporum cum poteſtate eligendi Pontificem, quâ negatâ fas quoque non ſit Imperatori inveſtire Epiſcopos; ſed jura omnia Eccleſiaſtica, antiquosque Canones violari & perverti clamavit, ſi cuiquam Principi perſonas Deo ſacratas conſtituere permitteretur. Quo argumento non electionem ſolius Romani Pontificis Imperatori, ſed omnes omnino Epiſcoporum inveſtituras omnibus totius Occidentis Epiſcopatuum, imo totius orbis, Regibus extorquere conatus eſt.

XXXIII. HISCE EXPEDITIS, in promtu ſimul jam eſt pronunciare, quid de eo judicari debeat; an rectè, jus inveſtituræ demum ab Adriano & Leone VIII, Carolo Patritio & Ottoni Auguſto eſſe conceſſum, dici poſſit. Si nempe liberè Populus Romanus: (cujus membrum præcipuum erat Urbis Romæ Epiſcopus,) Carolum & Ottonem Magnos, ſibi Principes Patritios & Imperatores adſcivit, ſi liberè Imperium omne in eos transtulit, atque ita in poteſtatem eorum conceſſit, utique rectè utraque conſtitutio *Privilegii* & *Conceſſionis* nomine dicitur. Adepti ſcilicet ſunt Carolus atque Otto id quod antea non habuerant, quodque in Populi Romani poteſtate ſitum fuerat, antequam in Principem transferretur. Rectè inquam jus illud inveſtituræ conceſſum Carolo & Ottoni dicitur; non quidem, ut ſuperior inferiori;

riori, aut omninò æqualis prorſus æquali quicquam concedit, ſed uti liber populus, qui quenquam in Regem vel Principem ſibi adſciſcit, ei ſummum imperium deferre, & in ſeſe jura Regia concedere dicitur. Sicuti verò in Regnis, maximè iis quæ ſunt electitia, ſolet per capitulationes, ut vocant, certis limitibus Regia poteſtas circumſcribi; ita quoque Populus Romanus potuiſſet ſibi liberam ſui Pontificis electionem & conſtitutionem retinere. Sed eam quoque poteſtatem in Principem transferre Populo illi Romano viſum fuit. Marſilius Patavinus hac etiam de re prudenter ſic loquitur in *Defenſore pacis Parte II. cap. 24. Sedis Apoſtolicæ Pontificem inſtituere, pertinet ad Romani Principis & populi poteſtatem. A quo populo non excluditur, ſed includitur clerus, cum ſit pars illius. Quam quidem poteſtatem ſeu autoritatem, ſi transferre voluerunt in Principem, aut ſimpliciter, aut cum determinatione legali, eam Princeps Romanus licitè ſumſit; nec ab ipſo per Decretalem, ſive Legem cujusquam Romani Pontificis, abſque decreto populi potuit licitè revocari.* Creditum nimirum eâ ætate nemini non fuit, ei, penes quem eſt τὸ κῦρος in republicâ, fas eſſe conſtituere Epiſcopos: igitur eadem ratio movit fortaſſis Populum Romanum, ut Carolo & Ottoni *jus eligendi Pontificem ac ordinandi Apoſtolicam Sedem*, ut ait Hadrianus, permitteret. Luculentum ejus rei exemplum recenſet in *ſuâ Metropoli* Albertus Crantzius. *Eo tempore* (inquit, quo ſcilicet Haroldus ab Ottone victus Regnum ab Ottone ſuſcepit) *Dania ciſmarina, quæ Iutia eſt, in tres diviſa Epiſcopatus, Hamburgenſi Archiepiſcopatui operâ Metropolitani ſubjicitur. Servantur in Eccleſiâ Bremenſi literæ Regiæ, quæ ſignant, teſtanturque, Regem Ottonem in ſua ditione Regnum tenuiſſe Danicum adeo, ut etiam illi Epiſcopos pro arbitrio donaverit, quod illa ætas re-*

gibus permiſit. Recitant eadem Adamus Bremēſis & Albertus Stadēſis in Chronico, ex quibus deſcripſit Crantzius. Quid autem his clariùs dici poterat? Otto Imperator ut regnum Danicum ſibi oſtenderet ſubjectum, & penes ſe ſupremam eſſe majeſtatem, Epiſcopatus regni Daniæ contulit. Quid autem vetat, quo minùs cum Crantzio profiteri liceat? Romanos Pontifices in ſuâ ditione Imperium Romano-Germanicum adeò tenuiſſe, ut etiam illi Epiſcopos pro arbitrio donaverint. Olim ſanè res longè aliter ſe habebat. Adeo enim hoc ſibi proprium Reges Germaniæ exiſtimarūt, ut etiam ſuis quibusdam Principibus conſtituendorum in ſuâ provinciâ Epiſcoporum poteſtatem conceſſerint. Henricum ſane primum id nominis Germaniæ Regum id conceſſiſſe Arnulfo Bavariæ Duci, ex Alberto Stadenſi diſcimus. *Henricus Rex*, inquit, *Arnulfo Bavariæ Duci conceſsit, ut Pontifices Bavariæ ſuæ poteſtati in dignitatum conceſsionibus ſubjacerent*. Sed hæc res ſatis liquida eſt, quicquid etiam hieromonarchici obſtrepant.

XXXIV. CONSTAT IAM igitur, fuiſſe jus inveſtituræ Imperatoribus Romano-Germanicis non ſolùm in Vrbe Româ, & Provinciis Romano præſuli ſubditis, ex conceſſione Pontificum & Populi Romani: ſed etiam in Italia reliquâ & omni Germaniâ, non quidem ex Pontificum conceſſione, ſed jure Regio. Cui Iuri id ita intimè fuit tunc conjunctum, ut omnes omninò, qui Regiâ poteſtate populis præerant, illâ ætate jus Epiſcopalis inveſtituræ uſurparent. Quomodo in Saxonicis Eccleſiis Carolovingici pro arbitrio conſtituerint Epiſcopos, ex Crantzii Metropoli diſcere eſt. Furiolanæ in Italia urbis, quam Forum Iulienſe vocant, Epiſcopo decedenti, dignum ſucceſſorem ſubſtituiſſe Carolum, tradit Notkerus Balbulus *de geſtis Caroli M. libr.* II. *cap.* 37. Ludovicum

Pium

Pium orant Patres Synodi Aquisgranenſis, *ut deinceps in bonis paſtoribus rectoribusque in Eccleſiis Dei conſtituendis magnum ſtudium atque ſolertiſſimam adhibeat curam.* Diſertiùs adhuc Crantzius de Ludovico Pio ait: *Imperator tunc inprimis ad conſtituendos Epiſcopos erat implorandus*; & *libro II cap.* 21 iterum de Ludovici Pii ætate ait: *Ea tempeſtate erat magna Regum ſuper Eccleſiis diſpoſitio, nam vacantibus dabant ipſi Pontifices, quos à Papa confirmari poſcebant.* Hinc cum Imperatori maximè ſuam deberent dignitatem Epiſcopi, graviter Theganus Trevirenſis Chorepiſcopus *in vita Ludovici Pii* ingratum illum Ebbonem Rhemenſem Archiepiſcopum, ejusque complices, qui optimum Imperatorem ab Imperio dejectum iverant, increpavit: *O qualem remunerationem reddidiſti ei? Veſtivit te purpura & Pallio, & tu induiſti eum cilicio. Ille te pertraxit ad culmen pontificale immeritum: Tu eum fàlſo judicio voluiſti expellere à ſolio Patrum ſuorum.* Cæterum, in omnibus ſuis Regnis magnâ autoritate circa conſtitutiones Epiſcoporum Francicos Reges uſos fuiſſe, ſole jam meridiano clariùs patet. Vocem ipſam *inveſtituræ* poſtremò quod attinet, illa Germanicis gentibus perantiqua eſt, ut fruſtra etiam in eo ſit Baronius, cum vocem illam Adriani ævo ignotam fuiſſe ait: *Legant & ſcrutentur autores omnes*, ait quidem, *qui Caroli temporibus aliquid ſcripſerunt, ſi alicubi penes eorum aliquem invenerint nomen inveſtituræ, vel uſum ejus per annuli collationem, ut tradunt, & baculi.* Exſtat verò ea (quod videtur excidiſſe Baronio præ affectu animi quo laboravit ſcribens contra Adriani Decretum, cum indubie legiſſet) in Codice Legum Viſigothicarum & Langobardicarum, in Capitulari item Caroli Magni & Ludovici Pii. Uſos quoque hâc voce Monachos S. Galli in antiquis Chartis, ſub

in Metropoli lib. 2. cap. 30.

Tom. IX. Annal. ad annū.

Carolo Magno & aliis præter propter Imperatoribus ſcriptis, quæ *tomo ſecundo rerum Alamannicarum* ſunt inſertæ, rectè monuit Goldaſtus. Vſurpata porrò ea vox eſt & in Feudorum conceſſione, & in quacunque aliâ bonorum alienatione ac translatione etiam ad Eccleſias. Liquet ſanè id ex libro ſecundo Legum Langobardicarum titulo XIIX, lege VII. Lindenbrogio *Veſtitura eſt feudi confirmatio, teſtibus adhibitis facta, & veſtire eſt confirmare.* Translata igitur hæc vox ad ratihabitionem electorum Epiſcoporum, quos Rex vel Imperator *veſtiat*, id eſt, factam electionem ſuo ſuffragio vel conſenſu confirmet.

XXXV. Fuit autem Veſtitura illa olim facta, tradito baculo & annulo in manus Epiſcopi; quo defuncto, baculum & annulum remitti in aulam à primoribus Eccleſiæ illius moris fuit. Illud porrò tribuiſſe inveſtituram certum eſt, ne quenquam fas eſſet, etſi à Clero & Populo unanimi voto electum, priùs ordinari & conſecrari, quàm de conſenſu Imperatoris vel Regis conſtaret hunc debere eſſe Epiſcopum. Conſenſus nempe illius index fuit baculus & annulus Epiſcopo traditus. Quem ritum antiquum non eſſe culpabilem utique, certe non usque adeò noxium, ut propterea totum Chriſtianum orbem ab illo pacis publicæ turbatore Hildebrando concuti neceſſum fuerit, ita planum eſt, ut neminem aliter ſenſurum, quem ſtudium partium aliovorſum non rapuerit, exiſtimem. An verò ille ritus à Caroli Magni ætate demum, an verò ab ulterioribus adhuc annis obtinuerit, res non omninò liquida videatur. Negat ſanè Baronius vel Caroli ætate uſitatum id fuiſſe. Etſi verò, *nihil referas, ſive verbo ſive præcepto, ſive baculo, ſive alia re, quam in ma-*

an tenuerit, inveſtiat aut inthronizet Rex & Imperator Epiſcopum, (ſunt hæc verba VValrami ex *libro de inveſtitura Epiſcoporum*) certum tamen eſt, Caroli quoque & Ludovici Pii ætate hanc obtinuiſſe conſuetudinem: quia Ludovicum Iuniorem Regem Germaniæ Pii filium, hunc in Epiſcopis inveſtiendis ritum uſurpaſſe conſtat. Et hujus quidem teſtem do Albertum Stadenſem in anno DCCCLXV. *Rembertus Bremenſis Archiepiſcopus pallium pontificale ſuſcepit à Papa Nicolao, ferulam paſtoralem à Cæſare Lothevvico.* Tranſcripſerat autem hæc ex Adami Bremenſis *cap.* 28. qui eadem verba acceperat ex vita Remberti. Crantzius cum de eodem Remberto ageret, in Metropoli lib. II. cap. 2. *ferulam paſtoralem*, interpretatur *inveſtituram feudalem*, & *lib.* II. *cap.* 19. ait fuiſſe id tum *ſignum infeudationis*. Idem Albertus Stadenſis in anno CCMDXXXIIX. *Adalgarius ferulam paſtoralem ſuſcepit ab Arnolfo Rege, Pallium pontificale à Stephano Papa.* Et in anno CMIX. *Hogerus pallium ſuſcepit à Sergio Papa, ferulam à Rege Lothevvico.* Quæ itidem ex Adamo Bremenſi tranſcripta ſunt. Ritus igitur ille ferulâ paſtorali inveſtiendi Epiſcopos omnem, antiquus fuit, atq; ipſa etiam Caroli ætate uſitatus. Imo vero pridem ante fuiſſe in uſu Regibus Francorum, liquet ex hiſtoria vitæ Romani Rotomagenſium Epiſcopi, qui, Iureto annotante, vixit circa annum Chriſti ſexcenteſimum viceſimum tertium. Ita enim illa loquitur. *Fit inter Palatinos Proceres de viro ſancto communis aſſenſio, qui omnes unanimiter Regi conſulunt, ne grex Chriſti ſuo fraudaretur deſiderio, ſed divina protinus ad effectum ducatur electio. Quo Rex gratulatus conſilio, convocatis tam Epiſcopis quam Abbatibus, baculum illi contulit Paſtoralem.* Id fortasſis incertum eſt, an jus inve-

ſtituræ

ſi turæ aliud quid etiam Imperatoribus tribuerit, præter conſenſum ad conſtitutionem Epiſcopi neceſſarium. Quin enim potuerint electum à clero & populo Epiſcopum rejicere alio conſtituto, quin etiam inconſultâ interdum plebe aut clero Epiſcopos dixerint, dubium non eſt. Veriſimile autem & pedi paſtoralis collatione modò hoc modò illud fuiſſe ſignificatum.

XXXVI. QVANTVM ERGO ex Carolovingici temporis rebus geſtis colligitur, ad eum fermè modum, ætate Caroli Magni & Ludovici Pii ejusque ſucceſſorum, Epiſcoporum Germaniæ electio, communiter quidem & ordinariè ſe habuiſſe videtur. Defuncto Epiſcopo, Clero & populo illius urbis, vel ſi Metropolis eſſet, Clero Populo & provinciæ Epiſcopis, permiſſa fuit libera Epiſcopi electio, vel nominatio. Nominatus autem conſecrari à Metropolitano non ante potuit, quàm Regis vel Imperatoris acceſſiſſet conſenſus. Quo impetrato, (haud difficiles verò in eo fuiſſe pios illos Imperatores, docent hiſtoriæ) ubi inveſtitus eſſet Epiſcopus electus, & juramentum præſtitiſſet (id enim quoque neceſſarium erat,) nihil quicquam amplius, præter conſecrationem à Metropolitano vel Epiſcopis vicinis faciendam, deſiderabatur. Omnem iſtam ævi illius conſuetudinem luculentiſſimè prodidit libellus *de Epiſcoporum promotionibus* perquam vetuſtus, quem *Appendici Tomi ſecundi Conciliorum Galliæ pag. 633.* inſeruit Iacobus Sirmondus, quia & ipſas refert formulas tunc uſitatas quæ alibi nusquam reperiuntur. Certè hunc unum libellum ad morem ævi illius intelligendum conſuluiſſe penè ſuffecerit, ſaltim erit utiliſſimũ. Quod ſeorſim verò attinet id quod diximus, ita ſe rem habuiſſe, ut à clero & plebe primũ nominaretur Epiſcopus, & ex libello iſthoc ex antiquis ejus ætatis monumentis cõſtat. Cujusmodi & illud

eſt de

eſt de Remberto Bremenſi Epiſcopo apud Adamũ Bremenſem c. 27. *Rembertus à clero ſimul & populo electus eſt*. Etſi enim ſint qui plebis putant nullam eſſe rationem tunc habitam, tamen oppidò falluntur. Probatum id ſatis dedit Matthias Flacius Illyricus non ſolùm in *Catalogo teſtium veritatis*, & *Centuriis Eccleſiaſticis*, ſed etiam ſingulari ſcripto, quo oſtendit, electionem Epiſcoporum non ad Eccleſiaſticos ſolum, ſed & ad laicos pertinere, eoque hoc electionis jure inde usque à Chriſti tempore per annos MCCC liberè uſos. Alios nunc commemorare, & eorum ſcrinia compilare non libet. Rectè verò id adſtruxit Flacius, allatis compluribus teſtimoniis & exemplis (etſi ea non ſatis diſtinctè & ferè ſine ordine proponat) ductoque à conſuetudine diuturnâ Eccleſiæ ſic ſatis egregio argumento. Sanè cum Bellarminus dextrè refellere illud non poſſet, maluit criminari Flacium, quàm nihil dicere. Præterea autem dubitare eâ de re nos vetant Caroli & Ludovici Pii notisſimæ illæ conſtitutiones, quæ liberam Clero & Populo permittunt electionem. Leguntur illæ in Decreto Gratiani *Diſt*. LXIII & in Capitulari *Lib.* I. *Tit.* 84. & *Lib.* VII. *Tit.* 73. *Sit facultas clericis renitendi, ſi ſe viderint prægravari*. Quin non ſolum Clero & Populo optimos illos Imperatores liberam permiſiſſe nominationem Epiſcoporum, ſed etiam *Monachis ex ſe ipſis ſibi eligendi Abbates licentiam dediſſe ex lib.* I. *Capit. tit.* 86. diſcimus. Quanquam non in omnibus Monaſteriis id ex eo ſtatim cœperit obtinere. Adrianus quoque primus Papa in Epiſtolâ ad Carolum Magnum, quàm ſit Cleri & Plebis in conſtitutione Epiſcopi conſenſus neceſſarius, rectè agnoſcit. *Apoſtolicâ*, inquit, *providimus autoritate, ut canones in decretis eorum conſiſtant, & quando à nobis ordinantur*, (Epiſcopi) *obtanâ*

tanâ conſuetudine proclametur : *Plebs & Clerus Eccleſiæ illius ſimul conſiſtens, elegerunt ſibi Epiſcopum.* Olitana conſuetudo Adriano eſt conſuetudo antiquitus inolita, ut olitani canones, antiqui canones. Ita olitana tempora dixit Anaſtaſius *in Paſchali primo*, & olitanâ conſuetudine in Francorum regno Reges ex genere prodire, dicit Carolus Calvus in libello proclamatorio adverſus VVenilonem apud Baron. *Tom. x anno 859* : voce ſcilicet quaſi ab *olim* derivatâ. Non enim (ut perperam Flacius opinatur) Concilii cujuſpiam id nomen eſt. Ad electionem vero Epiſcopi non clerus & plebs ſola illius civitatis quæ præcipuè eſſet futura Epiſcopi ſedes, concurrebat, ſed ex tota quoque provincia conveniebant. Diſertè propterea Hincmarus in *Epiſtolâ ad Hadebertum Silvanectenſem Epiſcopum*, quem electioni Beluacenſis Epiſcopi volebat intereſſe, ſcribit : *Electio non tantum à civitatis clericis erit agenda, verùm de omnibus monaſteriis ipſius Parochiæ, & de ruſticarum Parochiarum presbyteris occurrant vicarii, commorantium ſecum concordia vota ferentes, ſed & laici nobiles ac cives adeſſe debebunt. Quoniam ab omnibus debet eligi, cui debet ab omnibus obediri.* Si ſtudia ſanè omnium & vota, ſecundum formam electionis à Metropolitano transmiſſam in quemquam conveniſſent, *decretum Canonicum fieri, ac ſigillatim omnium manibus roborari oportebat*, ut idem Hincmarus in Epiſtolâ ad Hedenulphum Laudunenſem Epiſcopum, & alterâ ad Clerum & plebem Beluacenſis Eccleſiæ loquitur. Recitat tale decretum cleri ordinis & plebis civitatis Metropolitanę ad provinciæ illius Epiſcopos Flacius *in Catalogo teſtium veritatis*; & aliud Cleri ac plebis Redonenſis in Aremoricâ Eccleſiæ, *ad univerſalis Eccleſiæ ſacroſanctos patres*

præ-

præcipueque illius diœceſis præſules, habet Baronius *Tom. X. anno DCCCLXVI.* Miſſo dein hoc Cleri & Plebis canonico decreto ad Metropolitanum, ſi dignus illo munere haberetur electus, ab eo ordinabatur. Prius tamen ſeriò & diligenter de iis, quæ ad Epiſcopi officium pertinent, fuit admonitus, præmiſsâque fidei aliquâ profeſſione, & præſtito Metropolitano juramento, ſic ab eodem eſt conſecratus. Talem fidei profesſionem recitat anno DCCCLXVI Baronius, factam ab electo Epiſcopo Redonenſi. Aliam profeſſionem fidei, cum formulâ juramenti Hincmaro Metropolitano ab Adelberto Morinenſis Eccleſiæ Epiſcopo electo præſtiti, inſeruit ſuo Catalogo Flacius. Demum ordinatus, cum teſtimonio ordinationis, & inſtructione aliquâ quomodo ſe deinceps in hoc Eccleſiaſtico officio gerere oporteret, dimittebatur. Vti id ex Hincmari *Epiſtolâ ad Clerum Ordinem & Plebem Eccleſiæ Tornacenſis* aperte conſtat.

XXXVII. Etſi verò ex hiſce manifeſtò liqueat, conceſſam clero & populo liberam electionem, nequaquam tamen cum Baronio licet progredi, ut excludere penitus Regiam autoritatem ab Epiſcoporum inſtitutionibus auſis. *Tomo IX. anno 814.* Qui enim id aſſerere voluerit, in dubium eum vocare neceſſe eſt omnia antiquorum monumenta, quæ conſenſu Regis vel Imperatoris in Epiſcopo conſtituendo opus fuiſſe, liquidò docent. Et verò etiam tum quando liberam electionem permiſerunt optimi Reges & Imperatores, nequaquam jus ſuum omne abdicaſſe putandi ſunt. Abſolutas donationes, violentas obtruſiones, & ſi qua alia ratione libertas Eccleſiaſtica graviter læditur, prohibuerunt quidem Carolus M. Ludovicus Pius, ut & ejus filius Carolus Calvus Rex Galliæ & demum Imperator, in *Concilio Sueſſionenſi cap. XII*, cujus Concilii capitula teoi-

tat Baronius *Tom. x. anno* 813. De expreſſo tamen in perſonam jam electam conſenſu Regum non poſtulando, altum ubique eſt ſilentium. Nihil ſane eſt, quod in hanc rem quiſquam Hildebrandinorum producere poſſit: etſi eorum id eſt perpetuum ſtudium, ut Pontifici omnia tribuant, Principibus nihil non derogent, eorumque jura, quacunque demum ratione id licet, imminutum eant. Nec verò etiam Florus ſcriptor ſeculi noni declinantis, cujus fragmentum aliquod *in appendice ad tomum XII* affert Baronius, tradit ἁπλῶς, non eſſe neceſſarium Regis & Principum in electionem Epiſcoporum conſenſum. Non enim ait, ſimpliciter ſupervacaneam eſſe Regii ſuffragii autoritatem, ibi etiam ubi id conſuetudine receptum erat: non clamat auferendum id jus Regibus. Tantum negat, conſenſum Principum ſemper in electione Epiſcoporum neceſſarium eſſe, & quidem ita ut absque eo ſi ſit, nullus poſſit eſſe Epiſcopus, & ordinatio quoque irrita ſit. Id quod nemo fortaſſis negaverit: licet prout jam ab aliquot ſeculis habuerunt ſe paſſim terrarum res Epiſcopales, conſenſus Regius ſaltim ſit utiliſſimus, imò plærumque conſervandæ reipublicæ neceſſarius.

XXXIIX. Id quod dixi verò, hanc olim fuiſſe communem & ordinariam rationem electionis Epiſcoporum, ut electio nominati à clero & plebe à Rege confirmaretur, longè eſſe certiſſimum, confirmant omnium gentium Europæarum Chriſtianarum à quampluribus ſeculis repetitæ perpetuæ hiſtoriæ. Multas jam tum adduximus, itaque ſatis fortaſſè fuerit hic unum alterumque hic addere ex numero infinito. Iohannes Octavus, Pontifex Romanus ſuccenſuit Anſperto Epiſcopo Ebrodunenſi, quod ordinare noluerit eum, quem Veneienſi Epiſcopo mortuo, clerus & populus civitatis elegerat, & Carolus Impera-

perator ſuo firmârat conſenſu. Clerus & plebs Redonenſis impensè in decreto canonico gratias Deo agit, quod Rex Carolus tam promptè factæ poſtulationi conſenſiſſet. *Baron, Tom. x. anno 866.* Sed quid opus eſt tot teſtimoniis maiorem rei jam manifeſtæ lucem fœnerari velle? Id tantùm neceſſariò monendum; poſt Carolum & Ludovicum Pium nonnihil videri poſſe mutaſſe eam conſuetudinē. Permiſſa enim quidem fuit canonica electio clero & populo; ante tamen, quam eligere quenquam clerus populusque auderet, ipſa illa permisſio à Rege fuit ſupplicibus literis impetranda. Exſtat hâc de re Epiſtola Hincmari ad Carolum Regem, lectu digna, quam præter alios recitat quoque ipſemet Baronius *Tom.* IX. *anno* 814. Facit quoque huc apprime illud, quod Luitpertus Epiſcopus ad Clerum & populum Colonienſem apud Reginonem lib. II. ait: *Si electionem nobis à Rege conceſſam deſpicitis, in arbitrio & poteſtate Regis eſt, quem nobis velit dare Epiſcopum.* Quod verò de *Viſitatore* ait Hincmarus in Epiſtolâ ad Regem Carolum, res ita ſeſe habet. Defuncto Epiſcopo mitti ſolitus fuit ab Imperatore vel Rege, qui clerum & populum admoneret, ut remoto privato ſtudio uno eodemque conſenſu talem ſibi expeterent ſacerdotem, qui tanto miniſterio dignus eſſet, ne à venerandis canonibus reſpui poſſet. Idem ille formam electionis, qualiter & qualem eligere deberent, publicè propoſuit, ne quisquam ignorantiæ excuſatione uti poſſet. Atque is *canonicus Viſitator* fuit dictus. Verba hæc ſunt maximè Hincmari ex Epiſtolâ ad Hadebertum Silvanectenſem Epiſcopum: quem monet, ut in Eccleſiâ Beluacenſi ſuo orbatâ Epiſcopo, *Viſitatoris* officium ſuſcipiat. Reſpexerunt huc quoque Epiſcopi, qui anno

DCCCLV, Lothario imperante Synodum in urbe Valentina celebrarunt, cum canone VII ſanxere. *Si quando alicujus civitatis Epiſcopus vocatione Domini deceſſerit, à glorioſiſſimo Principe ſupplicando poſtuletur, ut canonicam electionem Clero & populo ipſius civitatis permittere dignetur.*

XXXIX. Ex quibus liquidò apparet, ſi quando permiſſa eſt canonica electio, eam ipſam permiſſionem à Rege impetrari oportuiſſe. Interdum verò longius adhuc Reges proceſſerunt, ut nimirum ipſi nec Cleri nec Plebis ſuffragio ante requiſito, conſtituerent Epiſcopos. Quod tamen non communiter ſed potius extraordinariè factum dixerim: neutiquam quoque tunc temporis tanquam vitio factum fuit creditum. Patres utique Concilii Valentini, ſi quiquam alii, hi certè rectè de totâ hâc re & ſentiunt & loquuntur. *Si à ſervitio*, inquiunt, *pii Principis noſtri aliquis clericorum venerit, ut alicui civitati præponatur Epiſcopus, timore caſto ſollicitè examinetur.* Si non fuerit repertus idoneus, & Rex noluerit acquieſcere, tunc *Metropolitanus adeat clementiam Imperialem, & ipſe cum Epiſcopis, quibus valuerit modis adeat, ut Eccleſiam Dei glorioſus Imperator digno honoret miniſtro.* Digna utique hæc vox & majeſtate regiâ & humilitate Epiſcopali; teſtis etiam, quàm omnia à voluntate Imperatoris in electione Epiſcoporum tum dependerint. Luculentum verò hujus rei exemplum ſuppeditat nobis Carolus Calvus, Ludovici Pii filius, qui in magno Concilio Tullenſi, habito anno DCCCLIX (cujus acta exſtant apud Baronium *Tomo X anno* 859) adverſus VVenilonem Senonenſem Archiepiſcopum, qui ab eo ad Ludovicum fratrem Germaniæ Regem defecerat, libellum proclamatorium Synodo tradidit, in quo ita Carolus loquitur.

Cum

Cum Metropolis Senonum vacaret, *eam juxta conſuetudinem prædeceſſorum meorum Regum VVeniloni, tum clerico meo in capella mihi ſervienti, quia more liberi clerici ſe mihi commendaverat, & fidelitatem ſacramento promiſerat, conſenſu ſacrorum Epiſcoporum ipſius Metropolis, ad gubernandum commiſi, & apud Epiſcopos, quantum in me quidem fuit, ut eum ibidem Archiepiſcopum ordinarent, obtinui.* In eodem Caroli libello legitur, Epiſcopatum Bajocenſem, cum vacaret, Torroldo, intercedente VVenilone, à Ludovico Rege donatum. Sed hoc fortaſſis rariùs factum, nec ſine omni cleri & plebis conſenſu, ſi non expreſſo, ſaltem tacito, cum rectè in eum Clerus & Populus conſenſiſſe dici poſſit, quem ipſi nemine reclamante & contradicente conſtitui patiuntur. An verò non is conſenſus metu & reverentiâ Regis fictus & ſimulatus ſæpè fuerit, nec aſſerere ego auſim, neque negare. Illud dicere non dubitaverim, potuiſſe accidere, ut abuterentur ſuâ poteſtate Reges, vel invitis Epiſcopos obtrudendo, vel minus idoneos eligendo. Vt fortaſſis eâ de cauſſa Nicolao primo Papæ juſta cauſa aliqua fuerit objurgandi Lotharium, quod, ſi quis ad Epiſcopatum provehendus ſit, non niſi faventem ſibi eligi patiatur: ut eſt apud Gratianum *Epiſt. LXIII.* Fortaſſis, inquam; Nicolao enim illius Papæ animus erga Lotharium in quam multis fuit ſic ſatis iniquus. Nihilominus tamen obtinuit illa conſuetudo, ut Imperator interdum, non permiſſâ canonicâ electione, ex aulâ Epiſcopos mitteret; in quibus tamen recipiendis nullam fuiſſe reliquam Clero & Plebi libertatem, aſſerere non equidem auſim, cum ex antiquis libris Pontificalibus & Agendis aliud conſtet. Non auſos verò interdum ne Principis incurrerent offenſam, liberè quid ſentirent & vellent exponere, nemo facilè dubitaverit: ille tamen

mus apud Adamum Bremenſem *lib.* I. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, & Albertum Standenſem in anno DCCCXV, ex quibus tranſcripſit Albertus Cranzius *lib. III. Metrop. cap. V. Cum Reginvvardus*, inquit, *in fata conceſſiſſet, & Ledradus Bremenſis Chori præpoſitus à Clero & Populo ſurrogeretur; mittitur ſolenni more ad Regem Conradum: pontificalem ferulam, hoc eſt, regalia temporalis dominii jura, ab illo accepturus. Neq; enim potuit Rex aliud quam temporale committere. In familia autem ſuâ Ledradus electus duxit Vni capellanum ſuum. Et cum in conſpectum Regis prodiret electus, non longè aberat Vni, dominum ſuum inſecutus. Rex electionis ordinem perſpiciens, cum illâ tempeſtate arbitrium conſtituendorum Pontificum maximè ſibi Reges vendicarent, ferulam quam manu tenuit, præterito Ledrado, à tergo adſtanti tradidit Vni capellano, eum Eccleſiæ pontificem deſignans.* Et paulo poſt: *Potiſſimam ejus ab hominem cauſam hanc accepimus, quod Rex contemſerit Populi & Cleri electionem ſine ſuo nutu factam, & ideo electum præteriit & alium ſuffecit.* Exiſtimarunt igitur Imperatores & Regem Germaniæ, non eſſe iniquum electiones reſcindi, ſi eæ ſine ſuo ſuffragio factæ, vel ſi electum non ſatis illo munere dignum inveniſſent. Inde Otto Magnus Imperator edixit, ut ſalva ſemper maneret in hiſce negotiis Imperatoris autoritas. *Fratres*, inquit apud Goldaſtum Tomo III Conſtit imperialium, *quibus à noſtra, aut anteceſſorum noſtrorum liberalitate conceſſum eſt, habeant licentiam eligendi paſtorem inter ſe, qualemcunque voluerint: ita tamen, ſi talis inter eos inveniatur, qui vitâ & moribus probatus habeatur; ſalvâ in omnibus diſpoſitione noſtra Imperiali.* EX HIS ſic ſatis conſtare poteſt, quæ fuerit illâ ætate, imperantibus Caroli poſteris, in Germaniâ eligendorum

Epiſcoporum ratio, quid communiter obtinuerit; quid interdum præter receptam conſuetudinem factum ſit, quid denique clero & populo, quid Imperatori in Præſulum electione licuerit. AN deinceps quoque, uſque ad Henricum IV Regem Germaniæ & tertium Imperatorem Romanum, perinde ſe res habuerit, & ſi aliter nunc eſt obſervatum, cui parti plus acceſſerit, an Clero & Populo, an verò Imperatori, dicendum nunc eſt.

XLI. Penes Clerum vero Populumq;, & penes Imperatorem ajo fuiſſe tunc etiam omnem eligendorum Epiſcoporum poteſtatem. Excluſis autem omnino, ut prioribus ſeculis, ita hac quoque ætate fuit Pontifex Romanus. Imperatoris, ut ſumma erat dignitas ita maxima quoq; autoritas. Imperatoribus enim quidem integrum fuit in provinciis quoq;, quas Pontifices Principū dono poſſidebant, Epiſcopos conſtituere, ut ex ipſius Gregorii VII Epiſtolis patet: ipſi Pontifici verò, ubivis locorum ſi quando vellet quenquam eſſe Epiſcopum, orandus primum fuit Imperator, & ejus conſenſus impetrandus. Exemplo ſit Leo IX Papa, Leucorum antea Epiſcopus. Is enim cum ſuum Primicerium Odonem ſucceſſorem in Leucorum ſede elegiſſet, ſcripſit hâc de re ad Imperatorem, *& ad eum ſibi ſubrogandum proprium direxit ad Imperialem Majeſtatem legatum*, ut VVibertus Archidiaconus in vitâ hujus Leonis IX cap. VIII autor eſt. Neque verò obſtat, quod Nicolaus Primus apud Gratianum Diſtinct. LXIII Lothario Imp. ſcribit: *Apoſtolicæ autoritate ſub divini judicii obteſtatione injungimus tibi, ut in Treverenſi Vrbe & in Agrippina Coloniâ nullum eligi patiaris, antequam relatum ſuper hoc noſtræ Apoſtolatui ſit.* Nihil inquam hoc obſtat. Diris enim devoverat Nicolaus Guntharium & Teutgaudum, illum Colonienſem hunc Treveren-

verenſem Archiepiſcopos, propter approbatos cum Waldrada pellice Imperatoris amores. Noluit igitur fortaſſis ideo quemquam in horum locum ſubrogari, quod ipſe nondum ſatis conſtituiſſet, quid de iis fieri deberet. Sed & cum hic Nicolaus, ſi quiſquam alius, fuerit evehendæ Romanæ Sedis ſtudioſiſſimus, (quod vel ex illâ, quæ ipſi cum Hincmaro Rhemenſi interceſſit controverſia, conſtat) non fortaſſis magnopere curandum eſt, quid ille ſcribat Verè nimirum Curia Pariſienſis in defenſione pro libertate Eccleſiæ Gallicanæ adverſus Romanam aulam ait: *Ex quo primum orta eſt in orbe Eccleſia, uſque ad tempora Sancti Ludovici, nuſquam reperies, Pontifices Romanos in Eccleſias & beneficia, quæ electiva dicuntur, ullum jus ſibi vindicaſſe, aut eligere volentes ullatenus impediiſſe, quo minus libertate electionis fruerentur.* FUIT igitur ſine ullo dubio omnes conſtituendi Epiſcopos poteſtas penes Clerum Populum & Imperatorem. At quomodo illa inter eos fuerint diviſa, dicendum nunc eſt. Neque enim communiter tota fuit penes Clerum & Populum, vel tota penes Imperatorem, ſed partim penes illos, partim penes hunc; ita tamen, ut ſine conſenſu imperatoris Epiſcopum eligi nunquam liceret ſine ſuffragio autem cleri & plebis non rarò Imperator Epiſcopos conſtitueret, atque ita totam illam poteſtatem interdum uſurparet. Id ſanè crebrius tunc eſt factum, quàm illo temporis intervallo, quo Carolina familia imperium obtinuit. Inprimis autem hac ſuâ poteſtate Conradum II Henricum III & Henricum IV uſos eſſe, conſtat. Neque nos negaverimus, interdum illâ ſuâ libertate fuiſſe minus recte & cum diſpendio Eccleſiæ uſos.

XLII. Actum verò agam, ſi multis probare nitar

tis, quod hac ætate pro arbitrio maximè Imperatorum Epiſcopi ſint conſtituti. Vel enim illud unum indicio eſt, quod ipſimet Pontifices Romani, quotquot illam Sedem à Leone VIII uſque ad Gregorium VII tenuerunt, vel ab ipſis Imperatoribus (non expetitis Cleri & Populo Romani ſuffragiis) conſtituti ſint, vel à Clero & Populo quidem electi, conſenſu tamen Imperatorum dein confirmati fuerint. Pluribus hoc oſtendit harum rerum peritisſimus Onuphrius Panvinius *in vitâ Gregorii VII.* Cum igitur Imperatores tantâ autoritate ipſimet Romanæ Eccleſiæ Pontifices dederint, in promptu eſt judicare, quomodo in Germaniâ cum Epiſcoporum electionibus comparatum fuerit. *Tulerunt hæc tempora ſub Henricis*, (ait Crantzius *in Metrop. lib. IV. cap. 31.*) *ut Epiſcopi & Abbates à Regibus inveſtirentur.* Quod tamen *volentibus & cupientibus ſummis Pontificibus eſſe* actum, idem lib. III Metrop. cap. XXXIII tradit. Verba ejus, etſi pluſcula ſint, integro tamen adſcribo. *Cœpit tum ea res frequentari apud Imperatores*, (loquitur autem de Ottonis primi ætate,) *ut darent inveſtituram Epiſcopiis & regalia, poſtquam Leo VIII omne patrimonium Imperii per Italiam reſtituit Imperio, in perſonâ dicti Ottonis primi — Ea tum volentibus & cupientibus ſummis Pontificibus per Imperatores petebantur. Secuta ſunt tempora, quibus per orbem Chriſtianum maxima fuere mala diuturnis temporibus, dum Imperatores quod diu tenuerunt, dimittere noluerunt, & ſummi Pontifices non paterentur Epiſcopos de manu laicâ ſuorum Epiſcopatuum inveſtituram ſuſcipere. Inde duo Henrici Imperatores IV & V, duo Friderici I & II, quartus Otto, longa certamina habuerunt cum contemporaneis ſibi ſummis Pontificibus.* Hæc Crant-

Cranzius ſic ſatis rectè. Reverentia autem erga Imperatorem quæ animos omnium inſederat, fecit, ne vel Pontifices, vel Epiſcopi ipſi quicquam contra hanc Imperatorum inolitam poteſtatem moliri auſi ſint. Docet id Gobelinus Perſona in Coſmodromio Æt. VI cap. LI. *Rhetarius*, inquit, *Paderbornenſis Epiſcopus*, *anno Pontificatus ſui tertio impetravit Eccleſiæ Paterbornenſi à Sede Apoſtolicâ privilegium, quod filii ipſius Eccleſiæ poſſint inter ſe eligere Epiſcoporum, ſicut & ante eis erat conceſſum. Quo tamen poſt mortem ejus uſi non ſunt, ob reverentiam Imperatoris.* Vix tamen crediderim, Imperatores eo tempore hujusmodi privilegia liberarũ electionum rata fuiſſe habituros; cum ipſi exiſtimarint, ab Imperatoriâ majeſtate hæc privilegia eſſe impetranda & largienda, quod compluribus aſtrui poterat teſtimoniis, ſi id neceſſum eſſet. Cum autem in Principum arbitrio omnis fere Epiſcoporum conſtitutio ſita fuerit, mirum utique non eſt, ſi quis eorum modum nonnunquam exceſſerit, ſi quid Simonaicæ labis interdum irrepſerit, & indignis quandoque tam ardua officia fuerint commiſſa. Exprobrat, & juſtè quidem, Franciſcus Duarenus Eccleſiaſticis, cum penes eos adhuc eſſet Epiſcoporum electio, quòd nullâ veterum canonum habita ratione indigniſſimos quosque promoverint. Non igitur mirandum, ſi in aulâ etiam interdum ſecus quid factum ſit quàm oportebat. Peccaſſe eâ in re parentem ſuum Conradum II, faſſus eſt ipſemet Henricus III Imperator apud Glabrum Rudolphum, ſi tamen illi fas eſt credere. *Et pater meus*, inquit, *de cujus animâ valde pertimeſco*, *damnabilem avaritiam in vitâ nimis exercuit.* Addit Rudolphus Glaber 5: *Omnia miniſteria Eccleſiaſtica ita eo tempore habita venalia, quaſi in foro ſeculari mercimonia.* Henricus tamen, qui & Niger dictus, omnem quidem Simoniam, *Lib. I. c. 6.* *Lib. V.*

 quam

quam fortaſſis parens haud vitaverat, procul à ſe eſſe voluit, (ita enim in Synodo eſt locutus: *Sicut mihi Dominus coronam Imperii ſolâ miſeratione ſuâ gratis dedit, ita & ego, quod ad religionem ejus pertinet, gratis impendam,*) quod tamen jus in Pontificis Romani & Epiſcoporum electionibus majores per aliquot jam ſecula propugnarant, magno animo ſibi vindicavit. Et quidem, quomodo Apoſtolicam Sedem ordinârit, ut Hadriani verbis utar, breviter memorat Lambertus Schafnaburgenſis. *Anno MXLVII,* inquit, *Henricus Imperator tribus depoſitis Papis Suitgerum ſubſtituit. Anno inſequenti & MXLIX alios dedit Romanis Papas, prioribus mortuis. Anno MLIII mortuo Leone IX Papam creavit Einſtadenſem Epiſcopum.* Epiſcoporum verò conſtitutionem adeo ſibi propriam eſſe voluit, ut, cum Mutinenſibus apud Goldaſtum *Tom. III Conſt. Imper.* quicquid petierant conceſſiſſet, Epiſcopi tamen mutationem, aut alio modo quàm per Imperatoris manum ſubrogationem, ut ipſe loquitur, fieri non fuerit paſſus.

XLIII. Hæc Henricus Niger, Henrici quarti parens. Henricum verò etiam Claudum Imperatorem, qui & Pius & ſanctus dicitur, iisque floruit virtutibus & tantâ eminuit ſanctitate, ut denique cum Kunegunde uxore in divorum numerum relatus fuerit, (uti id multis tradit Baronius,) illum inquam tam pium & ſanctum principem, majorum itidem inſtituiſſe veſtigiis certiſſimum eſt. Exſtat ſane apud Chriſtophorum Brovverum in *Sideribus Germaniæ* Vita Meinvverci, Paterbornenſis Epiſcopi, digna utique lectu, vel ideò, quod ille autor accuratè deſcribat artes Meinvverci, quibus ad ditandam Ecleſiam ſuam bona complura Henrico extorſit, idque tantâ interdum pertinaciâ, ut Imperator aliquando in

do in hæc proruperit verba : *Tu odium Dei omniumq́ ſanctorum ejus habeas , qui me bonis conceſſis cum detrimento Regni ſpoliare non ceſſas.* Electio autem Meinvverci ita fuit tunc peracta. *Mortuo Epiſcopo Paterbornenſi*, inquit ſcriptor ille anonymus , *mittit ad Henricum II viduata Eccleſia : qui cum Epiſcopis & Principibus qui aderant elegit Meinvvercum. Qui cum adveniſſet, ſumtâ chirothecâ ait ad eum Rex, Accipe. Interrogans autem Meinvvercus quid acciperet ? reſpondit Imperator, Epiſcopatum Patherbornenſis Eccleſiæ.* Breviter Gobelinus Perſona Coſmodromii Æt. VI cap. LII *Meinvvercus à Rege Henrico Epiſcopatum per chirothecæ traditionem ſuſcepit.* Quomodo verò liberius Epiſcopum conſtituere quiſquam potuit ? Videtur enim Imperatorem propemodum ceu munus aliquod Epiſcopatum Meinvverco donaſſe. Quin imo Simoniaci propè criminis reum poſtulare Imperatorem illum videtur Albertus Standenſis in anno MXIII. Vindicat eum tamen Albertus Cantzius in Metrop. lib. IV. cap I. Aperta verò Imperatoris ipſius ſententia eſt, cum apud Goldaſtum Tom. III Conſt. Imperalium ait : *Confirmamus eorum locorum fratribus . quam jure regio habent , licentiam eligendi inter ſe paſtorem dignum & idoneum ; ſalvo tamen Regis ſive Imperatoris conſenſu.* Hanc licentiam , cum Clerus Magdeburgenſis non impetraſſet ab Imperatore, & nihilominus è ſuo numero quemquam elegiſſet , movit eum officio Imperator. Rem narro verbis Crantzii. *Giſelero Magdeburgenſi Archiepiſcopo mortuo , fratres , jure ut putabant Eccleſiæ , elegerant ex ſuis quendam VVoldaradum repugnantem , & ut poterat reclamantem. Imperator ſui eſſe juris putans Eccleſiis providere , abſolvit invitum , & repoſuit Cancellarium ſuum*

Cap. XVI. lib. IV. cap. 3.

ſuum Dagonem, quem alii Tagmonem vocant, Si igitur grande nefas eſt, Epiſcopos ab Imperatoribus conſtitui; ſi indignum facinus eſt Epiſcopos ſuis Principibus ſacramentum dicere; ſi id, inquam, tam indignum ſcelus eſt, ut ideo totum Chriſtianum orbem concuti, Imperatores & Reges diris devoveri, regno pelli, abſolvi à juramentp ſubditos, tantum deniq; humani ſanguinis fundi neceſſum fuerit, cur eo audaciæ proceſſit Eugenius Papa, ut Henricum Secundum Imperatorem, quem Epiſcopos liberrimè conſtituiſſe, elegiſſe, & inveſtiiſſe maniſeſtiſſimum erat, in divorum tamen numerum referre, & illa ἀποθεώσει mactare auſus fuerit; Aut enim improbo auſu Hildebrandus, Paſchalis, Calliſtus, Innocentius, & Alexander tantos cierunt motus, aut imperitè admodum in canonizatione Henrici II, optimi alias laudatiſſimique Imperatoris, verſatus eſt Eugenius Papa. Par enim culpa in Henrico II quæ in Henrico IV & V. Utrum verò dixeris, magni criminis Pontifices reos agis. Quin ipſum Pontificem Leonem IV itidem divorum numero adſcriptum, vidimus orantem Imperatorem, ut in Eccleſiâ Reatinâ Colonum, quem ipſe elegerat, Epiſcopum eſſe permitteret.

XLIV. Interea tamen, dum ita ſatis libere hi etiam Germanici poſt Ottonem Imperatores Epiſcopos conſtituerunt, nihil Populo & Clero in Epiſcoporum electionibus reliquum non fuit. Reniti nimirum etiam tunc interdum potuere, cum ſe vidiſſent prægravari; uti id Ludovicus Pius ſanxerat. Quin imò nonnunquam permiſſa eſt quædam Canonicis electio. Ita Popponi primo Epiſcopo Herbipolenſi hæc inſignia conceſſa privilegia eſſe ab Ottone M. tradit Bruſchius: *ut impoſterum Herbipolenſium Canonicorum ſenatui libera eſſet poteſtas, decedente ali-*

quo

quo antiſtite alium è ſui capituli canonicis eligendi Parem gratiam monaſteriis Filienſi & Gemblacenſi ab Imperatoribus factam, tradunt Fertrada Sanctimonialis *in vitâ Adelheidis primæ Abbatiſſæ Filienſis*, & Sigebertus *in vitâ Guiberti monaſterii Gemblacenſis fundatoris, apud Surium V Febr. & XXIII Maij.* In Heriberti Colonienſis Archiepiſcopi electione, qui Ottone III imperante præfuit, diſtracta fuere ſtudia Cleri & Populi, *quòd VVezelium aliquem Clerus elegiſſet, non probante Populo.* Verba hæc ſunt Ruperti Tuitienſis, qui vitam hujus Heriberti nobis reliquit. Adalbertum II Pragenſem Epiſcopum, à Boleslao & Populo electum, ab Ottone II confirmatum, & à VVilligiſo Archiepiſcopo Moguntino inunctum, autor vitæ hujus Adalberti *apud Surium die XXIII. Aprilis* tradit. Bruno quoque Leucorum Epiſcopus, qui Romanæ dein Eccleſiæ præfuit, à Clero & Populo electus eſt. *Eligitur*, inquit Wibertus Archidiaconus in ejus vitâ, *à Clero & Populo Epiſcopus Leucorum, ſcribente Clero & Populo ad Imperatorem Conradum, ut Brunonem ſibi Epiſcopum permittat.* Is Bruno autem cum deinde ab Henrico III Imperatore, Leonis IX nomine aſſumto, conſtitutus eſſet Romanæ urbis Epiſcopus, non malè omnino de totâ hac re & ſenſiſſe videtur & locutus. Appono verba Wiberti, qui ejus vitam deſcripſit, ex libro II cap. 2. *Interea apud Vangionum urbem, ante præſentiam glorioſi Henrici II. Romanorum Auguſti, fit Pontificum reliquorumque Procerum non modicus conventus. Inter quos etiam hic Chriſto dignus præſul convocatur. Et repente, illo tale nihil ſuſpicante, ad onus Apoſtolici honoris ſuſcipiendum eligitur à cunctis. Cum recuſaret, ad obedientiæ completionem monetur. Cum autem non poſſet effugere Imperiale*

Apud Surium die. 16. Febr.

riale præceptum & commune deſiderium, præſentibus legatis Romanorum ſuſcepit onus, ſi audiret totius Cleri ac Populi Romani conſenſum. Et paulò pòſt: *Cum Romam veniſſet, ſignificat Populo & Clero Romano factam de ſe electionem: & dicit, electionem Cleri & Populi Romani canonicali autoritate aliorum diſpoſitionem præire.* Quod Leo IX de Clero & Populo Romano dicit, idem de Clero & Populo omnium aliarum civitatum dixerit fortè alius. Quæ mens quoque fuit Leonis IX. Primo enim protinus Pontificatus ſui anno in Synodo Rhemenſi ſanxit: *Ne quis ſine electione cleri & populi ad regimen Eccleſiaſticum proveheretur*, ut Baronius autor eſt *Tom. XI. anno MXLIX.* Intra hos verò terminos ſi ſe continuiſſent Romani Pontifices inſecuti, indubie neque tam adverſos illi habuiſſent Imperatores & ſuorum jurium tenaces, neque tanto ſanguine Italia, Germania, imo totus ferme Occidens, paulò pòſt redundaſſet.

XLV. Sed multò longius provectus eſt Hildebrandus. Jus enim omne inveſtituræ Principum manibus excutere conatus eſt conditis decretis, quibus omnis omninò conſtituendi & eligendi Epiſcopos poteſtas Regibus, Principibus, & ſuo tunc Imperatori Henrico IV, abrogabatur. Non illum per tot jam ſecula recepta & uſurpata conſuetudo, non priorum Pontificum conceſſiones & exempla deterrere potuerunt, quin nefas eſſe diceret, quicquid in hoc negotio ſibi Principes ſumebant. OPERAE igitur pretium fuerit paucis hîc ὡς ἐν παρόδῳ perſequi, quod Francorum primùm Reges & dein Imperatores rectè id jus uſurpaverint. Ut nempe conſtet, quàm iniquum & inſolentem Gregorius ille VII ſeſe præſtiterit. Quamvis jamtum ſuprà horum aliquid delibaverimus.

XLVI.

XLVI. Duplici autem potiſſimum nomine omnem illam Principum poteſtatem facile defendas. *Primo* quod ſummi ſint Principes, penes quos eſt ſuprema poteſtas adminiſtrandi rempublicam, tum *ſecundo* quod patroni ſint præcipui Eccleſiarum. Principis nempe hæc prima debet eſſe cura, ut reſpublica ſit tranquilla & beata. Hunc finem autem ut aſſequatur, immane quantum in rebuspublicis & Regnis Chriſtianis in Epiſcoporum conſtitutione ſitum eſt. Ut ſane populus rectè ſuum officium faciat, utque ſit virtutum & religionis amans, multùm intereſt Quales ſint Epiſcopi. Ne talibus igitur regenda committatur Eccleſia, quorum exemplo ſubditi fiant deteriores, Principis propria curatio eſt. Id verò quodammodo præſtabit, niſi in Epiſcoporum electione Principis quoque potior aliqua ratio habeatur? Dein cum reſpublica ſalva eſſe non poſſit, quæ inteſtinis motibus & ſeditionibus agitatur, ad eas verò vel excitandas vel reprimendas plurimùm in Epiſcopis ſitum ſit, opera utique Principi eſt danda, ut tales conſtituantur; qui ſint pacis & concordiæ amantes, imò potisſimum qui indigenæ ſint aut in regno educati, legibusque reipublicæ aſſueti, vel ſaltim tales omnino qui præſentem ſtatum conſervatum velint. Si qui ſanè aliter ſe habeant, eos ad dignitates nullas eſſe evehendos, ipſe etiam olim prudenter monuit Ariſtoteles. Epiſcopos verò ejus eſſe in republica autoritatis, ut ſi velint, tantum non quidvis poſſint, præſertim ſi in opinione ſint populi, quis ignorat: Etiam Germania hoc noſtra teſtari poteſt, & pleraque alia Regna. Plena etiam ſunt hiſce veterum monumenta. Quas turbas ſanè in Angliâ dederint extranei Epiſcopi, per proviſiones Papales Epiſcopatus adepti; Anglicani ſcriptores loquuntur.

Huc accedit, quod à ſolo Clero & Populo electus hiſce omnia ſoleat ferre accepta; Regi, ſi ejus conſenſum accedere opus non ſit, nihil horum. Nec igitur tunc eſt amor in Regem, nec obſervantia tanta, quanta eſſe ſolet, ſi beneficium ab ipſo Rege datum agnoſcat; quod tamen fieri reipublicæ plurimùm intereſt. Amor ſane & obſervantia in Regem ſi abſint, magna patet ad tumultus ciendos & res novas moliendas quaſi invitatio: Præſerim ſi non deſint occaſio & vires. Quorum utrumque non deſiderabatur, cum Reges Francorum atque Imperatores à ſe Epiſcopos conſtitui voluerunt.

XLVII. His utique ſatis probatur, ſaltem non malê egiſſe Principes, quod conſtituendorum Epiſcoporum curam ad ſe pertinere putaverint. Prudenter idcircò Duarenus, & Eccleſiæ & Reipublicæ ſic præclarè conſuli ſtatuit. *Illud unum*, (inquit libro primo de Sacris Eccleſiæ beneficiis ac miniſteriis cap. VI.) *verè ingenueque dico, nihil Reipublicæ Eccleſiæque Gallicæ mihi videri utilius, quàm autoritate Regis Paſtores præfici Eccleſiis. Si à Pontifice Romano obtinere poſſint Epiſcopi, ut ordinatio, inquiſitio, ac confirmatio ſecundum veteres canones, libera ipſis relinquatur, modo ipſi officii ſui meminiſſe velint.* Verum id, quod in votis habet Duarenus, id ante Gregorium VII in Germaniâ obtinuit. Princeps enim nominabat Epiſcopos Metropolitano; ſi indigni eſſent illo officio, rejicere eos integrum erat. Sed parum adhuc pro aſſerendo Francorum & Germanorum Principum in Epiſcoporum electionibus jure dixi. Bona temporalia à Regibus & Imperatoribus collata nullum admittunt dubium, quin ſummâ æquitate nitantur illæ Principum inveſtituræ. Poſſidebant nimirum jam tunc Epiſcopi non prædia ſolùm & villas, ſed oppida quoque, ſplendidas urbes, arces,

muni-

munimenta, integros Comitatus, Principatus, & Ducatus. Vnus *Otto primus Imperator penè omnibus Eccleſiis cathedralibus in Italia, Gallia, Germaniâ, Burgundia, & Lotheringia, multas civitates, caſtra, oppida, villas, & multa alia dominia temporalia jura & juriſdictiones donavit. Archiepiſcopos quoque & Epiſcopos Ducatibus, Baroniis, Comitatibus communicavit: quibus nobiles & potentes vaſallos ſubjecit, ut ſemper eſſent pari ad reſiſtendum paganis*, quæ verba ſunt Theodorici de N.em ſcriptoris non è vulgo. Quis igitur tam fuerit impudens, qui negare auſit, intereſſe plurimùm reipublicæ, quibus committantur integræ provinciæ regendæ, & è quo illi conſtituantur? Nolo nunc id commemorare, quòd jamrum quando penes Francos adhuc Imperium erat, Epiſcopi ad comitia & conventus publicos admiſſi, in commune de rebus rempublicam concernentibus conſultaverint; & ſœpe ex nobiliſſimis potentiſſimisque familiis orti, perque omnem vitam in Palatio educati, ad gubernandam Eccleſiam tranſierint. Convenìſſe verò, Francis etiam primâ Merovingicâ familiâ Regum imperante, ad comitia Epiſcopos, (quid enim deinceps actum ſit, notius eſt, quàm ut nunc id repeti opus ſit,) vel ex Gunthramni conſtitutione apud Goldaſtum *Tomo* I. *Conſt. Imp.* liquet. Sigebertus Gemblacenſis in vita Regis Sigeberti cap. IV ait: *Dagobertus Rex, anno Regni ſui XI. Metas adiit, ibique Procerum & Pontificum conventum adeſſe juſſit, eorumque conſilio & conſenſu filium ſuum Sigebertum in regnum Auſtraſiorum ſublimavit.* Angradus in vitâ Ansberti Epiſcopi Rhotomagenſis cap. XV ait: cum ordinatum eſſe Rhotomagi *ab Archiepiſcopo Lugdunenſi, & aliis Sanctis Præſulibus, qui ad generale placitum ibi cum Principibus* convenerant. Nobiliſſimas verò & præpotentes familias ad Eccleſiaſticam hanc dignitatem adſpiraſſe,

vel illuſtris ille Arnolphus Metenſis Epiſcopus, è cujus familiâ Carolus Magnus ortum trahit, exemplo nobis fuerit. Vt nihil nunc dicam de illâ querelâ Procerum apud Theganum *in vitâ Ludovici Pii*, plebejos quoque ad Epiſcopatus promoveri, indignantium. Cum igitur tot bona poſſiderent Epiſcopi, cum ad Comitia imo in bella irent, Regeſque ſuo conſenſu & ſuffragio eligerent, rectè utique & jure Francorum Reges Epiſcopos nullos ſine ſuo conſenſu conſtitui voluerunt, Hæc verò omnia longè magis contra Papas militaverunt, ubi Imperium ad Germanos devenit. Tunc enim Epiſcopi bonis temporalibus ita ſunt aucti, ut longè juſtiſſimas Principes habuerint cauſas, ob quas jus inveſtiendi Epiſcopos uſurparent.

XLIIX. Neque tamen ſolo illo nomine Reges Francorum & Imperatores Epiſcopos conſtituere potuerunt, ſed eo etiam, quod Patroni eſſent Eccleſiarum. Multa hâc de re afferre hujus loci non eſt. Vel communi illo verſiculo:

Patronum faciunt, dos, ædificatio, fundus.

Uti libet. Tres, videlicet ſunt juris patronatus cauſæ, vel, ut alii volunt, quatuor, Fundatio, Dotatio, Ditatio, & Reædificatio. Quæ omnes quibus rectiùs quàm ſummis in republicâ Principibus conveniunt? Quid ergo mali, quod Principes ſibi illam ſumſerint poteſtatem, ut Epiſcopos elegerint? Olim, fateor, res longè aliter ſe habebat. Rara nempe ante Conſtantinum Magnum Eccleſiis bona; immobilia certè rara, quod videtur probabilius. Epiſcopi & Clerus omnis ex largis fidelium oblationibus vivebant. Cum igitur omnes Epiſcopum ſuſtentarent, juſtum quoque vel hac de cauſſâ erat, illum ab omnibus eligi. Francorum autem Regum ætate, cum pleraque à Rege obtinuiſſent Epiſcopi, ab eo etiam illos conſtitui, itidem eadem de cauſ-

ſâ

ſit haud iniquum fuit. Sic ex. gr. Clodovæus Rex tantum terræ dedit Rhemenſi Eccleſiæ, quantum Remigius, dum Clodovæus ſomno meridiano indulgeret, circuire poſſet, ſi vera eſt fabula. Amplum utique hoc fuit donum. Quod ſi non cauſa aliqua juris patronatus eſt, quæ tum dotatio futura? Cæteri quoque Francorum Reges jam iſthac prima Merovingorum tempeſtate, liberales admodum in ditandis Eccleſiis fuere; & quidem uſque adeo, ut Childebertus graviter de damno, quod inde Regno erat enatum, conqueſtus ſit Stephani Leodienſis Abbatis in *hiſtoriâ vitæ Modoaldi Treverenſis* Epiſcopi verba digna omnino ſunt, quæ adſcribantur. Ita verò ait: *Quantum religionis, potentiæ & honoris Reges Francorum à Pipino uſque ad Carolum contulerunt Galliæ Ecclelesiis, teſtantur libri ſanctorum, decreta Patrum continentes, quos ipſi in Synodis ſuâ coroboraverunt autoritate. Teſtantur & Eccleſiæ, quas cum diverſis Regiis ornamentis tum etiam prædiis & regalibus ſuis, caſtris ſcilicet, & comitatibus, teloniis, monetis, & bannis, cum jure civitatum conceſſis, magnifice extulerunt. Inde eſt, quod nuſquam gentium æqualis potentiæ Pontifices inveniri queant, vel quod parum à Regio comitatu & opulentia differant. Quos certè beatos dicerem, ſi pro hac potentia ſanctiùs viverent.* Cap. x. v. Vel ſolo igitur patronatus illius jure rectè ſibi Principes conſtitutionem Epiſcoporum aſſerere potuerunt. Leopoldus à Bidenberg Epiſcopus Bambergenſis *lib. de Zelo vet. princip. German. c. 8.* diſertè ait: Henrici V *prædeceſſores & Reges non tam virtute dicti privilegii, quam ex hoc quod erant ut plurimum patroni ſeu datores Eccleſiarum cathedralium, & majorum Monaſteriorum Germaniæ inveſtituras Epiſcopatuum & majorum Monaſteriorum Germaniæ partibus, uſque ad tempora ejusdem Henrici facere conſueverunt.* Provocavit autem jam olim quoque adhoc jus Patronatus Edo-

vvardu-

vvardus Angliæ Rex in conſtitutione quam recitat Goldaſtus *Tom. III. Conſt. Imper.* Neque verò cuiquam rejiculum hoc argumentum videri debet; cum id eruditiſſimi acutiſſimique totius Hiſpaniæ Juris interpretes Ferdinandus Vaſquez, Didacus Covarruvias Segobienſis Epiſcopus, ille quidem. *Controv. Illuſtr. Parte I. Lib.* I. *cap. XXII.* hic verò *Tom.* I. *Part. II Relect. c. Poſſeſſ. mal. fid.* §. *x.* tanti faciant, ut vel hoc ſolo nomine jus Hiſpaniarum Regi afferant, quo fretus omnes totius Regni Epiſcopos conſtituere poſſit. Epiſcopi Segobienſis verba ſunt: *Ex hoc infertur, Catholicos Hiſpaniarum reges, etiamſi nullum privilegium à Pontificibus Romanis habuerint, ad præſentationem Epiſcoporum, qui Eccleſiis cathedralibus præſint, poſſe jure optimo, ut Eccleſiarum patronos, jus illud ex præſcriptione obtinere, licet Eccleſiæ quarum patroni ſunt collegiales vel cathedrales exiſtant. Hoc enim corollarium deducitur ab his, quæ proxime probata fuere: ſiquidem Hiſpaniarum Reges Patronatus jus obtinent in Eccleſiis cathedralibus, cum eas erexerint, conſtruxerint, & amplis patrimoniis dotaverint. Quod ſatis conſtat ex veterum Hiſtoricorum monumentis. Imò & jure communi Reges ſunt Patroni majorum Eccleſiarum ſui Principatus.* Et poſt: *Regis intereſt noſſe, qui ſint, qui Eccleſias intra ejus provinciam ſunt adminiſtraturi.* Hæc Didacus Covarruvias: qui & latiùs illa deducit, & plures ejuſdem ſententiæ laudat.

XLIV. Quin jure igitur ſummo ſuffulta fuerit Regum Imperatorumque in conſtituendis Epiſcopis priſcum & longo uſu roboratum jus, non profectò prudens aliquis & æquus poterit vocare in dubium. Reapſe igitur eo ipſo non levi ex parte ſtetiſſe Regiam in republica Imperii autoritatem, manifeſtum quoque eſt. Proindeque quando ab Hildebrando Papa ejuſque ſucceſſoribus hoc

hoc jus Imperatoribus fuit ereptum , vim autoritatemque Imperatoriam eſſe confractam , itidem patet. Merentur hic legi , quæ de momento ejus , quod ab Hildebrando Papa motum eſt certaminis , ipſemet Onuphrius Panvinius in *hiſtoria vitæ Gregorii VII*, quam Jacobus Gretzerus Jeſuita primus typis fecit publicari , ingenuè & prupenter tradidit poſteritati , quantumvis poſſint videri nonnihil prolixiora. Sunt autem eximii illius viri hæc verba *fol. 262. Gretzerianæ editionis* , cum paulò ante decreta Hildebrandina recitaviſſet. *His decretis in duobus potiſſimùm Majeſtas & Romani Imperii dignitas evertebatur , & quod lege pejus erat , ea fundamenta jaciebantur , quibus Romani Imperii poteſtas omnino labefactaretur. Erat tunc conſuetudo , ut ex omnibus orbis Latini partibus infinita propè hominum diverſarum conditionum millia Aulam Imperialem frequentarent. In his aderant diverſarum congregationum Monachi, Doctores, Viri literati, Nobiles & ignobiles; qui omnes eo confluebant ſpe ducti , ut ab Imperatore ſacerdotia conſequi poſſent , quemadmodum nunc uſus eſt in Romana curia. Imperator enim non ſolùm Epiſcopatus omnes & Abbaties , minoraqun omnia ſacerdotia , ut præbendas, canonicatus , præpoſituras , Decanatus & hujuſmodi conferebat, ſed , etiam Romanum ipſum Pontificem deſignabat. Si igitur Gregorii decretis locus eſſet , illico conſequebatur , ut omnis hac Aulæ Imperialis majeſtas obſoleſceret , ſpe conſequendi à Cæſare Sacerdotia ſublata , quæ jam per electionem tradenda eſſent, nullo amplius Imperatoris interventu, nec præterea à tot diverſarum nationum illuſtribus doctrinâ & nobilitate viris frequentari contingeret Aula Imperialis. Altera vero cauſa , qua Imperator valde urgebatur , quia multo majoris momenti exſtimabatur , erat : quod ſi Cæſar Prælato-*

rum inveſtituras (ita enim Collationem appellabant) amitteret, majorem Imperii ſui meliorem fortioremque partem deperderet, & maximarum calamitatum ſeminarium Imperio faceret. Nam, quando privilegia Carolo magno & Othoni Primo Auguſtis ab Apoſtolia Sede de Prælatorum inveſtituris conceſſa fuere, Eccleſiæ Epiſcopatus tunc pauperes tenues & ſine tot reditibus erant: poſtquam vero juris Imperii facta eorundem Prælatorum electio, tum Cæſares quemadmodum cæteri Principes ſeculares qui de religione bene mereri volebant, ſine Imperii tamen præjudicio, cœperunt Epiſcopos & Abbates ob religionem, tanquam potiora Imperii membra, præ ceteris laicis Principibus honorare, profana ditione & ingentibus opibus honeſtare, arces, oppida, urbes, Ducatus Provincias pedagia telonea vectigalia portoria, & multa alia, quæ Imperii propria erant Epiſcopatibus concedere, quæ vel ex fiſci propriis bonis, quæ ad Imperium pertinebant, vel ex alienis feudis erant. Nam Laicis Principibus ſine legitimo hærede mortuis, eorum provincias, quæ beneficiario jure ad Imperium pertinebat, non aliis amplius Laicis Regulis ſed Epiſcopis concedebant. Atq; hac ratione omnes Epiſcopatus & Abbatias Italiæ Galliarum & Germaniæ, imo totius orbis Latini, & denique ipſum Pontificem Romanum, ex pauperibus ditiſſimos & maximos Principes fecerant. Ex eis ſcilicet opibus, quæ antè Imperii juris erant, in nulla re Imperialia propterea jura minui exiſtimantes: quippe quod certi eſſent, eos omnes Prælatos à ſe deſignandos fore, & nonniſi juſſu ſuo & voluntate Sacerdotia ipſa obtenturos. Gregorius igitur ſuis decretis dimidium Imperii Cæſari tollebat. Nam Epiſcopi nulla ratione adduci poterant, ut, quæ ab Imperatoribus antiquis obtinuerant, dimit-

tere,

tere , ea Imperatori reſtituere vellent , eum ex ſua eruendi eſſent poteſtate , id enim Cæſar ipſe quærebat. Nec Imperator id agere poterat , ut Epiſcopi Imperio reſtituerent quæ ab Imperatoribus , non ut Epiſcopi , ſed ut Imperialia membra obtinuerant. Si igitur Prælatorum deſignatio ab Imperatore auferebatur ; & Prælati retinerent beneficia , & alia , quæ Imperii ante fuerant , dimidium Imperii omnino ab Imperatore tollebatur. Accedit , quod maximè Cæſarem angebat , quod ſe Epiſcopi Germaniæ & Italiæ , cum ab Imperatore electi & inveſtiti eſſent vix in officio contineri poterant , ne contra ipſum varias & frequentes rebelliones molirentur , quid deinceps facturi eſſent , ſi omnino ex Imperatoris poteſtate eruti & liberati eſſent , & in cujusvis Eccleſiæ Capituli vel Collegii poteſtate eſſet, nobiliſſimi & potentiſſimi Epiſcopatus Antiſtitem quempiam Imperatori hoſtem accerrimum eligere , qui maxima Imperii ruinæ cauſa deinde eſſet. Hæ igitur cauſſæ ſunt, quæ Cæſarem & cæteros Laicos Principes quam maximè adverſus Pontificem commoverunt. Imperii enim vel omninò tollendi , vel in perpetuum ſtabiliendi cauſa tunc maximè tractabatur. Cæſar enim Imperii jura , & ea quidem ſumma omninò tueri ; Papa verò Eccleſiæ libertatem , nulla Imperialis excidii ratione habita , aſſerere volebat , indignum eſſe clamitans , à manu Laica Sacerdotes creari : quanquam id per trecentos fere annos à Caroli Magni tempore ſub ſexaginta & eo amplius Romanis Pontificibus uſurpatum eſſet. Maximè igitur Imperatori laborandum erat , ne hæc decreta ſtarent , ſi Imperii jura imò Imperium ipſum ſalvum eſſe vellet , quod ejuſmodi Papalibus edictis procul dubio diſſipandum eſſe exiſtimabat. Hæc omnia doctiſſimus Panvinius. Accedat iis ſententia Pauli Æmilii, magno judicio pollentis Francicarum rerum ſcriptoris: Hic enim , ubi jus conſtituendi Epiſco-

Epiſcopos Henrico Imperatori extortum narraſſet, addit. *Ea res multum virium Imperatoriæ majeſtati detraxit in animis popularium: plus enim quam dimidium ſuæ jurisdictionis perdidit.* Quantum hoc jus Regium æſtimaverit Henricus id nominis poſt conqueſtum primus Angliæ Rex, liquet ex eo, *quod*, narrante Weſtmonaſterienſe, *per VVilhelmum Prucuratorem ſuum conſtanter allegavit, quod non ipſe pro Regni amiſſione inveſtituram Eccleſiarum amittere velit, & hoc ipſum verbis minacibus allegavit.*

L. COETERUM hoſce omnibus probe expenſis nemini non intelligenti & æquo judici jam plus ſatis eſt manifeſtum, Imperatorum Regumq; in conferendis Epiſcopatibus cauſſam ſummo fuiſſe jure ſubnixam, Hildebrandi autem conatus iniquiſſimos. Haud abs re autem fortaſſis fuerit, ſi ſubjiciamus hic nonnihil de ipſis illis Hildebrandinis motibus. Igitur fuit Hildebrandus homo non vulgaris ingenii, nec antiquitatis Eccleſiaſticæ canonumque veterum, ut illa quidem ferebant tempora, imperitus. In omni autem Occidentali Eccleſia tantum non tunc mera regnabat barbaries. Proclive ergo Hildebrando quidem fuit, antiquorum Canonum prætextu ad Regum jura abolenda abuti, & Clericis imperitis, aut præ ſuperſtitione cæcis, cum primis paſſim jam recepti in venerationem commentitiis Iſidori Mercatoris Epiſtolis, palpum obtrudere. Egregium ſane ejus rei Archidiaconus adhuc præbuit exemplum. Miſſus nempe fuerat Anno Archiepeſcopus Colonienſis, ut cauſam Alexandri II & Cadaloi Antipapæ cognoſceret, Regumq, in eligendo Romano Pontifice jura tueretur. Cum Romam autem hic veniſſet ita Alexandrum affatus eſt; ut quidem tradit Nicolaus Araganius Cardinalis in *Geſtis Romanorum Pontificum* apud Baronium Tomo XI Anno MLXIX. *Quâ ratione frater Al-*

ter Alexinder abſq; mandato & aſſenſu Domini mei Regis recepiſti Papatum ? à longis namque temporibus à Regibus hoc abſq; dubio eſt obtentum. Et incipiens à Patritiis Romanorum & Imperatoribus, nominavit eos, per quorum mandatum & aſſenſum plurimi Romanorum Pontifices in Sedem Apoſtolicam habuerunt ingreſſum. Hildebrandus cum Epiſcopis Cardinalibus eidem Colonienſi ſic reſponddrunt. Firmiſſime tene & nullatenus dubites quod in electione Romanorum Pontificum juxta ſanctorum Patrum Canonicas ſanctiones, Regibus penitus nihil eſt conceſſum ſive permiſſum. Et deductis in medium pluribus ſanctorum Patrum decretis, & præcipuè illo Nocolai capitulo, in quo centum & tredecim Epiſcopi ſubſcripſerunt, poſt multas & varias altercationes, ita irrevocabiliter & ſufficienter eidem Colonienſi ſatufecerunt, quod ex tunc rationabiliter non habuit reſiſtendi occaſionem. Si vera hæc ſunt, (quod jam non diſputabimus, etſi alia ejus ævi monumenta, qualia ſunt a Petro etiam Damiano tunc conſcripta, non per omnia conſentiant) fucum profecto Hildebrandus Annoni fecit canonibus laudatis. Illi ſcilicet non niſi merè ſunt poſitivæ & arbitrariæ conditionis, atq; adeo nihil habent immutabile & æterni juris: adhoc nuſquam detrahunt longa jam conſuetudine receptis & reipublicæ neceſſariis Regum Conſtitutionibus. At vero iſthoc ab Hildebrando jacto fundamento, non potuit non cæteris quoque Regibus & Principibus omnis in Epiſcopis eligendis adimi poteſtas. Quòd enim jus Imperatoris in Pontifice Romano eligendo, hoc omnium cæterorum Regum & Principum in ditionum ſuarum Epiſcopis erat eligendis. Hildebrando igitur auſpice, conſenſu Imperatoris non ante imperato electus eſt hic Alexander, iram vero Henrici, eodem conſultore uſus, facilè item eluſit. Nimirum tunc bellum in Saxoniâ atrox erat Henrico cum Saxo-

Saxonum gente: quæ ſæpius licet victa, bellum tamen redintegrabat, nec inter tot adverſa animum deſpondebat. Cum armis ergo non poſſent Saxones quicquam adverſus invictum Imperatorem, aliâ cum viâ aggreſſi ſunt. Miſerunt nempe ad Alexandrum Papam legatos, Imperatoremque Simoniæ reum poſtularunt. Henricus igitur impulſore Hildebrando, ab Alexandro Papa Romam reus fuit citatus. Mortuo interea Alexandro ſucceſſit Hildebrandus: & licet ipſe etiam ſine prævio Imperatoris conſenſu à Clero & Populo Romani electus fuiſſet, tamen miſſis literis ad excuſandam ſuam ſine Regis conſenſu factam electionem, Henrici gratiam ſibi ita impetravit, ut Regius conſenſus ſatis promtè acceſſerit. Id quod pluribus Lambertus Schafnaburgenſis perſequitur.

LI. Primis verò quatuor Pontificatus ſui annis, ſi Annalibus Baronii fides eſt, nihil quidquam Gregorius de inveſtituris Eiſcoporum Regibus ac Principibus auferendis ſanxit. Acerbè quidem in Simoniacos cum Reges tum Epiſcopos invectus, ad cauſam quoque dicendam multos Romam citavit, ſed intra hosce terminos omnis ejus conatus tunc quidem ſtetit. Vtinam perſtitiſſet! At verò anno quinto in nervum erupit ambitio Hildebrandina, publico decreto omnibus laicalibus inveſtituris proſcriptis. Callidè ſcilicet in omni hoc negotio ſeſe geſſit Hildebrandus. Initio enim hoc egit, ne ſtatim offenderet Regem, rebus adhuc minus firmatis. Mox declamationibus in Simoniacos pietatis ſibi opinionem conciliavit. Simul verò prætextu canonum Cleri & Populi favorem ſibi peperit, ita nempe quaſi ad pileum vocatis. Illi autem jam allectis in ſuas partes, tandem apertè magis Regia jura invaſit: præſertim videns, Regem bellis & rebellione ſubditorum haud leviter implicitum. Enim verò jam tum mul-

multos Galliæ & Germaniæ Epiſcopos diris devoverat
Gregorius, multos officio moverat, Henricum ipſum Re-
gem, protinus ut excommunicatus fuerat (quod priora
ſecula nunquam viderant) ipſe deſertum pene ab omni-
bus, mox intra Canuſiana mœnia triduanum ſupplicem,
demum etiam ad pedes poſtratum habuerat. Id animum
addidiſſe ambitioſo homini non eſt dubium: ut ex tam
proſperâ fortunâ, tam promtis ad omnia obſequia Epiſco-
porum animis, eventum auguratus; aggreſſus fuerit *con-*
ſtanti animo, (licet hic gloriantis Baronii verbis uti) *invi-* *Anno 1077.*
ctoque planè ac Sacerdotali robore controverſiam, cujus cau-
ſâ ſciret omnes ſe paſſurum Chriſtianos Principes adverſarios.
Datum igitur Hugoni Dienſi Epiſcopo, Legato Papali in
Gallias, in mandatis, ut de inveſtituris laicalibus abolen-
dis in concilio Lingonenſi decretum promulgaret. Gre- *Baron. anno 1078.*
gorius ipſe anno inſequenti ita ſanxit: *Quoniam inveſti-*
turas Eccleſiarum *contra ſtatuta ſanctorum Patrum, à lai-*
cis perſonis in multis partibus cognovimus fieri. & ex eo
plurimas perturbationes in Eccleſia *oriri, ex quibus Chri-*
ſtiana religio conculcatur, decernimus, ut nullus clericorum
inveſtituram Epiſcopatus, vel Abbatiæ, vel Eccleſiæ, *de ma-*
nu Imperatoris vel Regis, vel alicujus laicæ perſonæ, vi-
ri vel fœminæ, ſuſcipiat. Quod ſi præſumſerit, cognoſcat
inveſtituram illam Apoſtolicâ autoritate irritam eſſe, & ſe uſ-
que ad condignam ſatisfactionem excommunicationi ſubjace-
re. Idem Decretum verbis longè aſperioribus in alia Sy-
nodo duobus pôſt annis iterum repetit, & hanc electio-
nis formam deinceps tenendam & obſervandam præſcri-
pſit: *Quoties defuncto paſtore alicujus* Eccleſiæ, *alter ei eſt* *Baron.*
canonicè ſubrogandus, inſtantiâ Viſitatoris Epiſcopi, qui ei *anno*
ab Apoſtolicâ vel Metropolitanâ ſede directus eſt, Clerus *1080.*
& Populus, remotâ omni ſeculari ambitione timore atque
gratiâ,

gratia, Apoſtolicæ Sedis vel Metropolitani ſui conſenſu, paſtorem ſibi ſecundum Deum eligat. Electionis verò poteſtas omnis in deliberatione Sedis Apoſtolicæ ſive Metropolitani ſui conſiſtat. Hæc ſunt Hildebrandi decreta, de principum inveſtituris lata. Hinc claſſicum turbarum, hinc incendii initium, quo totus ferme Occidens conflagravit. Hæc illa decreta, quibus, ipſo Onuphrio Panvinio, quem paulo ante audivimus prolixius loquentem, judice non tantum Imperator Henricus IV, ſed omnes Reges Latini & Occidentales petiti, Epiſcopi item & univerſus Clerus Galliæ Germaniæ & Italiæ; *Majeſtas quoq; & dignitas Imperii Romani everſa, quodq; longè plus, ea fundamenta jacta ſunt quibus illius poteſtas omnino labefactaretur.* Viſum igitur fuit, ſurſum deorſum omnia ferre, ima ſummis cœlum terræ miſcere. Quicquid erat flagitioſorum hominum impune graſſari permiſſum. Pontifex in Pontificem, Imperator in Imperatorem Epiſcopi in Epiſcopos, filii in parentes, ſubditi denique in ſuum legitimum Principem inſurrexerunt: ſolutique ea, quæ animos hactenus inſederat, religione, in eum profano Papæ indultu graſſati ſunt, quem Deus & ſors naſcendi imo illi ipſi Imperii Ordines Principem & Regem ſuum conſtituerunt.

LII. Nullâne vero aliâ ratione Simoniacum crimen ex Chriſtiano orbe profligari, & libertas Eccleſiis reſtitui niſi per tot populorum ſtrages potuit; Henricum non ſemper recto tramite inceſſiſſe, haut negaverim. Cur non fuit monitus, ut in viam rediret, ut inveſturas piè rectè atque ordine conferret, abuſuſque earum tolleret? Sed monitus fuit non ſtatim tamen obtemperavit, quod ait Baronius Eſto factum. Num igitur Pontificem eò progredi fas fuit, ut commota toto Occidente non ſolùm inveſtiturarum jure Principes omnes & Imperatorem exueret,

uere, ſed etiam diris Henricum devoveret, indignumque Imperio, indignum Regno, imo vitâ ipſâ pronunciaret. Henricus tamen ipſe non ſemper in culpa fuit. Lubrica enim fuit quidem ipſius adoleſcentia, cum conſultoribus uteretur Adalberto Bremenſi Archiepiſcopo & VVernero Comite, hominibus, ut tradunt ſcriptores, non optimæ notæ imo improbis. *Ab his*, inquit Lambertus Schafnaburgenſis, *quicquid Eccleſiaſticarum, quicquid ſecularium dignitatum eſt, emebatur.* Quam prudenter autem aliàs ipſe ille Imperator in beneficiis Eccleſiaſticis conferendis ſe geſſerit, vel id exemplo eſſe poteſt, quod idem Lambertus, (cui tantum tribuunt Baronius & Bellarminus) de electione Fuldenſis Abbatis, integre & incorruptá fide, increpitis qui illam Abbatiam vel gratiá vel muneribus obtinere ſe poſſe ſperaverant. ab Henrico factâ memorat. Ne ſanè quis electum Abbatem monachis obtruſum putet, ita ait. *Primus ipſe Imperator hunc Abbatem elegit, deinde cæteros, tam monachos quam milites, ut in electionem ejus conſentiant, obnixe efflagitavit.* Nec alium utiq; in Epiſcopos conſtituendis ſe præbuit. Id docent voces ipſe Imperatoris, bonæ conſcientiæ indices, cum Imperio & ornamentis Imperialibus, exueretur. Rem geſtam Helmodi verbis ex *l.1. Chronici Sclavorum cap.32.* repetitis narrabo: *Miſſi à Principibus venerunt ad Regem, qui tunc forte conſiſtebat in corte Regia Hilligelsheim, Moguntinus, Colonienſis, Wormatienſis, & pertulerunt ad eum mandatum ex ore Principum, dicentes: Fac nobis reddi coronam, annulum, & purpuram, cæteraque ad inveſtituram Imperialem pertinentia, filio tuo deferenda. Illo percunctante dejectionis ſuæ culpam, reſponderunt dicentes. Quid quæris ea, quæ optime noſti? Meminiſti qualiter universa Eccleſia tui cauſa maximo ſchiſmatis errore multis jam an-*

Ggg *nis la-*

nis laboraverit, qualiter Epiſcopatus, Abbatias, præterea omnia Eccleſiæ regimina feceris venalia, nec fuit in conſtituendis Epiſcopis ulla legitima electionum facultas ſed ſola pecuniæ ratio. Pro iis & aliis cauſis ſanxit autoritas Apoſtolica, favitq; Principum unanimitas, te non ſolum Regno, verum etiam communione Eccleſiaſtica privandum. Quo contra Rex ait: Dicitis quia Spirituales dignitates precario vendiderimus. Veſtra quidem poteſtas eſt tale nobis crimen impingere. Dic ergo tu Moguntine, dic adjuratus per nomen æterni Dei, quid exegimus aut recepimus a te, quando te Moguntiæ præfecimus? Tu quoque Colonienſis, per fidem te conteſtamur, quid nobis dediſti pro Sede, cui noſtrâ munificentiâ præſides. Illis fatentibus, nihil pecuniæ hujus rei gratia aut oblatum, aut acceptum; Rex ait, Gloria Deo, quia vel in hac parte fideles inventi ſumus. Certe dignitates eæ duæ præſtantiſſimæ ſunt & magnum quæſtum Cameræ noſtræ referre poterant. Porrò Dominus Wormatenſis, qualis, à nobis ſusceptus, ad quod promotus, ſi pietate vel quæſtu erga ipſum uſi fuerimus, nec vos nec ipſum latet. Condignam ergò beneficiis noſtris rependitis gratiam. Hæc omnia Helmoldus. Ex quibus ſane clarius eſt, per calumniam Henrico illi Imperatori imputatum eſſe, quaſi ille omnes Epiſcopales dignitates pretio accepto vendiderit. Non ſanè eſt quod moremur convicia Stephani Halberſtadenſis Epiſcopi, qui non ſine contentione, ut ait Crantzius, Epiſcopatum adeptus erat, quæ ille plenâ manu in Epiſtola ad Valthramum congeſſit. Licet eam dignam judicarint Baronius & Bellarminus, ut ille quidem *Tom. XI. Annal. ad annum 1090.* totam, hic verò, *Lib. I. de Tranſlat. Imper. cap. 11.* partem ejus recitaret. Cæteros ævi illius ſcriptores quod attinet, illi quoque cùm multum Pontificis gratiæ tribuunt, tùm non tam Simoniam quam alia vitia, & ipſum jus Regium conſtituendi Epiſcopos in Henrico per imperitiam inſectati ſunt. Quin imo ſi Benno-

Metr. l. 5. cap. 30.

nis

nis Cardinalis libello quem iſthac ipſa tempeſtate de vitâ & rebus geſtis Hildebrandi conſcripſit, credimus, Henricus Imperator ſi quos noſſet Simoniacos Epiſcopos, eos officio movit. Hildebrandus verò, ait Benno, *expulſos à Rege Simoniacas relocabat; & quos Regi infeſtos reddiderat, eos ſibi familiari amicitiâ reconciliabat; & multis & magnis juramentis ſibi vinctos & obnoxios efficiens, præ aliis exaltabat.*

LIII. Operæ pretium erit, cum curâ obſervare artes Hildebrandi. Hoc nempe ille agebat, ut Imperii majeſtatem imminueret, & Romanam ſedem eveheret. Huc faciunt monſtroſi illi dictatus. Dum Simoniam evertere ſe ſimulat, Imperii majeſtatem deſtruere parabat. Neque vero compendioſiùs rem tantam aggredi poterat. Eccleſiaſtica enim bona maximam jam tunc Imperii partem conſtituebant: quorum ergo collationem ſi extorſiſſet Imperatori, non diffidebat, obtinere ſe poſſe Monarchiam quam meditabatur. Quantum ſanè Imperatoris decedebat autoritati, tantum accedebat Pontificiæ; cui evehendæ hæc tragœdia agebatur. Nullo igitur Principum ajebat opus eſſe conſenſu, in beneficiorum Eccleſiaſticorum collatione. Si quis ſecus quidquam auſus eſſet, hunc pronunciabat Simoniacum. Vt, ſi illius judicio eſſet ſtandum, Simoniacos fuiſſe neceſſe ſit, non ſolùm alios complures Pontifices, ſed & ipſum Alexandrum II, cujus lateri Gregorius ſemper adhæſit. Is ſane Anshelmum in Germaniam miſit, ut ei Lucenſem Epiſcopatum, cujus collatio penes Henricum Imperatorem erat, impetraret. Quod verò ipſum inveſtiendi per virgam & annulum ritum attinet, parùm is utique ad rem facit. Non ſane dubitandum, haud fuiſſe difficiles futuros Imperatores in omittendo hoc inveſtiendi ritu, ſi

Baronius Tom XI. Anno 1073

de eo duntaxat abrogando contentio aliqua fuiſſet, jure ipſo conſtituendi & eligendi Epiſcopos Imperatoribus relicto. VValtramus, acerrimus alias Henrici defenſor, apertè: *Nihil refert ſive verbo, ſive præcepto, ſive baculo, ſive aliâ re, quam in manu tenuerit, inveſtiat aut inthronizet Rex & Imperator* Epiſcopatum. Et pòſt: *Sed congruum magis eſt per baculum.* In eamdem ſententiam Romanæ Sedi addictiſſimus Ivo Epiſtolâ ad Lugdunenſem Archiepiſcopum: *Vrbanus Papa Reges tantùm à corporali inveſtiturâ excludit, (quantum intelleximus) non ab electione, in quantum ſunt caput populi, vel à conceſſione. Quamvis octava ſynodus ſolùm prohibeat eos intereſſe electioni, non conceſſioni. Quæ conceſſio, ſive fiat manu, ſive nutu ſive linguâ quid refert?* Hæc Ivo, æquus ſæpe in hâc controverſia, quando partium ſtudium eum non tranſverſum agit, judex. Quod verò Ivo de ſolâ corporali inveſtiturâ ab Urbano prohibitâ ait, haud veriſimile eſt, Cum enim in laicalibus inveſtituris prohibendis iiſdem uſus fuerit quibus Gregorius VII verbis, mitiori eum fuiſſe animo procul eſt a vero. Quin ipſo Hildebrando videtur fuiſſe aſperior; condito nempe decreto, nequis Eccleſiaſticorum Principi ſuo ſacramentum diceret, cujuſmodi quid à Gregorio VII ſtatutum fuiſſe non conſtat. Quicquid hujus ſit, utique id liquet jam, cauſam nullam fuiſſe Hildebrando, cur tantas in Imperio turbas daret. Primus verò is fuit, qui eà contentione inveſtituras abrogatum ivit. Nam quod Marſilius Patavinus in *Defenſore Pacis Part.* II. c. *XXIV*, à Simplicio, qui circa quintem ſeculum Sedi Romanæ præfuit, tradit, decretum eſſe, *Nullum clericum inveſtituram à Laico debere ſuſcipere*, vel (ut Platinæ verbis utar) *nullum clericum poſſeſſionem beneficii a laico debere recognoſcere*, id fidem vix meretur. in Pontificali ſanè Anaſtaſii nihil hujus re

In Simpl.

jus reperias. Sed & certum eſt, iſthac ipſa ætate Simplicii, latam Odoacro Rege legem de Pontifice Romano non conſtituendo haud impetrato ante Regum conſenſu Simplicio ipſo aſſentiente. Vt illud Platinæ vel ſit falſum, vel ad electiones Epiſcopales non pertineat. Quod attinet verò iniqua illa Gregorii ſeptimi Papæ decreta, illa repetierunt & confirmarunt Victor III in Concilio Beneventano : Vrbanus II. in Synodo Melfitana can. 11 x, & generali Claromontanâ can. xv. & xvi : Paſchalis II in Synodo Pictavienſi, præſentibus Legatis Sedis Romanæ, & demum Trecenſi cui Paſchalis ipſe præfuit. *Baron, Anno 1087. Anno 1090. Ann. 1095.*

LIV. Inter tot verò certamina, quicquid decerneret Pontifex, perſtitit Henricus ſenior in ſuâ ſententiâ. Quinimo Rudolphus etiam Sueviæ Dux, & Hermannus, electi contra Henricum Imperatorem à nonnullis Principibus, inſtinctu Hildebrandi, Germaniæ Reges, illo quoque Regio jure uſi ſunt, ut patet ex Crantzii *Metrop. lib. V. cap. XVI & XXIII.* Paſchalis autem ſecundus, cum filium Henrici IV Henricum V haud occultè in Patrem concitaſſet, patre tandem Regno & vitâ exuto, ſperavit obtinere ab illo ſe poſſe, quod aliis erat negatum. Sed præter opinionem graviorem ſenſit Henricum illum filium quàm quiſquam aliorum Imperatorum fuit. Res nulli non penè veterum hiſtoricorum eſt memorata. Henricus videlicet ille quintus cum facile perſpiceret, non poſſe ſalvum eſſe Imperium, ſi Pontifex obtineret quod improbè decreverat: aut cedere Epiſcopos & Abbates Regalibus bonis volebat, aut liberam ſibi conſtituendorum Epiſcoporum poteſtatem, privilegiis Papalibus Carolo Imperatori conceſſam, & multorum ſeculorum uſu perpetuo in omni Chriſtiano orbe ſtatuminatam permitti. Id ſe velle Imperator Paſchali, cum is in Concilio Trecenſi eſſet, renunciarat *Baronius Tom. xii. anno 1100. Ann. 1107 & Cranz. Met. l. 5. cap. 33.*

per legatos. Pontifex verò, quoniam inveſtituras, quas paulò ante ipſe in Synodo iſthac decreto abrogarat, concedere Imperatori neque vellet, neq; fortè etiam, ut tueretur exiſtimationem ſuam vel vero quod in errorem prolapſus nefas id crederet, poſſes, ita cum Henrico V Sutriæ demum paciſcitur, ut Vrſpergenſis Abbas, ex Davide Scoto Epiſcopo Bancornenſi, qui Henrici Romanam expeditionem juſſu ejus deſcripſerat, ad annum MCXI tradit: *Iterum Legatos*, inquit, *Apoſtolicos & Miſſos Regios convenit: promtum eſſe Papam ad conſecrationem & omnem Regis honorem & voluntatem, ſi tamen ipſe ſibimet annueret libertatem Eccleſiarum, laicam ab illis prohibent inveſtituram, recipiendo nihilominus ab Eccleſiis Ducatus, Marchias, Comitatus, Advocatias, monetas, telonia cæterorumque regalium quæ poſſident ſummam. Præbuit Rex aſſenſum, ſed eo pacto, quatenus hæc tranſmutatio, firmâ & authenticâ ratione, conſilio quoque vel concordia totius Eccleſiæ, ac Regni Principum aſſenſu, ſtabiliretur. Quod etiam vix aut nullomodo fieri poſſe credebatur.* Hæc Vrſpergenſis. Pleniùs pacta illa conventa recidat Goldaſtus *in Conſtitutionibus Imperialibus, & Rationali*, ut & Baronius *Tom. XII anno M CX, & M CXI.* Numerat verò Petrus Diaconus vetus ſcriptor, habetque ipſa formula conventionis apud Dodechinum, inter Regalia hæc quoque: *Vectigalia, Mercata, Centurionum jura, curteis Imperii cum pertinentiis ſuis, militiam Imperii & caſtra.* Lectâ verò hâc conventione coram Epiſcopis & Abbatibus, qui Romæ tunc aderant, cùm Italicis tùm Germanicis, ut & aliis qui in epiſtola Imperatoria audiunt *Eccleſiæ filii*, (ubi innotuiſſet, Eccleſiaſticos dimiſſis Regalibus, decimis & oblationibus debere contentos eſſe) magnâ indignatione Clerus omnis Paſchali ſeſe oppoſuit. Non poteſt omne hoc negocium rectius accipi fortaſſis

quàm

puam ex Dodechino, utpote qui inſeruerit anno 1510 ipſiusmet Henrici Regis Epiſtolam, quâ omnia iſthæc narrantur, Romanæ tunc ſcriptam. Et verò, quod haud immeritò mireris, ne quidem Sigebertus hujus rei fecit mentionem. Sicut nec à Dodechino eſt narratum, illam conventionem factam eſſe irritam, quia ab omnibus ſcilicet fuit improbata, imò nec ipſi probata Henrico Regi ceu liquet ex ejus Epiſtolâ. Hoc itaque modo cum pax haud proceſſiſſet, nec tamen Rex jure Regio cedere, nec Papa iuveſtituras concedere Regibus vellet, abductus eſt Papa ab Imperatoris exercitu cum plurimis Cardinalibus captivus. Cujus trimeſtris captivitatis moleſtiâ victus, tandem Henrico V poteſtatem conſtituendorum Epiſcoporum conceſſit, & pactum illud juramentis firmavit. Conventiones illas pacis, idque decretum de Eccleſiaſticorum inveſtituris, hiſtorici pauci adeoque nec Platina memorant: attamen recitat Goldaſtus *in Rationali*, & Baronius *Anno MCXI.* Non hîc autem illa adſcribi opus eſt. Omninò autem ex re erit hoc loco legere, quæ de iſthoc omni negotio narravit Gotfridus Viterbienſis *Panthei parte decimaſeptima*: ut & quæ de Paſchalis Papæ conceſſione ſigillatim tradidit Sigebertus *Anno IV.* Nec enim illa, quæ narrat de ultimo hoc V Villhelmus Malmesburienſis *l. I. de reb. geſtis Anglorum*, licet addere propter prolixitatem; etſi ſunt lectu longè digniſſima. Gotfridi verba hæc ſunt. *Imperatore Romam tendente, Papa cum eo tali pactione convenerat, ut Imperator Epiſcoporum inveſtituras dimitteret, Papa autem e converſo Imperatori omnia Epiſcoporum regalia relaxaret. Hac pactio ſacramentis & obſidibus inter Papam & Imperatorem aſſeritur firmata fuiſſe. Quam dum renitentibus Epiſcopis Papa adimplere non poſſet, quam per omnia innocens eſſet, tanquam reus cuſtodia eſt*

manci-

mancipatus. Hujus factionis conſiliator præcipuus dicitur fuiſſe Albertus, tunc temporis Cancellarius, qui poſtea fuit Archiepiſcopus Moguntinus. Papa aliquandiu capto & detento, Imperator à civibus revocatur, & Epiſcoporum inveſtituras, id eſt, annulum & baculum, a Papa recipiens, ipſum Papam & cives Romanos muneribus reconciliare curavit: & a Papa coronatus, favorem & nomen Imperiale ſortitur, anno ab Incarnatione Domini MCXI, anno verò regni eius, ex quo pater regalia ſibi reſignaverat, ſexto. Hæc Gotfridus breviter. Jam ſubjungemus & verba Sigeberti, de pacto illo quod inter Paſchalem Papam & Henricum Imperatorem ſacramento eſt ratihabitum. *In reconciliatione autem, quæ facta eſt inter Imperatorem & Papam, (nam ipſum Papam cum Epiſcopis & cardinalibus ceperat) die Paſchæ Henrico in Imperatorem coronato, poſt lectum Evangelium, tradidit ei Papa ante altare Apoſtolorum Petri & Pauli, in oculis omnium Principum, privilegium de inveſtitura Epiſcopatuum vel Abbatiarum, tam per annulum quam per virgam. Scilicet ut Regni eius Epiſcopis vel Abbatibus liberè præter violentiam & Simoniam electis inveſtituram virgæ & annuli conferat, poſt inveſtitutionem verò canonice conſecrationem accipiat ab Epiſcopo, ad quem pertinuerit. Confirmatio pacis inter Apoſtolicum & Imperatorem, dum in celebratione Miſſæ traderet ei corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti: Domine Imperator, hoc corpus Domini, natum ex Maria Virgine, paſſum in cruce pro nobis (ſicut Sancta & Apoſtolica tenet Eccleſia) damus tibi in confirmationem veræ pacis inter me & te Datum eſt idibus Aprilis, indictione quarta.*

LV. Quod attinet porrò primam illam transactionem, nihil profecto illa habuit verè iniquum. Vltrò ſanè utique omnem regalium bonorum renunciationem ipſemet Paſchalis Papa propoſuit promiſitque imperatori: Imperator

tator eam non poſtulavit ſed contrà tunc etiam omnia antehac conceſſa Regalia denuò dedit, ceu liquet ex ejus Epiſto â apud Dodechinum. Quod verò tunc Romæ præſentes Epiſcopi illam Paſchalis ſententiam auſi fuerunt *hæreſin* appellare, (quod legitur itidem in Epiſtolâ iſthac Imperatoriâ,) id profectò arguit, homines illos vel actos fuiſſe in furorem, vel quid ſit *hæreſis* omninò ignoraſſe. An fidei Chriſtianæ adverſatur : ſi ſtatuas, bona quædam reddenda eſſe reipublicæ à quâ antehac donata erant, & quidem reddi illa oportere ſi exigat ipſius etiam Eccleſiæ ſalus? At verò unum hoc voluerat Paſchalis Papa. Inter fidei dogmata igitur, ſi illi Epiſcopi ſint audiendi, numerandum fuerit : Bona ſacris perſonis data non licere publicis uſibus viciſſim concedere. Fuerit autem hoc quidem novum Evangelium, imò hæreticum dogma fuerit. Haud multò minore verò inſania eodem tempore *hæretica* proclamata fuit ſententia eorum, qui affirmabant, non eſſe iniquum Epiſcopos à laicis inveſtiri : qui proinde & alteram illam à Paſchali factam conceſſionem *hæreſios* nota infamaverunt. Prætextui enim etiam hiſce nihil fuit aliud, quàm Laicos velle per inveſtituram Ordinationis ſacramentum conferre : quæ atrox profectò eſt calumnia. Videtur autem ita calumniatus etiam Goffridus Vindocinenſis Abbas & Cardinalis. Cujus verba nunc tamen adſcribere non libet quia pridem ejus ſententiam excuſſit vir eximius M. Antonius de Dominis. Apertè verò ita ſtatuerunt Patres etiam Conciliorum Lateranenſis & Viennenſis, anno MCXII habitorum. Ili quidem, cum ajunt : *Id quod in privilegio continebatur, quod electus Canonice a Clero & Populo, a nemine conſecretur, niſi priùs à Rege inveſtiatur, id eſt contra Sp. S. & Canonicam inſtitutionem.* Hi verò, cum ſanxerunt : *Inveſtituram*

gratia, Apoſtolicæ Sedis vel Metropolitani ſui conſenſu, paſtorem ſibi ſecundum Deum eligat. Electionis verò poteſtas omnis in deliberatione Sedis Apoſtolicæ ſive Metropolitani ſui conſiſtat. Hæc ſunt Hildebrandi decreta, de principum inveſtituris lata. Hinc claſſicum turbarum, hinc incendii initium, quo totus ferme Occidens conflagravit. Hæc illa decreta, quibus, ipſo Onuphrio Panvinio, quem paulo ante audivimus prolixius loquentem, judice non tantum Imperator Henricus IV, ſed omnes Reges Latini & Occidentales petiti, Epiſcopi item & univerſus Clerus Galliæ Germaniæ & Italiæ; *Majeſtas quoq; & dignitas Imperii Romani everſa, quodq; longè plus, ea fundamenta jacta ſunt quibus illius poteſtas omnino labefactaretur.* Viſum igitur fuit, ſurſum deorſum omnia ferre, ima ſummis cœlum terræ miſcere. Quicquid erat flagitioſorum hominum impune graſſari permiſſum. Pontifex in Pontificem, Imperator in Imperatorem Epiſcopi in Epiſcopos, filii in parentes, ſubditi denique in ſuum legitimum Principem inſurrexerunt: ſolutique ea, quæ animos hactenus inſederat, religione, in eum profano Papæ indultu graſſati ſunt, quem Deus & ſors naſcendi imo illi ipſi Imperii Ordines Principem & Regem ſuum conſtituerunt.

LII. Nullâne vero aliâ ratione Simoniacum crimen ex Chriſtiano orbe profligari, & libertas Eccleſiis reſtitui niſi per tot populorum ſtrages potuit; Henricum non ſemper recto tramite inceſſiſſe, haut negaverim. Cur non fuit monitus, ut in viam rediret, ut inveſturas piè rectè atque ordine conferret, abuſuſque earum tolleret? Sed monitus fuit non ſtatim tamen obtemperavit, quod ait Baronius Eſto factum. Num igitur Pontificem eò progredi fas fuit, ut commota toto Occidente non ſolùm inveſtiturarum jure Principes omnes & Imperatorem exueret,

uere, ſed etiam diris Henricum devoveret, indignumque Imperio, indignum Regno, imo vitâ ipſâ pronunciaret. Henricus tamen ipſe non ſemper in culpa fuit. Lubrica enim fuit quidem ipſius adoleſcentia, cum conſu toribus uteretur Adalberto Bremenſi Archiepiſcopo & VVernero Comite, hominibus, ut tradunt ſcriptores, non optimæ notæ imo improbis. *Ab his*, inquit Lambertus Schafnaburgenſis, *quicquid Eccleſiaſticarum, quicquid ſecularium dignitatum eſt, emebatur.* Quam prudenter autem aliàs ipſe ille Imperator in beneficiis Eccleſiaſticis conferendis ſe geſſerit, vel id exemplo eſſe poteſt, quod idem Lambertus, (cui tantum tribuunt Baronius & Bellarminus) de electione Fuldenſis Abbatis, integre & incorruptá fide, increpitis qui illam Abbatiam vel gratiâ vel muneribus obtinere ſe poſſe ſperaverant. ab Henrico factâ memorat. Ne ſanè quis electum Abbatem monachis obtruſum putet, ita ait. *Primus ipſe Imperator hunc Abbatem elegit, deinde cæteros, tam monachos quam milites, ut in electionem ejus conſentiant, obnixe efflagitavit.* Nec alium utiq; in Epiſcopos conſtituendis ſe præbuit. Id docent voces ipſe Imperatoris, bonæ conſcientiæ indices, cum Imperio & ornamentis Imperialibus, exueretur. Rem geſtam Helmodi verbis ex *l.* I. *Chronici Sclavorum cap.* 32. repetitis narrabo: *Miſſi à Principibus venerunt ad Regem, qui tunc forte conſiſtebat in corte Regia Hilligelsheim, Moguntinus, Coloniensis, Wormatienſis, & pertulerunt ad eum mandatum ex ore Principum, dicentes: Fac nobis reddi coronam, annulum, & purpuram, cæteraque ad inveſtituram Imperialem pertinentia, filio tuo deferenda. Illo percunctante dejectionis ſuæ culpam, reſponderunt dicentes. Quid quæris ea, quæ optime noſti? Meminiſti qualiter univerſa Eccleſia tui cauſa maximo ſchiſmatis errore multis jam an-*

 nis la-

nis laboraverit, qualiter Epiſcopatus, Abbatias, præterea omnia Eccleſiæ regimina feceris venalia, nec fuit in conſtituendis Epiſcopis ulla legitima electionum facultas ſed ſola pecuniæ ratio. Pro iis & aliis cauſis ſanxit autoritas Apoſtolica, favitq; Principum unanimitas, te non ſolum Regno verum etiam communione Eccleſiaſtica privandum. Quo contra Rex ait: Dicitis quia Spirituales dignitates precario vendiderimus. Veſtra quidem poteſtas eſt tale nobis crimen impingere. Dic ergo tu Moguntine, dic adjuratus per nomen æterni Dei, quid exegimus aut recepimus a te, quando te Moguntiæ præfecimus? Tu quoque Colonienſis, per fidem te conteſtamur, quid nobis dediſti pro Sede, cui noſtrâ munificentiâ præſides. Illis fatentibus, nihil pecuniæ hujus rei gratia aut oblatum, aut acceptum; Rex ait, Gloria Deo, quia vel in hac parte fideles inventi ſumus. Certe dignitates eæ duæ præſtantiſſimæ ſunt & magnum quæſtum Cameræ noſtræ referre poterant. Porrò Dominus Wormatenſis qualis, à nobis ſusceptus, ad quod promotus, ſi pietate vel quæſtu erga ipſum uſi fuerimus, nec vos nec ipſum latet. Condignam ergo beneficiis noſtris rependitis gratiam. Hæc omnia Helmoldus. Ex quibus ſane clarius eſt, per calumniam Henrico illi Imperatori imputatum eſſe, quaſi ille omnes Epiſcopales dignitates pretio accepto vendiderit. Non ſanè eſt quod moremur convicia Stephani Halberſtadenſis Epiſcopi, qui non ſine contentione, ut ait Crantzius, Epiſcopatum adeptus erat, quæ ille plenâ manu in Epiſtola ad Valthramum congeſſit. Licet eam dignam judicarint Baronius & Bellarminus, ut ille quidem *Tom. XI. Annal. ad annum 1090.* totam, hic verò *Lib. I. de Tranſlat. Imper. cap. 11.* partem ejus recitaret. Cæteros ævi illius ſcriptores quod attinet, illi quoque cùm multum Pontificis gratiæ tribuunt, tùm non tam Simoniam quam alia vitia, & ipſum jus Regium conſtituendi Epiſcopos in Henrico per imperitiam inſectati ſunt. Quinimo ſi Benno-

Metr. l. 5. cap. 29.

nis

nis Cardinalis libello quem iſthac ipſa tempeſtate de vitâ & rebus geſtis Hildebrandi conſcripſit, credimus, Henricus Imperator ſi quos noſſet Simoniacos Epiſcopos, eos officio movit. Hildebrandus verò, ait Benno, *expulſos à Rege Simoniacas relocabat; & quos Regi infeſtos reddiderat, eos ſibi familiari amicitiâ reconciliabat; & multis & magnis juramentis ſibi vinctos & obnoxios efficiens, præ aliis exaltabat.*

LIII. Operæ pretium erit, cum curâ obſervare artes Hildebrandi. Hoc nempe ille agebat, ut Imperii majeſtatem imminueret, & Romanam ſedem eveheret. Huc faciunt monſtroſi illi dictatus. Dum Simoniam evertere ſe ſimulat, Imperii majeſtatem deſtruere parabat. Neque vero compendioſiùs rem tantam aggredi poterat. Eccleſiaſtica enim bona maximam jam tunc Imperii partem conſtituebant: quorum ergo collationem ſi extorſiſſet Imperatori, non diffidebat, obtinere ſe poſſe Monarchiam quam meditabatur. Quantum ſanè Imperatoris decedebat autoritati, tantum accedebat Pontificiæ; cui evehendæ hæc tragœdia agebatur. Nullo igitur Principum ajebat opus eſſe conſenſu, in beneficiorum Eccleſiaſticorum collatione. Si quis ſecus quidquam auſus eſſet, hunc pronunciabat Simoniacum. Vt, ſi illius judicio eſſet ſtandum, Simoniacos fuiſſe neceſſe ſit, non ſolùm alios complures Pontifices, ſed & ipſum Alexandrum II, cujus lateri Gregorius ſemper adhæſit. Is ſanè Anshelmum in Germaniam miſit, ut ei Lucenſem Epiſcopatum, cujus collatio penes Henricum Imperatorem erat, impetraret. Quod verò ipſum inveſtiendi per virgam & annulum ritum attinet, parùm is utique ad rem facit. Non ſane dubitandum, haud fuiſſe difficiles futuros Imperatores in omittendo hoc inveſtiendi ritu, ſi

Baronius Tom XI. Anno 1073

de eo duntaxat abrogando contentio aliqua fuiſſet, jure ipſo conſtituendi & eligendi Epiſcopos Imperatoribus relicto. VValtramus, accerrimus alias Henrici defenſor, apertè: *Nihil refert ſive verbo, ſive precepto, ſive baculo, ſive aliâ re, quam in manu tenuert, inveſtiat aut inthronizet Rex & Imperator* Epiſcopatum. Et pòſt: *Sed congruum magis eſt per baculum.* In eamdem ſententiam Romanæ Sedi addictiſſimus Ivo Epiſtolâ ad Lugdunenſem Archiepiſcopum: *Vrbanus Papa Reges tantùm à corporali inveſtiturâ excludit, (quantum intelleximus) non ab electione, in quantum ſunt caput populi, vel à conceſſione. Quamvis octava ſynodus ſolùm prohibeat eos intereſſe electioni, non conceſſioni. Quæ conceſſio, ſive fiat manu, ſive nutu ſive linguâ quid refert?* Hæc Ivo, æquus ſæpe in hàc controverſia, quando partium ſtudium eum non tranſverſum agit, judex. Quod verò Ivo de ſolâ corporali inveſtiturâ ab Urbano prohibitâ ait, haud vereſimile eſt, Cum enim in laicalibus inveſtituris prohibendis iiſdem uſus fuerit quibus Gregorius VII verbis, mitiori eum fuiſſe animo procul eſt a vero. Quin ipſo Hildebrando videtur fuiſſe aſperior; condito nempe decreto, nequis Eccleſiaſticorum Principi ſuo ſacramentum diceret, cujuſmodi quid à Gregorio VII ſtatutum fuiſſe non conſtat. Quicquid hujus ſit, utique id liquet jam, cauſam nullam fuiſſe Hildebrando, cur tantas in Imperio turbas daret. Primus verò is fuit, qui eà contentione inveſtituras abrogatum ivit. Nam quod Marſilius Paravinus in *Defenſore Pacis Part. II. c. XXIV*, à Simplicio, qui circa quintem ſeculum Sedi Romanæ præfuit,

In Simpl. tradit, decretum eſſe, *Nullum clericum inveſtituram à Laico debere ſuſcipere*, vel (ut Platinæ verbis utar) *nullum clericum poſſeſſionem beneficii a laico debere recognoſcere*, id fidem vix meretur. in Pontificali ſanè Anaſtaſii nihil hujus re

jus reperias. Sed & certum eſt, iſthac ipſa ætate Simplicii, latam Odoacro Rege legem de Pontifice Romano non conſtituendo haud impetrato ante Regum conſenſu Simplicio ipſo aſſentiente. Vt illud Platinæ vel ſit falſum, vel ad electiones Epiſcopales non pertineat. Quod attinet verò iniqua illa Gregorii ſeptimi Papæ decreta, illa repetierunt & confirmarunt Victor III in Concilio Beneventano: Vrbanus II. in Synodo Melfitana can. 11x, & generali Claromontanâ can. xv. & xvi: Paſchalis II in Synodo Pictavienſi, præſentibus Legatis Sedis Romanæ, & demum Trecenſi cui Paſchalis ipſe præfuit.

Baron, Anno 1087. Anno 1090. Ann. 1095.

LIV. INTER tot verò certamina, quicquid decerneret Pontifex, perſtitit Henricus ſenior in ſuâ ſententiâ. Quinimo Rudolphus etiam Sueviæ Dux, & Hermannus, electi contra Henricum Imperatorem à nonnullis Principibus, inſtinctu Hildebrandi, Germaniæ Reges, illo quoque Regio jure uſi ſunt, ut patet ex Crantzii *Metrop. lib. V. cap. XVI & XXIII.* Paſchalis autem ſecundus, cum filium Henrici IV Henricum V haud occultè in Patrem concitaſſet, patre tandem Regno & vitâ exuto, ſperavit obtinere ab illo ſe poſſe, quod aliis erat negatum. Sed præter opinionem graviorem ſenſit Henricum illum filium quàm quisquam aliorum Imperatorum fuit. Res nulli non penè veterum hiſtoricorum eſt memorata. Henricus videlicet ille quintus cum facile perſpiceret, non poſſe ſalvum eſſe Imperium, ſi Pontifex obtineret quod improbè decreverat: aut cedere Epiſcopos & Abbates Regalibus bonis volebat, aut liberam ſibi conſtituendorum Epiſcoporum poteſtatem, privilegiis Papalibus Carolo Imperatori conceſſam, & multorum ſeculorum uſu perpetuo in omni Chriſtiano orbe ſtatuminatam permitti. Id ſe velle Imperator Paſchali, cum is in Concilio Trecenſi eſſet, renunciarat

Baronius Tom. XII. anno 1100. Ann. 1107 & Cranz. Met. l. 5. cap. 33.

 per

per legatos. Pontifex verò, quoniam inveſtituras, quas paulò ante ipſe in Synodo iſthac decreto abrogarat, concedere Imperatori neque vellet, neq; fortè etiam, ut tueretur exiſtimationem ſuam vel vero quod in errorem prolapſus nefas id crederet, poſſes, ita cum Henrico V Sutriæ demum paciſcitur, ut Vrſpergenſis Abbas, ex Davide Scoto Epiſcopo Bancornenſi, qui Henrici Romanam expeditionem juſſu ejus deſcripſerat, ad annum MCXI tradit: *Iterum Legatos*, inquit, *Apoſtolicos & Miſſos Regios convenit: promtum eſſe Papam ad conſecrationem & omnem Regis honorem & voluntatem, ſi tamen ipſe ſibimet annueret libertatem Eccleſiarum, laicam ab illis prohibent inveſtituram, recipiendo nihilominus ab Eccleſiis Ducatus, Marchias, Comitatus, Advocatias, monetas, telonia cæterorumque regalium quæ poſſident ſummam. Præbuit Rex aſſenſum, ſed eo pacto, quatenus hæc tranſmutatio, firmâ & authenticâ ratione, conſilio quoque vel concordia totius Eccleſiæ, ac Regni Principum aſſenſu, ſtabiliretur. Quod etiam vix aut nullomodo fieri poſſe credebatur.* Hæc Vrſpergenſis. Pleniùs pacta illa conventa recidat Goldaſtus *in Conſtitutionibus Imperialibus, & Rationali*, ut & Baronius *Tom. XII anno M CX, & MCXI.* Numerat verò Petrus Diaconus vetus ſcriptor, habetque ipſa formula conventionis apud Dodechinum, inter Regalia hæc quoque: *Vectigalia, Mercata, Centurionum jura, curteis Imperii cum pertinentiis ſuis, militiam Imperii & caſtra.* Lectâ verò hâc cònventione coram Epiſcopis & Abbatibus, qui Romæ tunc aderant, cùm Italicis tùm Germanicis, ut & aliis qui in epiſtola Imperatoria audiunt *Eccleſiæ filii*, (ubi innotuiſſet, Eccleſiaſticos dimiſſis Regalibus, decimis & oblationibus debere contentos eſſe) magnâ indignatione Clerus omnis Paſchali ſeſe oppoſuit. Non poteſt omne hoc negocium rectius accipi fortaſſis

quàm

puam ex Dodechino, utpote qui inſeruerit anno 1510 ipſiusmet Henrici Regis Epiſtolam, quâ omnia iſthæc narrantur, Romanæ tunc ſcriptam. Et verò, quod haud immeritò mireris, ne quidem Sigebertus hujus rei fecit mentionem. Sicut nec à Dodechino eſt narratum, illam conventionem factam eſſe irritam, quia ab omnibus ſcilicet fuit improbata, imò nec ipſi probata Henrico Regi ceu liquet ex ejus Epiſtolâ. Hoc itaque modo cum pax haud proceſſiſſet, nec tamen Rex jure Regio cedere, nec Papa iuveſtituras concedere Regibus vellet, abductus eſt Papa ab Imperatoris exercitu cum plurimis Cardinalibus captivus. Cujus trimeſtris captivitatis moleſtiâ victus, tandem Henrico V poteſtatem conſtituendorum Epiſcoporum conceſſit, & pactum illud juramentis firmavit. Conventiones illas pacis, idque decretum de Eccleſiaſticorum inveſtituris, hiſtorici pauci adeoque nec Platina memorant: attamen recitat Goldaſtus *in Rationali*, & Baronius *Anno M'CXI.* Non hîc autem illa adſcribi opus eſt. Omninò autem ex re erit hoc loco legere, quæ de iſthoc omni negotio narravit Gotfridus Viterbienſis *Pantheiparte decimaſeptima*: ut & quæ de Paſchalis Papæ conceſſione ſigillatim tradidit Sigebertus *Anno IV.* Nec enim illa, quæ narrat de ultimo hoc Vvilhelmus Malmesburienſis *l. 1. de reb. geſtis Anglorum*, licet addere propter prolixitatem; etſi ſunt lectu longè digniſſima. Gotfridi verba hæc ſunt. *Imperatore Romam tendente, Papa cum eo tali pactione convenerat, ut Imperator Epiſcoporum inveſtituras dimitteret, Papa autem e converſo Imperatori omnia Epiſcoporum regalia relaxaret. Hac pactio ſacramentis & obſidibus inter Papam & Imperatorem aſſeritur firmata fuiſſe. Quam dum renitentibus Epiſcopis Papa adimplere non poſſet, quam per omnia innocens eſſet, tanquam reus cuſtodiæ eſt*

manci-

rator eam non poſtulavit ſed contrà tunc etiam omnia antehac conceſſa Regalia denuò dedit, ceu liquet ex ejus Epiſto â apud Dodechinum. Quod verò tunc Romæ præſentes Epiſcopi illam Paſchalis ſententiam auſi fuerunt *hæreſin* appellare, (quod legitur itidem in Epiſtolâ iſthac Imperatoriâ,) id profectò arguit, homines illos vel actos fuiſſe in furorem, vel quid ſit *hæreſis* omninò ignoraſſe. An fidei Chriſtianæ adverſatur: ſi ſtatuas, bona quædam reddenda eſſe reipublicæ à quâ antehac donata erant, & quidem reddi illa oportere ſi exigat ipſius etiam Eccleſiæ ſalus? At verò unum hoc voluerat Paſchalis Papa. Inter fidei dogmata igitur, ſi illi Epiſcopi ſint audiendi, numerandum fuerit: Bona ſacris perſonis data non licere publicis uſibus viciſſim concedere. Fuerit autem hoc quidem novum Evangelium, imò hæreticum dogma fuerit. Haud multò minore verò inſania eodem tempore *hæretica* proclamata fuit ſententia eorum, qui affirmabant, non eſſe iniquum Epiſcopos à laicis inveſtiri: qui proinde & alteram illam à Paſchali factam conceſſionem *hæreſios* nota infamaverunt. Prætextui enim etiam hiſce nihil fuit aliud, quàm Laicos velle per inveſtituram Ordinationis ſacramentum conferre: quæ atrox profectò eſt calumnia. Videtur autem ita calumniatus etiam Goffridus Vindocinenſis Abbas & Cardinalis. Cujus verba nunc tamen adſcribere non libet quia pridem ejus ſententiam excuſſit vir eximius M. Antonius de Dominis. Apertè verò ita ſtatuerunt Patres etiam Conciliorum Lateranenſis & Viennenſis, anno MCXII habitorum. Illi quidem, cum ajunt: *Id quod in privilegio continebatur, quod electus Canonice a Clero & Populo, a nemine conſecretur, niſi priùs à Rege inveſtiatur, id eſt contra Sp. S. & Canonicam inſtitutionem.* Hi verò, cum ſanxerunt: *Inveſtituram*

ram Epiſcopatuum & Abbatiarum, & omnium Eccleſiaſticarum rerum de manu Laica, S R.E. autoritatem ſequentes, hæreſin eſſe judicamus. Hæc Conciliares illi Patres. At ſi ipſas inveſtituras Laicas ſimpliciter ſpectatas hæreticas putaverunt, oppidò utiq; falſi ſunt. Si cum opinione conferendi Ordinis ſacramentum eſſe conjunctas crediderint; producantur ſodes Henricianorum, ita appellabantur, dicta, producantur exempla quæ id probent. Ivo ipſe, qui hac ætate vivebat, illam ſententiam Epiſtolâ ad Iohannem Archiepiſcopum Lugdunenſem, quam recitat quoq; Baronius *Tom.* XII *anno MCLI*, refellit. Et *Epiſt. LX* apertè: *Reges nihil ſpirituale*, (loquitur autem de inveſtituris) *ſe dare intendunt, ſed tantum aut votis potentium annuere, aut villas Eccleſiaſticas & alia bona exteriora, quæ de munificentiâ Regum obtinent Eccleſiæ, ipſis electis concedere.* Color calumniæ non alius fortè fuit, quam quod vulgâta tunc eſſet hæc loquendi formula, Imperatorem præſumere poteſtatem in Spiritualibus, cum is tamen nominaret ſolùm Epiſcopos. Ita ſanè etiam Crantzius ait: *Ea potiſſima disſidii cauſa fuit inter Regnum & Sacerdotium, quod in Spiritualibus præſumeret poteſtatem Imperator: quæ pro temporum neceſſitate permiſſa erat Patri ſuo, ſed eam nunc Papa ſuo jure vindicabat.* Auxit fortè hunc fucum, quòd non ſemper libera ante conſecrationem Epiſcopi vitæ morumque examinatio permiſſa videretur. Id enim haud obſcure colligas ex iis, quæ de Ottonis Conſtantienſis Epiſcopi conſtitutione memorat Lambertus Schafnaburgenſis. Sed non eſt, quod furorem illorum hominum heic multis exagitemus. Quantus ſanè illorum furor fuerit vel inde pateat, quod Viennenſe Concilium, ex Germanicis Epiſcopis conflatum, per Guidonem Archiepiſcopum non dubitaverit hiſce verbis uti ad ipſum

Paſcha-

Paſchalem Papam: *Si verò, quod minime credimus, aliam viam aggredi cœperitis, & noſtras aſſertiones paternas roborare nolueritis, propitius ſit vobis Deus, quia nos a veſtra ſubjectione & obedientia repelletis.*

LVI. Hiſce diuturnis autem motibus Henricum Quintum pactis quibuſdam cum Paſchale initis finem imponere voluiſſe, paulo ante dictum. Ea verò pacta Paſchalis altero ſtatim anno in Concilio Lateranenſi, contrà datam fidem, quam ſumto corpore & ſanguine Domini ſanxerat, impie ſpernens, reſcidit, & Imperatorem anathemate percuſſit. Ejus exemplum ſecutus Calliſtus II, priorum Pontificum decreta in Concilio Rhemenſi anno MCXX & excommunicationem repetiit; cum monitus à Pontifice Imperator, ut renunciaret inveſtituris, reſpondiſſet: *Nihil in his ſe prætermiſſurum, quod ſui juris eſſet, ſuorumque ſibi contulit antiqua conſuetudo progenitorum.* Tandem tamen Imperator, victus, non tam Pontificum, quam Principum Imperii multorum pertinaciâ, excitatis nempe contra illum in Germania alibiq; graviſſimis Principum rebellionibus, per Papalia aliquot fulmina & Epiſcoporum diras (de quibus poſt alios legi etiam meretur *Helmoldus l. 1. Chron. Slavor. cap. 40*) ceſſit anno MCXXII in Comitiis VVormatienſibus Regio jure conſtituendi Epiſcopos, quod per tot annos ſummo labore & conſtantia non ſolum parens ipſius, ſed & ipſe propugnaverat. Integrum Diploma Cæſareum præter alios recitat in Notis ad Hedæ Vltrajectinam Hiſtoriam pag. 154 Arnoldus Buchelius. Cum ad hoc negotium pertinent verba, ibi ita ſonant. *Ego Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus, pro amore Dei & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ & domini Papæ Calixti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo & SS. Dei Apoſtolis Petro & Paulo Sanctæq; Catholicæ Eccleſiæ* *Baron. anno 1119.*

omnem inveſtituram per annulum & baculum ; concedo in omnibus Eccleſiis , quæ in Regno vel Imperio meo ſunt canonicam fieri electionem & liberam conſecrationem.

LVII Vt autem conſtet, quid reliquum Imperatori manſerit, apponam quoq; verba Calixti Pontificis. *Concedo,* inquit ille, *electiones Epiſcoporum & Abbatum Teutonici Regni, qui ad Regnum pertinent, in præſentiâ tua* Imperatoris *fieri abſq; Simoniâ & aliqua violentiâ: ut ſi qua inter partes diſcordia emerſerit , Metropolitani & Provincialium conſilio vel judicio, ſaniori parti aſſenſum & auxilium præbeas. Electus autem Regalia per ſceptrum à te recipiat.* Addit Ottho Friſingenſis , id quoque cautum eſſe : *ne electi, tam Ciſalpini quàm Tranſalpini, prius ordinentur Epiſcopi , quàm Regalia de manu ejus per ſceptrum ſuſcipiant* Mireris iterum meritò, à Platina in vita Calixti II Papæ tantæ rei nullam eſſe mentionem factam. Non tacuit tamen illam in Additionibus ſuis Onuphrius Panvinius. Cujus hæc ſunt verba : *Sub Calliſto II inter Imperium & Sacerdotium inſignis illa pax & concordia facta eſt : anno plus minus quinquageſimo, ex quo inter Gregorium VII & Henricum IIII diſcordia ingens ob ſacerdotiorũ collationem excitata fuerat. In qua Epiſcoporum & Abbatum electiones, quæ ad Imperatorem & Reges hactenus pertinuerant , Clero & Monachis reſtitutæ ſunt.* Ex iis autem quæ diximus patet , factum deniq; arcano Dei conſilio , ut quò novum Papale imperium exſurgeret in Eccleſiæ ſervitutem , infelice admodum fine diuturni illi motus deniq; finiti fuerint. Non enim accedere poſſumus Marco Antonio de Dominis , qui in eâ eſt ſententiâ , quòd parum Calixtus II hiſce pactis cum Henrico V inſtis obtinuerit. Aliud ſane docent res illius temporis geſtæ Non auſi enim ſunt ex eo tempore Imperatores eos quos vellent Epiſcopos conſtituere. Electio omnis

Lib 7. c. 16.

Li. 6. c. 7.

mnis fuit, initiò quidem, penes ſolum Clerum & Populum. Nullo præterea opus Imperatoris fuit conſenſu. Receſſit ex aulâ omnis illa beneficia Eccleſiaſtica expectantium turba. Adeoq; ſicuti Imperatores magnam ſuæ poteſtatis jam antehac fecerant jacturam, tot Comitatibus & Ducatibus Imperii, vel pure hæreditariis factis, vel in feudum hæreditarium datis, ita non minor hæc jactura fuit, jure conſtituendorum Epiſcoporum abdicato. Omnes utique ſapientiores agnoſcunt, magnam hoc ipſo Imperatorem & autoritatis ſuæ & roboris Imperii feciſſe jacturam. Imò Onuphrium Panvinium & Paulum Æmylium, dimidium poteſtatis Cæſareæ amiſſum fuiſſe cenſentes, jam audivimus.

LIIX Obſervatu autem dignum eſt, etiam Henrici quinti ſucceſſores, non omnino vel ſic ſtatim acquieviſſe. Lotharius ſanè Saxo Imperator, Henrici V proximus in Imperio ſucceſſor, cum tantam jacturam æquo animo ferre non poſſet, etſi religioſus eſſet Princeps & Romanæ ſedis ſi quiſquam alius obſervantiſſimus (quo nomine eum plurimùm commendat Baronius) Epiſcoporum tamen inveſtituras ſibi reſtitui, ab Innocentio Papa Leodii importune inſtitit: ut tradit ex Bernhardo Bonæ vallis Baronius Anno MCXXXI. Paulò aliter Otto Friſingenſis lib. VII cap. XIIX, *Expoſuit Lotharius modeſte in quantum Regnum amore Eccleſiarum attenuatum, inveſtituram Epiſcoporum quanto ſibi diſpendio remiſerit.* Neque verò ſatis conſtat, quid futurum fuiſſet, ſi optimo illi Imperatori diuturnior vita contigiſſet; *utpote cujus virtute & induſtriâ*, ut Otto Friſingenſis ſcribit, *niſi morte præventus fuiſſet, corona Imperii ad priſtinam dignitatem reduci potuiſſet.* Qualem ſe enim præſtiterit in negotio Caſſinenſis Abbatis, cum jura Imperii infringere moliretur Innocentius, tradunt ex Petri Diaconi Chronico Caſſinenſi Baronius *Anno MCXXXVII* &

 Chri-

Chriſtophorus Lehmannus *in Chronico Spirenſi*, & Goldaſtus *tomo III Conſtit. Imperial.* In hæc utique, cum reluctarentur Innocentius & Cardinales, qui præſentes cum eo erant, prorupit verba: *Si me meâ ſpe fruſtratum eſſe vultis, proteſtor hodie, ſchiſma inter me & Pontificem futurum, & promitto ex obſequentiſſimo infeſtiſſimum fore inimicum.* Lotharii ſucceſſor Conradus in diplomate ac privilegio Vltrajectino Epiſcopatui anno 1145 conceſſo, quod recitat VVilhelmus Heda pag. 164, non dubitavit ita loqui: *Jus eligendi & inſtituendi Epiſcopum in ipſa Eccleſia ad Reges Romanos & Imperatores pertinere dinoſcitur, & ab anteceſſoribus noſtris Regibus & Imperatoribus usq; ad noſtra tempora eſt devolutum & deductum.* Hæc verba autem ſatis apertè forſitan ſignificant, etiam tunc veterum Regum jura Vltrajecti hactenus ſibi conſtitiſſe. Nolo aliis ſimilibus adferendis nunc immorari.

LIX. AB EO AVTEM TEMPORE Electio Epiſcoporum Imperii, ſaltim plærorumq; & aliquantisper, penes Clerum & populum fuit: quemadmodum ſcilicet inter Henricum V & Calixtum Papam convenerat. Canonici enim, vel Capitulares Eccleſiarũ Cathedralium (qui injuſtè Clericis ac cenſiti, autoritatis maximæ, jam á tempore Ottonis II, teſte Trithemio, abjectâ regulari vitâ, ſplendidè vivebant) electionem ſibi poſt demum vindicare cœperunt: idq; haud dubiè conniven- *In Chron. Hirſaug. anno 977.* te Pontifice, imo præeunte, Romæ exemplo Cardinalium, quod Papa è re ſuâ eſſe exiſtimaverit, in hominum paucorum & inbellium ſibiq; obnoxiorum manu omnem eligendi poteſtatem ſitam eſſe. Verum id quando & quare cæperit, paulo pòſt patebit. Quis fructus autem ad rempublicam & Eccleſiam redierit, ademto Imperatoribus, eo quod tot ſeculis obtinuerant, jure, paucis doceat nos Crantzius in *Metropol. lib. VI cap. XII. Magdeburgenſis Eccleſia, uſ-*

qua

cuit, *ad initium Regni Lotharii tumultuabatur ſuper Epiſcopis. Tres enim de ejus Pontificatu contenderunt. Adeo intumuerunt Canonici jam liberam electionem nacti. Sperabat ſibi quiſq; & amicis, & infinita ambitione contenderant pro Epiſcopatu* Hæc Crantzius. Apertum quoque ex eo tempore Pontificibus eſt oſtium, jura Eccleſiarum omnia invadendi. Imperatorum verò ex eo non ſanè magna ſuperfuit poteſtas: niſi quid ſuâ autoritate apud Populum & Clerum, poterant autem eâ tum quidem temporis alicubi pluſculum, perfeciſſent. Neque enim Imperatoris ſeu petitioni ſeu commendationi refragari ſemper licebat. Etſi in fraudem cum Calixto initi pacti (ſi verum fas eſt fateri) reapſe id cederet. Gobelinus Perſona *in Coſmodromio Æt. VI cap. LX* nobis ſuppeditat hujus rei exemplum. *Friderico*, inquit, *Archiepiſcopo Colonienſi in Lombardia defuncto, Imperator promovit Reinoldum Cancellarium ſuum ad Epiſcopatum Colonienſem, quoniam ſcripſit Eccleſiæ pro eo: & ſic ad preces ejus electus eſt.* Operam tamen maturè dederunt Pontifices, ne Imperatorum in hac re autoritas nimis iterùm invaleſceret. Quod igitur Otto Halberſtadenſis *Epiſcopus pro Eccleſiâ Lothario eſſet blanditus*, (ſunt hæc verba Crantzii.) *à ſummo Pontifice Honorio deponitur*; tamen in Concilio Leodienſi, interveniente Lothario, ab Innocentio reſtitutus eſt. Addit Crantzius. *Fervebat tum nova conſtitutio ſuper Eccleſiis de manu Laica non recipiendis, factâ compoſitione inter Calixtum & Henricum Imperatorem: & quoniam res nova fuit, ſanciendæ erat inflictione pœnæ, ut horrerent contemtores & in viam redirent.* *Metropol. l. 6. cap. XI.*

LX. RELIQVVM autem fortè adhuc erat Imperatoribus, ex conventione etiam cum Calixto initâ, ut diſſenſione ortâ is Epiſcopus eſſet cui Imperator acceſſiſſet.

Otto

Otto Friſingenſis diſertè. *Tradit Curia, & ab Eccleſia eo tempore, quo ſub Henrico V de inveſtitur Epiſcoporum deciſa fuit inter Regnum & Sacerdotium controverſia, ſibi conceſſum autumat, obeuntibus Epiſcopis, ſi forte in eligendo partes fiant, Principis arbitrii eſſe Epiſcopum, quem voluerit, ex Primatum ſuorum conſilio ponere: nec electum aliquem antè conſecrandum, quàm ab ipſius manu Regalia per ſceptrum ſuſcipiat.* Legi eadem de re merentur quæ canit Guntherus *l.* I. *Ligurini v.*564 *ſeqq.* Res ipſa autem patet facile, ſi accuratè dijudicentur, quæ jam tum allata ſunt n. 56 verba pacti inter Henricum & Papam initi. Et verò Lotharius ſciſſa propter Epiſcopi electionem Magdeburgenſi Eccleſiâ, Epiſcopum ei dedit Norbertum, ut Crantzius in *Metrop. lib. VI cap* XII & Trithemius *in Chronico Hirſaugienſi Anno* MCXXVII tradunt. Eandem viam inſtitit Conradus III, cum Trajectenſis Eccleſia in partes diſtracta eſſet, ut Otto Friſingenſis teſtis eſt. Luculentum verò admodum hujus ſuæ autoritatis exemplum initio ſtatim imperii præbuit Fridericus I. *Cum* enim *in Eccleſia Magdeburgenſi*, verba ſunt Ottonis Friſingenſis, *alii ejusdem Eccleſiæ Præpoſitum Gerardum, alii Decanum eligerent, diviſis hinc inde perſonis Regem adhuc in Saxoniâ morantem adire diſponunt. Quos dum multis modis ad unitatem & vinculum pacis Princeps reducere ſatageret, ac proficere non valeret, alteri parti, i.e. Decano cum ſuis, perſuaſit, ut Guicmannum Zicenſem Epiſcopum, virum adhuc juvenem ſed nobilem eligerent, eiq; accerſito Regalia ejuſdem Eccleſiæ conceſſit.* Nonnihil aliter hanc rem narrat Guntherus l. I. 8. verſ. 562 ita canens

Tertius invitis datus eſt à Principe paſtor,
Tandem exſufflato qui poſcebatur utroq;.

Eugenius Papa quidem hanc electionem ægrè admodum tulit: non tam adeò autem, quod Principis autoritate

De Geſt. Frid. l. 2. *cap.* 6.

Lib. I. *c.* 62 *&* 63.

Lib. 2 *c.* 6.

ritate facta, ſed quod translationes Epiſcoporum divinæ legis oraculo vetitas eſſe (etſi falſò) diceret. Vt conſtat ex ejus literis, quas ſuæ hiſtoriæ idem Friſingenſis inſeruit. *Lib. c. 8.* Nihilominus tamen obtinuit Fridericus quod volebat. Miſſis enim ad Anaſtaſium cum Guicmanno nuntiis, *non ſolùm facti ſui ratihabitionem, ſed etiam pallium obtinere eum fecit; non ſine quorundam ſcandalo, qui ne unquam id fieret, immobiliter fixum Romanos tenere, à proprio ipſorum ore audierant.* *Lib. 2. c 10.* Eâdem autoritate Fridericus Imp. dein ſæpiùs diſſidia Eccleſiarum, ſciſſis in contraria ſtudiis, ſopivit. Exempla ſuppeditant Otto Friſingenſis *lib. II cap. xxxI*, Albertus Stadenſis *Anno MCLXIIX*, Trithemius in *Chronico Hirſaugienſi Anno MCLVII, & MCLXII.* Baronius quoque ipſe *anno MCXXCV* ex Arnoldo Lubecenſi narrat: Cum duo in Eccleſiâ Treverenſi eſſent electi, Volcmarus & Rudolphus, Imperator audiens, *quid factum fuerat*, (ſunt hæc verba Arnoldi,) *propter diſſenſionem electionis inveſtituram dedit Rudolpho.* Volcmarus provocavit ad Pontificem, nec is ei defuit, ſed irrito conatu, quum Imp. quicquid demum moliretur Pontifex in ſententiâ perſiſteret. Gotfridus quoque Monachus S. Pantaleonis notavit *pag. 240*: Fridericus illum Imperatorem dediſſe *arbitrio ſuo* Moguntinis Epiſcopos; primò Conradum deinde Chriſtianum. Hoc mortuo, Conradum anno 1181 ab Imperatore recepiſſe Epiſcopatum, memorat *pag.* 249. Ibidem narrat anno 1184, diſſidio in electione Treverenſis Epiſcopi orta, alteri faviſſe Imperatorem; ut &, qua vi jura ſua invito Papa qui alteri favebat defenderit Imperator anno 86, 87, & ſequentibus aliquot. Idem *pag. 245.* teſtatur, anno 73 Monaſterienſi Epiſcopo defuncto Fridericum Imperatorem alium ſubſtituiſſe. Quid? quod cum diſſidentibus in electione Romani Pontificis Cardinalibus, à quibuſdam Octavianus, Victor poſtea dictus, ab

drianus autem, ne finis ullus litium eſſet, iterum his iniquis poſtulatis magnanimum Principem, & cui jam aliquoties ante bilem moverat, aggreſſus eſt. Id autem poſtulare auſus fuit, quod & naturali obligationi, & perpetuæ complurium ſeculorum, ex quo nempe feudalia Regni bona Epiſcopis fuerant conceſſa, conſuetudini penitus erat adverſum. Neque enim ſolùm in Germaniâ & Galliâ perpetuâ conſuetudine erat receptum, ut Epiſcopi ſuis Regibus homagium præſtarent, ſed in ipſâ etiam Italiâ. Baronius ipſe juramentum, quo Epiſcopi & Comites Italiæ Carolo Calvo Imperatori ſe obſtrinxerunt, inſeruit *Tomo XI, Anno DCCCLXXVI.* Prudenter igitur reſpondit Fridericus Imperator: *Epiſcoporum Italiæ ego quidem non affecto hominium; ſi tamen & eos de noſtris regalibus nihil delectat habere. Qui ſi gratanter audierint à Romano Præſule: Quid tibi & Regni? Conſequenter quoque eos ab Imperatore non pigeat audire: Quid tibi & poſſeſſioni?*

LXII. Quomodo verò in univerſum ſe hâc ætate habuerit Germaniæ Epiſcoporum conſtitutio, non aliunde quis meliùs cognoſcat, quàm ex ipſius Imperatoris verbis, & quidem ſopito jam, quod ipſi fuerat cum Alexandro III, certamine. Vrbanus nempe III, cui iterum cum imperatore propter decimas, advocatiam Eccleſiarum, & alia quædam graves interceſſerunt inimicitiæ, cum iniquum eſſe diceret, defuncto Epiſcopo quopiam, bona ejus mobilia & proventus illius anni mortualis ab Imperatoribus auferri, conſuluit hâc de re Fridericus Philippum Colonienſem Epiſcopum, & ita fuit locutus, ut tradit Arnoldus Lubecenſis in Chronicis Sclavorum lib. III, cap. XVII: *In veritate compertum habemus*, inquit Imperator, *quod prædeceſſores noſtri, antiqui Imperatores,*

hoc juris habuerunt, ut defunctis Epiſcopis, inveſtituram pontificalem ſine alicujus prajudicio probatis perſonis liberrimè locaverint. Sed quia hoc ipſorum voluntate mutatum invenimus, ratum habemus. Hanc verò minimam ſcintillam juris noſtri, quam invenimus, nequaquam mutari permittimus. Sufficiat vobis electio Epiſcoporum, quam vos canonicè fieri dicitis. Sciatis tamen quia, dum pro voluntate Imperatoris iſta diſpenſarentur, plures juſti ſunt inventi ſacerdotes, quàm hoc tempore, dum per electionem inthronizantur. Ipſi enim ſecundum vita meritum ſacerdotes inveſtiebant, nunc autem per electionem, non ſecundum Deum, ſed ſecundum favorem eliguntur. Hæc Fridericus, ſtrenuus jurium Imperii defenſor. Vbi obiter meretur adverti, jus illud Regium circà bona decedentium Epiſcoporum & Abbatum, qui dum viverent feuda Imperialia poſſederant, manſiſſe integrum, donec Otto IV & Fridericus II hoc etiam jus pietate ducti ceſſerunt: at verò Papas Romanos *Spolia* iſta (ut ipſi appellabant) ab Vrbano V ad Concilium uſq; Baſileenſe tanquam vultures ſibi rapere non dubitaviſſe. Quam rem etiam hoc loco nonnihil proſequeremur, niſi alienior eſſet, & niſi verſaretur in medio hujus argumenti libellus ſingularis Henrici Meibomii.

LXIII. Vt autem ad Fridericum Primum Imperatorem redeamus; vere Otto Friſingenſis ſcripſit: *Lib. 2. c. 10* *Principis autboritatem non ſolùm in ſecularibus, ſed & in Eccleſiaſticis negotiis plurimùm creviſſe*, ubi, quæ Imperatori fuerat cum Eugenio Papa de Guicmanno Magdeburgenſi electo Archiepiſcopo controverſia ex voto cecidiſſet. Dabant nimirum operam Clerus & populus, ut eum Epiſcopum eligerent, quem Principi gratum eſſe ſcirent. Hinc fortè eſt, quod Cranzius ait, Imperatorem *Metrop. l. 7. cap. 21.* Godſchalco de Mimigardevordenſi Eccleſiâ providiſſe. Fortè inquam: paulò enim ante audivimus eadem cum

Crant

Crantzio narrantte & Gotfridum Pantalionis monachum. Sed & idem Crantzius ita ἁπλῶς loquitur cap. XII. *Valuit tum maximè controverſia inter Sacerdotium & Regnum, quod Epiſcopatibus provideret Fridericus, jus patrium revocaret. Pontifex proximis pactis, & divino juri pariter & humano inhærebat: eſſe indignum, Principem laicum diſponere de rebus Eccleſiaſticis.* Sed hæc, ſi ex allatis paulò antè Friderici verbis judicium ferendum eſt, non habeantur omnino certa, niſi quid in ſchiſmate fortaſſe ſecum factum ſit. Quo fervente, confirmavit quoque Imperator, ſi Goldaſto fides, conſuetudines Regias Angliæ regni, in conventu Clarendonienſi ſancitas, quas recitant Goldaſtus *Tomo ult. Conſt. Imper.* & Baronius *Anno MCLXIV.* Harum conſuetudinum XII eſt: *Cum vacaverit Archiepiſcopatus, vel Epiſcopatus, vel Abbatia, vel Prioratus de dominio Regis, debet eſſe in manu ejus, & inde percipiant omnes reditus & exitus ſicut dominicos. Et cum ventum fuerit ad conſulendum Eccleſiæ, debet Dominus Rex mandare potiores perſonas Eccleſiæ, & in cappella debet fieri electio aſſenſu Regis & conſilio perſonarum Regni, quas ad hoc faciendum vocaverit. Et ibidem facient electus homagium & fidelitatem Regi, ſicut legio domino ſuo, de vita & membris, & honore ſuo terreno; ſalvo Ordine ſuo, priuſquam ſit conſecratus.* Sed hæc fortaſſis, ceu jam tum diximus, prout cuique libuerit, habeantur minùs certa.

LXIV. Id admiratione dignum, Henricum Leonem Saxonum Ducem; quo nemo quiſquam ejus ordinis fuit tunc potentior, jus inveſtituræ in ſui territorii Epiſcopatibus uſurpari auſum, quod non licebat Imperatori in Imperio. Id verò apertè ex Alberto Stadenſi, Helmoldo Butzovienſi & Alberto Crantzio liquet. *Vocatis*, inquit Albertus Stadenſis Anno MCLXIII *Epiſcopis, Geroldo Aldenburgen-*

burgenſe, *Evermodo Raciſburgenſe*, *Bernone Magnopolitano*, has enim Eccleſias Henricus Leo vel fundarat, vel certè dotarat,) *locutus eſt eis, ut ab ipſo reciperent ſuas dignitates, & fecerunt*, teſte Alberto Stadenſe. *Henricus Leo facile tum impetravit ab Epiſcopis*, ait Crantzius, *quos conſtituit, ut ab eo paterentur ſe inveſtiri, quippe, qui nihil omnino niſi de illius manibus habebant.* VVicelinus quoque Altenburgenſis Epiſcopus, diu reluctatus, tandem *fecit invitus, quod ſciebat non licere*, ait idem Cranzius. Quo VVicelino mortuo, cum Geroldum ſubſtituiſſet Henricus Leo, nec eum Bremenſis Archiepiſcopus conſecrare vellet, quia *quaſi per Ducem & Duciſſam electus erat*, inquit Abbas Stadenſis; Romam eum ſecum duxit, & perfecit, ut ab Adriano IV, etſi is quoque id, præmonitus à Bremenſi initiò renuiſſet, conſecraretur. Quin tanta fuit, teſte Helmoldo, in electione illorum Epiſcoporum Henrici Leonis autoritas, ut; Geroldo mortuo, Eccleſia aliquandiu vacaverit, quod Ducis, qui in Italiâ militabat, expectaretur ſententia. VERUM de hiſce fortaſſe plus ſatis a nobis eſt dictum. Enim verò vel ita omnibus jam patet, quomodo hoc etiam tempore electio Epiſcoporum ſe habuerit, & qua ratione etiam jura illa Regia, quæ reliqua ſupererant, generoſi illi cum Imperator tum Dux propugnaverint.

Metrop. lib v. cap 2. v 8.

LXV. DEINCEPS AUTEM IN PEIUS omnia ruere cœperunt. Acciſa planè eſt Imperatorum autoritas: ademtum populo jus ſuffragii in electionibus Epiſcopalibus: libertas Eccleſiarum Pontificum tyrannide recenter enata oppreſſa eſt. Sic jura omnia pro arbitrio Papæ ſerviunt. Quod decretis priores Pontifices ſanxerant ut Epiſcopus à Clero & populo eligatur! Honorius III tamen, quia ipſi id non amplius videretur conſultum, reſcidit illa decreta, &

corrup-

corruptelam vocare auſus fuit. Vt Eccleſiarum libertatem aſſererent, ab Imperatoribus & Regibus, ut ajebant, oppreſſam, totus Occidens commovendus fuerat, multæque hominum mactandæ myriades. Nunc ipſi in jura priſca & vera Eccleſiarum involant; libertatem omnem Eccleſiis eripiunt; adeo, ut vix quiſquam paulò prudentior & cùm reipublicæ tùm Eccleſiæ ſalutis ſtudioſior ſit, qui non in illam Curiæ Romanæ intolerabilem tyrannidem invehatur. Occaſionem autem bonam præbuerunt turbandis ita omnibus, feralia Germaniæ Principum diſſidia, diſtractis in Imperatorum electione ſtudiis plerumq; enata, & ſedulâ curâ à Papis alta & fota. Obſervavit id jam olim etiam Vrſpergenſis Abbas, memoravitq; ubi de contentionibus Philippi & Ottonis IV agit. Sub Friderico II, cum quo Imperatoria majeſtas tantum non tota concidit, Eccleſiarum jura invadere ſolito etiam inverecundiùs haud erubuerunt Pontifices. Non enim ſolùm, ſi qua diſſenſio orta eſſet, in Curiâ Romanâ cauſam agi voluerunt, ſed etiam in conſultis iis, penes quos eligendi erat poteſtas, obtrudere Eccleſiis Epiſcopos audere cœperunt. Conſecratio porrò & Confirmatio penes Metropolitanos hactenus quidem fuerat, at verò & eam Metropolitanis illam ereptum ſibiq; aſſertum deinceps iverunt. Crantzius Proviſionum & Reſervationum Papalium accerrimus hoſtis, earum initium in hæc fere tempora refert *Raceburgenſis* Eccleſia, inquit, *vacabat, & ſe ingerebat non electus à fratribus, Lambertus quidam Hamburgenſis & Bremenſis canonicus, qui* Eccleſiam *alienigena à ſummo Pontifice ad ſe nihil pertinentem impetravit: Vide in quantum licentia tum proceſſit, poſt Imperatorum destitutionem, Romana Eccleſia, ut ſe inciperet intromittere.de.* Eccleſiis *vacantibus. Solebant Imperatores de Ro-*

manâi

mana aliquando diſponere Eccleſiâ ; perventum eſt eò, ut de ſolis Germaniæ Eccleſiis & Abbatiis diſponerent, idq́ extortum eſt manibus eorum tempore Henrici V Imperatoris. Tum Eccleſiis provenit libera electio. In eam quoq́ Papa manus injecit per hac tempora : & crevit illa facultas in immenſum. Vt ſatis ſit per Germaniam res tolerabilis, ſed in Franciâ & Angliâ immoderata. Cæterum etiam ipſe Fridericus II Imperator non ſatis ſibi videtur ab his Pontificem molitionibus caviſſe ; latâ nempe initio imperii, (ad imitationem tamen aliqua ex parte Ottonis IV) illâ Aureâ bullâ de libertate Eccleſiaſticâ, quâ non ſolum jure ſuo, quod antiquâ conſuetudine in bona decedentium prælatorum, & vacantium Eccleſiarum, (quod tamen vel ſolo Annatarum nomine facile defendas) Imperatores habebant, ceſſit, id quod facturum ſeſe jam promiſerat Otto, ſed etiam appellationes ad Sedem Apoſtolicam liberè fieri, & electiones prælatorum *Canonicè* inſtitui permiſit : *quatenus is viduata præficiatur Eccleſia, quem totum Capitulum vel major & ſanior ipſius pars duxerit eligendum.* Operæ fuerit pretium legere, quæ de illâ totâ Friderici II Conſtitutione diſputavit Goldaſtus *Replicationis pro Imperio cap. 37.* Vt autem nos maneamus in argumento noſtro de electione Epiſcoporum ; in hac Friderici conſtitutione *Canonica electio* dicta eſt, quæ fit à Capitulo ; cùm priorum Pontificum ætate non alia eſſet Canonica electio, quàm quæ fiebat à Clero & Plebe, cujus decretum inde *canonicum* dictum. Alia itaq; hac ætate *canonica electio* cœpit, quàm fuit olim. Quod patebit quam clariſſime, ſi quis eam quæ hac ætate cum illâ, quæ paucis quidem ſed accuratè deſcribitur in Concilio Sueſſionenſi apud S. Medardum habito, quando de Hincmari Rhemenſis Archiepiſcopi canonicâ electione & ordinatione his eſſet, conferat,

LXVI For-

LXV. Forte haud abs re fuerit ſi de novo iſthoc *Canonicæ electionis* genere nonnihil accuratius quædam doceantur. Poſtulat imò id res ipſa: quandoquidem ab aliquod ſeculis hæc ſola electionis ratio habita fuit legitima & juſta. Initiò igitur quemadmodum cœperit, deinceps an republicæ & Eccleſiæ inſtitutis aut uſibus ſit commoda, inquiremus. Primum quod attinet, videtur illa electionis Epiſcopalis forma apud nos cœpiſſe exemplo electionis Papalis. Et verò cum Romæ vel Imperator hactenus, vel Clerus & Populus omnis, Pàpas elegiſſent, primùm Populus ab electionibus Papalibus arceri cœpit. Eam rem ita memoravit ad Innocentium II Platinæ Onuphrius *in Additionibus*, cum narraſſet quemadmodum Papâ iſtoc ſedente per Populi tumultum Romæ novum regimen fuiſſet inſtitutum. *In quibus controverſiis Populus Romanus, quod Pontifici rebellis eſſet, anathemate notatus, tunc primùm a Pontificiis comitiis excluſus eſt, & ad ſolos Cardinales Pontificis electio paulatim, Cleri etiam primoribus omninò excluſis vel in cardinalium collegio cooptatis, reducta. Primus porrò ſine ullo Populi interventu Papa creatus eſt, mortuo Innocentio ſecundo, Cœleſtinus ſecundus.* Platina tamen Cœleſtinum hunc *omnium conſenſu creatum eſſe*, ſcripſerat. Poſt Populum verò, etiam Clerum Alexandro III Pontifice remotum eſſe, hiſce verbis idem Onuphrius narrat. *Ex cujus rei* (ſchiſmatis nempe) *occaſione, Clero omni & Populo a Pontificis electione excluſis, ea ad Carninales ſolos tunc primum reducta eſt: lexq; ſalutaris de duobus tertiis ſuffragiorum Cardinalium, ad evitanda impoſterum ſchiſmata, ad Alexandro iſto tertio in Concilio generali Lateranenſi facta eſt anno Domini MCLXXIX. Juxta cujus conſtitutionis formam, ſcrutinii ratione Lucius Papa III primus creatus eſt, ut ex ejuſdem Pontificis diplomate, quod apud me eſt, liquet.* Sunt

qui referant, quos inter eſt & Salmaſius, jam ante Cœleſtinum a ſolis Cardinalibus creatum fuiſſe Gelaſium Secundum. Et verò ſi Platinam videamus ità factum videtur. Etenim de Paſchali II Gelaſii proximo anteceſſore dixerat quidem, illum *expectante populo, eligente clero, collaudante Cardinalium ſenatu, Pontificium munus ſuſcepiſſe.* Nihil autem tale narravit de Gelaſio iſthoc, ſed hunc a Cardinalibus omnibus, in monaſterio ad Palladium congregatis, uno omnium conſenſu Pontificem creatum eſſe. Sed cum narret idem, a Fregepanibus mox tumultum eſſe excitatum: quo ſopito, comitante Clero Populoq; Romano Pontificem in Lateranum eſſe ductum, ibiq; de more coranatum, fortaſſis hoc tantum voluit, initiò à Cardinalibus ſolis creatum Gelaſium, mox autem Cleri quoq; & Populi conſenſum acceſſiſſe. Quicquid verò Platina voluerit, poteſt utiq; ſecurè Onuphrio, ut harum rerum peritiſſimo & curioſiſſimo indagatori, fides haberi. Verùm ad Romanum illum morem videtur, poſt illam ab Henrico V Imperatore quidem juris ceſſionem, paulatim in Germania quoq; ad ſolos Capitulares Canonicos cathedralium Eccleſiarum eligendi Epiſcopos facultatem perveniſſe. Reperitur in hiſtoria Epiſcoporum Vltrajectinorum Wilhelmi Hedæ, conſtitutio Conradi III Imperatoris, facta anno 1451; qua jus eligendi Epiſcopum hactenus Regibus competens concedit ſolis & nullis aliis: *Præpoſito Decano ac Capitulo Eccleſiæ Trajectenſis, & Præpoſito Decano & Capitulo Eccleſiæ S. Bonifacii ejuſdem loci, conjunctis.* Quam conſtitutionem confirmavit Eugenius Papa tertius anno Pontificatus primo. Alibi tamen tunc temporis longe aliud obtinuiſſe, & nobiliores quoq; laicos ad electionem admiſſos, docere nos poteſt vel unum illud de Colonienſi Archiepiſcopo Brunone III, Henrico VI Imperitante, quod narratur in Chronico Colonienſi *fol.* 178. Et verò

Colo-

Coloniæ ne quidẽ ſeculo tertio decimo finiente, Laicos fuiſſe omninò excluſos, docet illud, quod de Wigboldi Archiepiſcopi electione, quæ contigit anno 1298, hiſce verbis idem illud Colonienſe Chronicon teſtatur. He was vor Domdechen zo Cöllen, ind war gekoren zo Nuiß an das Biſchoffdom / allermeiſt van den Edlen ind van der Ritterſchafft des Stiffts van Cöllen. Idem ex hiſtoriis aliorum Germaniæ Epiſcopatuum nunc demonſtrare facillimum fuerit, niſi nulla neceſſitas probationem exigeret. At verò circa ipſa Seculi tertiidecimi initia Honorium III Papam ignominioſis verbis Populum ubivis ab electionibus conatum abigere, liquet ex *cap. 56.* ſive *Meſſana*, *Decretalium tit. de electione & electi poteſtate.* Nec enim dubitavit ſcribere: *perpetuo prohibemus ne per Laicos cum Canonicis Pontificis fiat electio. Quæ ſi forte præſumpta fuerit, nullam obtineat firmitatem. Non obſtante contraria conſuetudine, quæ dici debet potius corruptela.* Eodem planè tempore Imperator Fridericus id nominis Secundus, quem Honorius ille Papa contra Ottonem IV legitimus Imperatorem Coronâ Imperiali inſigniuerat, conſtitutione edita de libertatibus Eccleſiarum, juſſit uti Capitulares ſive omnes ſive ſaltim pars eorum ſanior Epiſcoporum eligendorum habeant poteſtatem. Quod indubiè factum eſt, ut reliqua omnia, inſtinctu, imo ex præſcripto Papæ. Quià illo ipſo momento, quo coronatus ab Honorio iſthoc tertio fuit Fridericus II, hæc de *libertate Eccleſiarum* conſtitutio, Friderice illi, Papali quaſi autoritate, quo coronæ fieret compos contra Ottonem quartum, Imperii jurium & commodorum plane adhuc ignaro, fuit extorta. Fortaſſis autem tunc quidem temporis illa Friderici conſtitutio, ambiguo ſcilicet adhuc ejus Imperio, in exiguo fuit habita pondere. Longè major autem indu-

bic acceſſit vis, poſtquam Honorii III capitulum ſingulare *Meſſana*, promulgatis Decretalibus ex Cathedra tunc temporis omnibus rremendâ , Gregorius Nonus Papa legem perpetuam & communem eſſe juſſit, titulo *de Electione & Electi poteſtate*: præſertim quia pridem ad ſolos Cardinales Romani Papæ electio jam eſſet translata. Ne tamen tunc quidem ſtatim hoc ita fuiſſe ſtrictè obſervatum paſſim terrarum, per utiq; eſt veroſimile. Fuerunt enim tunc tempora turbarum & tumultuum plena, nec ubivis ſtatim innotuit illa Pontificia conſtitutio. Perinde atq; Imperatori lexa iiſdem de cauſis non fuit illico recepta in plenam obſervantiam. Et verò liquidò id patet ex iis quæ de Wigboldi Colonienſis Archiepiſcopi electione paulò ante narravimus. Verò ſimile ſanè eſt, novum illud eligendi jus Capitularium Cathedralium Collegii, in omni Germaniâ quidem, in uſum deniq; ſeculo quartodecimo perveniſſe.

LXVI. Quod ſi ſpectemus porrò illius electionis juſtitiam, utiq; manifeſtiſſimum eſt, toto cœlo illam differre ab iis electionibus, quæ antiquis Canonibus fuerunt approbatæ: ac proinde neutiquam mereri *Canonicam* appellari, quaſi antiquis Canonibus ſit conveniens. Demonſtravimus ſcilicet, olim etiam Populum fuiſſe more & lege Eccleſiæ ad electionem admiſſum, tantùm non ubivis. Et tamen hodiè Decretales Paparum non dubitant Populi illud jus *corruptelæ* convitio proſcindere. Præter Populum porrò omnis Clerus ubiq; ſolitus fuit eligere. Hoc novo autem ritu etiã verus Clerus omnis ab electione ſemotus eſt. Vt enim Cathedrales Canonicos dixeris Clericorum claſſi adſcribendos; non tamen niſi exigua pars illi fuerint ſacri ordinis: atq; ita electio fuerit penes minimã Cleri partem. Quod antiquis canonibus adverſatur. Cathedrales autem

illos

illos reapſe eſſe clericos, inquantum quidem ſunt Canonici Cathedrales, procul eſt à vero. Vtique ſemetipſos appellant *Seculares Canonicos*: adeoq; profitentur, ſe Clericos non eſſe. Nec enim *Secularis* eſt clericus. Cum olim porrò Eccleſia varios ordines numeraverit Cleri, Cathredrales iſti ad nullam eorum claſſem pertinent. Audiunt, fateor, eorum nonnulli, Preſbyteri, Diaconi, Cantores: ſæpe autem non niſi inani titulo. Quod uſque adeò in Germania inolevit, ut pridem quamplures Archiepiſcopi etiam & Epiſcopi fuerint cognominati, qui nec Presbyterii munere fungi potuerunt, omnibus quos vocant ſacris ordinibus deſtituti. Si porrò unus alterque Cathedralium Patrum clericus fuerit, per accidens hoc contingit, non quatenus ſunt Canonici Cathedrales. Eoque quod à collegio ejuſmodi agitur, à Clericorum collegio non proficiſcitur in quantum ſunt Clerici. Quid? quoniam non obſervant illi amplius regulas aut canones vivendi antiquos, ne quidem veri ſunt Canonici. Id quod itidem ipſi confitentur cognomento Canonicorum *irregularium*, hoc eſt Canonicorum ſine Canone: quod reapſe ſimul eſt in adjecto contradictio, ut cum Logicorum ſcholis loquamur. Imo verò ne quidem ſi illi canonicam veterem obſervarent vivendi rationem, eſſentq; adeo Canonici, uti vocant, Regulares, vere tamen Clerici nondum eſſent. Nec enim vel Monachi vere ſunt Clerici. Vere inquam. Ideoq; in primitiva Eccleſia Monachi a Clericis accurate fuerunt diſtincti. Certè Clericorum cognomen verè ipſis non competit ſed abuſive. Notum autem, Cathedralium Canonicorum inſtitutum eſſe à S. Auguſtino, & ſi primordia ſpectemus, monaſticum aliquid eſſe, ſaltim eſſe oportere. Iam verò ſi Canonici illi reverà non ſunt Clerici, neceſſum eſt illos reapſe Laicos eſſe. Electiones itaque Epiſcoporum, ſi quod res eſt licet profiteri, fiunt

â Laicis. Hoc autem ſi Papis credimus, profanum eſt, imo nefas aliquod.

LXVII. Igitur hoc quidem certum eſt, electiones illas quæ a Cathredralibus inſtituuntur nec verè canonicas eſſe, hoc eſt conſentaneas antiquis Canonibus, nec congruere canonibus novis Pontificum inquantum illi Laicos arcent ab eligendo. Nec verò ideo digna eſt talis eligendi ratio quæ *Canonica* audiat, quoniam inſtituitur ab iis qui *Canonici* audiunt: non enim electio Pontificum dicenda fuerit canonica, quia conſtituuntur nimirum illi ab iis qui non Canonici ſed Cardinales nuncupantur. Verùm enimverò agnoſcimus, Canones antiquos nonniſi merè poſitivas fuiſſe leges: adeoque etſi canonibus antiquis non ſit conformis hæc eligendi ratio haud illam poſſe propterea injuſtitiæ accuſari. Conſtitutionem porrò Paparum qua Laici abiguntur ab electionibus, fatemur non niti aliquo divino aut Eccleſiæ vereris jure. Etſi igitur ſint mera in Laicorum claſſe Cathedrales Canonici, itidem non repugnat tamen divinis aut Eccleſiæ purioris inſtitutis quæcunq; ab illis fit electio. Commodo tamen Imperii omninò adverſatur, cum Epiſcopi ſint præcipui Imperii magiſtratus in ſacris pariter & civilibus rebus, eligi illos nullâ autoritate publica Imperii ſed ab hominibus privatis. Par eſt ratio, habito Regalium bonorum reſpectu. Non convenit nimirum bono publico, collationem uſus fructus bonorum Imperii, & quidem opulentorum, aliis permittere quàm iis qui Imperandi valent poteſtate. Quantumvis autem, ut bene ſeſe habeat reſpublica, non ſit permittenda Cathedralibus Canonicis electio, lex tamen ſive ſcripta ſive nonſcripta nulla hactenus eſt lata, quâ idipſum fuerit prohibitum. Imo, ceu ante diximus, jam tum à Friderico II Imperatore Cathedralibus ſingulari conſtitutione jus eligendi eſt conceſſum. Acceſſit conſuetudo

quadrin-

quadringentorum circiter annorum. Itaque hactenus eligendi illa ratio quæ fit per Canonicos Cathedrales, quantumvis publico noceat, legitima hodie eſt & moribus approbata.

LXIIX. Hinc ergo, quemadmodum & quando cœperit in Germanico noſtro Imperio Epiſcoporum per Cathedrales Canonicos electio, quo jure item illa nitatur, quidq; habeat publici incommodi, jam eſt manifeſtum. Si rectè verò rem expendamus, haud difficile judicatu eſt, verum eſſe quod jam tum diximus, rem omnem deberi Pontificibus Romanis. Hi nempe, poſtquam Imperatoribus extorſiſſent antiquiſſima Regni jura, hoc, quâ voluerunt verſutiâ, ſummo egerunt ſtudio, ut facultas illa eligendi, quum tàm magni ſit momenti, verſetur in manibus hominum Curiæ Romanæ obnoxiorum, nec multorum ſed paucorum. Hac de cauſâ ſcilicet reapſe electio omnis à Papa dependet non autem ab Imperatore. Et verò ipſimet Canonici illi Papali juriſdictioni ſoli cœperunt ſubjici: atq; eapropter etiam actiones illorum, adeoque & electiones, ad forum Pontificium pertinere. Iam porrò pauci illi Romanæ Curiæ ſubditi Canonici, non audent temerè Curiæ ſtudiis repugnare: ſed coguntur etiam inviti ejus nutibus obedire. Ita electio Epiſcoporum reapſe jam eſt arbitrii Papalis magis plerumq; quàm ipſorummet Cathedralium. Nec verò eſt quod quis opinetur, auctoritati Imperatoriæ ſatis item conſultum eſſe collatione Regalium. Quandoquidem illi electo, quem Papa approbavit, Cæſar propemodum cogitur Regalia haud denegare. Imo verò Sede Epiſcopali vacante, non dubitant vulgo Cathedralia collegia, ſibi uſum & poſſeſſionem Regalium bonorum arrogare: quaſi illa ne quidèm mortè ejus cui fuerunt collata in Imperatorum poteſtatem queant recidere. Sed de his pro inſtituto ſatis.

LXIX. QVANDOQVIDEM VERÒ ſeculo Chriſtiano duo-

LXX. Enimvero 1 pro electionibus Cathedralium canonicorum ſenſim invaluerunt aliquamdiu Proviſiones quas appellant Apoſtolicæ. 2 Omnes de electionibus controverſiæ ad Romanæ curiæ forum deductæ ſunt. 3. Omnes electi Epiſcopi ligio, ceu vocant, ſacramento uni Romano Pontifici ſunt adſtricti. 4 Confirmationes Epiſcoporum Metropolitanis ereptæ, à Pontificibus Romanis petendæ jam ſunt. 5. Epiſcopi pridem tenentur nominibus ſuis addere ſolemni formula, ſe *Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia* Epiſcopos eſſe. 6 Epiſcoporum defunctorum bona in Romanæ curiæ fiſcum redigi cœperunt. 7. Vnius anni proventus, *Annatarum* novo nomine invento, eidem fiſco vindicati ſunt. 8 Pro pallio Romæ redimendo ingens pecuniæ ſumma eidem fiſco cœpit inferri. Taceo complura alia extrema Romani dominatus incommoda: quæ ſubire jam pridem coacti ſunt ut aliarum regionum ita & Germaniæ noſtræ Epiſcopi, ex quo Cæſarum imperio ſubducti fuerunt. Scilicet hæc eſt illa *libertas Eccleſiæ* quam Romani Pontifices ita jactitarunt; cujuſque ſpe Epiſcopi dementati à republica Imperii tantùm non alieni quondam ſunt facti.

LXXI. Non patitur inſtitutum, in horum omnium iniquitatem pro merito, animadvertere. Fortaſſis tamen haud fuerit abs re, ſaltim de quibuſdam horum & nonnihil hîc annotare. *Proviſiones* igitur quod attinet, ſeriùs quàm alibi 1. & minus frequenter, videntur illæ in Germania inſtitutæ. Et verò narrantem quidem Crantzium conquerentemque jam tum audivimus ex *Metrop. l. 7. c. 45*, quaſi tale quid in Ratzeburgenſi Epiſcopatu contigerit circa Lambertum quendam alienigenam, Gregorio nono Papa ſedente. Videtur, tunc quidem temporis id rari & novi fuiſſe exempli. At vero ſeculo quartodecimo, translata Papali Sede Avenionem, id malum frequentiùs Germaniam

quoque infeſtavit. Hac ſane de cauſſâ fortaſſis Crantzius *l. 8. cap. 56* agens de Bremenſi Epiſcopatu, quem autoritate & arbitrio Clementis V Papæ nactus erat Danus quidam, in hæc verba ſcripſit. *Venio in ſuſpicionem, ut credam Florentium in lite apud Sedem Apoſtolicam defunctum. Alioqui quomodo privaſſet Pontifex Bremenſes Canonica electione: nondum in eam poteſtatem provectis Pontificibus, ut quomodo nunc quidem vellent providerent, ſi non obſtarent per Germaniam principum ſub Nicolao V Concordata.* Idem Crantzius *ejusdem libri cap. ultimo.* ſic locutus eſt. *Rediit Eccleſia Mindenſis in poſſeſſionem libertatis ſuæ, ut juxta prima tempora vacantibus Eccleſiis provideret per Capitula. Sed eam libertatem coanguſtarunt Romani Pontifices per multas Reſervationes, per Confirmationes, quas ſibi ſolis attraxerunt, cum ante permitterentur Metropolitanis, cuiq; in ſuâ provincia. Pium eſt credere, divinâ diſpenſatione ſic rem geri, quando caro & ſanguis nimium imperitabat in Archiepiſcopis.* Idem verò Crantzius *l. IX. cap. 9.* hæc reliquit ſcripta. *Verdenſem Eccleſiam per ea tempora tenebat Ioannes vir inſignis, medicinæ artis doctiſſimus; Qui Eccleſiam, ut conjectura aſſequor, non legitima via electionis, ſed Apoſtolica Proviſionis eſt conſecutus. Quod jam Pontifices Romani in Galliis manentes, Eccleſias Germaniæ ut Galliarum cœperunt conferre, contempto eligentium jure. Sed magno labore vix recuperavit Germania jus liberæ electionis, niſi apud ſedem eandem vacent Eccleſiæ.* Narravit autem hæc Crantzius ex conjectura duntaxat. At vero *cap. 44.* jam certus, hæc habet de Henrico, gente Spegeliorum nato, & ex Abbate Corbejæ facto Paderbornenſi Epiſcopo: *Huic primum per Apoſtolicam proviſionem provenit Pontificatus: ante ſemper vel per electionem legitimam, vel Principum voluntate adſumptis ad eum diem Pontificibus.* Vixit autem hic Henricus Paderbornenſis, quo tempore Fla-

re Flagellantium ſecta in Germaniam ex Italia penetravit, Imperante Carolo IV. Alienum quidem eſt ab hoc argumento, non abs uſu tamen fuerit fortaſſis, addere hoc loco, quæ Crantzius eodem capite de Henrico hoc memoravit. *Ex hoc Henrico crepſit abuſus in Eccleſiam hanc & multas alias, ut erubeſcant Epiſcopi ipſi facere ſacrum miniſterium, in Eccleſiis conſecrandis, Ordinibus dandis, velandis virginibus: quoduſque ad hunc omnes prædeceſſores ejus fecerant ipſi. Nunc, ſi diis placuit, erubeſcimus divinum in* Eccleſia *miniſterium, & ſacramus canes in nemore, adoramus ſeculares Principes in aula. Et hujus rei initium in hac* Eccleſia *cœpit ex Abbate, pridem religioſa viro: ut per Titulares* Epiſcopos *impleant, ipſi autem ocioſi aut ſecularibus rebus impliciti. Scilicet.* Hæc Crantzius. Vnde manifeſtum eſt, Seculo demum declinante quartodecimo cœpiſſe in Germania recipi in uſum Proviſiones Romanas; longe autem & citiùs & graviùs Galliam atq; Angliam iis laboraviſſe.

LXXII. De *controverſiis* Eccleſiaſticis, illas ſcilicet itidem omnes Romam pertractas eſſe, ſatis hoc loco fuerit audire unum Conradum Vrſpergenſem Abbatem, qui jam Friderico Secundo Imperante eâ de re ita loqui haud dubitavit in ſuo Chronico. *Vix remanſit aliquis* Epiſcopatus, *ſive dignitas* Eccleſiaſtica, *vel etiam Parochialis* Eccleſia, *quæ non fieret litigioſa, ut Romam deduceretur ipſa cauſſa, ſed non manu vacuâ. Gaude mater noſtra Roma, quoniam aperiuntur catarrhactæ theſaurorum in terra, ut ad te confluant rivi & aggeres nummorum in magna copia. Lætare ſuper iniquitate filiorum hominum, quoniam in recompenſationem tantorum malorum datur tibi precium. Iocundare ſuper adjutrice tua diſcordia, quia erupit de puteo infernalis abyſſi, ut accumulentur tibi multa pecuniarum præmia. Habet quod ſemper ſitiſti. Decanta canticum:*

 quia

quia per malitiam hominum, non per tuam religionem, orbem viciſti. Ad te trahit homines, non ipſorum devotis aut pura conſcientia, ſed ſcelerum perpetratio & litium deciſio pretio comparata.

111 LXXIII, *Juramentum* præterea primò omnium exegit, non tamen niſi a ſolis Metropolitanis, quibus pallia erant conferenda, Paſchalis id nominis ſecundus: Hildebrandinâ jam conſtitutâ monarchiâ. Illum ceu inſolitum haud æquis eſſe animis acceptum, liquet ex *cap. ſignificaſti de electione & electi poteſtate*: quod excerptum eſt ex Epiſtola Paſchalis illius ad Panormitanum Archiepiſcopum. *Significaſti* ait Papa, *Reges & Regni majores admiratione permotos, quod pallium tibi ab Apocriſiariis noſtris tali conditione oblitum fuerit, ſi ſacramentum quod à nobis ſcriptum detulerant exhiberes.* Haud potuit negare Paſchalis facti ſui inſolentiam: ſed voluit excuſare. Quam impiè autem vel ſaltim frivolè, res ipſa loquitur. Hinc non dubitavit addere. *Ajunt in Conciliis ſtatutum non inveniri. Quaſi Romanæ Eccleſiæ legem Concilia illa præfixerint, cum omnia Concilia per Romani Pontificis autoritatem & facta ſint & robur acceperint, & in eorum ſtatutis Romani Pontificis excipiatur autoritas.* Vtrum verò ſicut in Sicilia ita & in Germania à Metropolitanis juratum jam tunc fuerit Papis, fortaſſis haud certum eſt. Perquam tamen videtur veroſimile, quoniam rationes à Paſchali adductæ ad omnes omnino Metropolitanos pertinent. Confirmat conjecturam, quod penè iiſdem verbis reſcripſerit Paſchalis ille Archiepiſcopo Polonorum, in epiſtola quam ex Codice Vaticano exhibuit Baronius ad annum 1102. Quod ſcilicet in Polonia idem etiam in Germania Metropolitani præſtare ſunt coacti. Nondum tamen tunc temporis Epiſcopi quoq; in eum modum fuerint devincti. Et verò etiam ceſſante ſchiſmate inter Alexandrum III & ejus Anti-

papas,

papas, à ſolis Metropolitanis Germaniæ, qui ac Antipapis pallium erant nacti, novum ſacramentum fuit exactum. Ceu legere eſt apud Cranzium *l. 7. Metropol. cap. 3.* In Decretalibus præterea Gregorii noni de Epiſcoporum juramentis nihil conſtitutum reperitur. Ex adverſo videntur Metropolitani quidam novo exemplo ſuos Suffraganeos Epiſcopos juramento fidelitatis cepiſſe ſibi obſtringere. Liquidum illud eſt ex iis, quæ inter Privilegia Hamburgenſis Eccleſiæ recitat Erpoldus Lindenbrogius ad Hiſtoriam Adami Bremenſis editionis Francofurtenſis pag. 199. ubi habetur formula juramenti fidelitatis, quam juravit Albertus Lubecenſis Epiſcopus Gerardo Archiepiſcopo Bremenſi, anno Chriſti poſt milleſimum ducentiſſimum quadrageſimum ſeptimum. Nec tamen dixerim, morem iſtum per univerſam Germaniam obtinuiſſe. Epiſcopi igitur fortaſſis non antè cœperunt ſacramento ſeſe aſtringere Papis, quam Metropolitanis excuſſa eorum confirmatio & Romani juris facta eſt. Recitabo nonnulla hic ex formulâ iſthac qualis reperitur in Pontificali Romano: ut appareat, eſſe merè mundanum hoc ſacramentum, & haud multùm ab eo diverſum quo vaſalli ligii dominis ſuis obſtringuntur. Nec enim jurat Epiſcopus, velle ſeſe docere Evangelium & Chriſti doctrinam ſed alia inter: *Non ero in conſilio, vel facto, ſeu tractatu, in quibus contra ipſum dominum noſtrum, vel Eccleſiam Romanam, aliqua ſiniſtra vel præjudicialia perſonarum, juris, honoris, ſtatus & poteſtatis eorum, machinantur. Et ſi talia à quibuscunque tractari vel procurari novero, impediam hoc pro poſſe, & quanto citius potero, ſignificabo eidem Domino noſtro, vel alii per quem posſit ad ipſius notitiam pervenire.* Ne quidem quæ de hæreticis jurantur alius quam ſecularis ſunt notæ. Hæreticis enim adjunguntur etiam *rebelles*, & verba hæc ſunt: *Hæreticos, Schiſmaticos, &*

 rebel-

rebelles eidem Domino noſtro, vel ſucceſſoribus prædictũ, pro poſſe perſequar & impugnabo.

LV LXXIV. *Confirmationem* porrò *Epiſcoporum* Germaniæ Romano ſerò cæpiſſe ſibi arrogare, & vix ante ſeculi quartidecimi declinationem, colligi videtur poſſe vel ex Crantzii Metropoli. Etenim *l. x. cap. 22.* de Simone Paderbornenſi Epiſcopo agens, qui ſedente Vrbano VI factus eſt Epiſcopus, ait: *Manus conſecrationis recepit in Romana curia.* Iam tunc ante verò in Curia Romana fuerat confirmatus Wigertus Razeburgenſis Epiſcopus, teſte Crantzio *l. 9. cap. 42*; aſt ſingulari de cauſſa & inſolente id factum apparet. Sed & memoratu heic dignum, quod de Ioanne Lybecenſi Epiſcopo idem narrat *cap. 19 l. x. Per dominum Martinum* (circa annum nempe MCCCCXX) *eſt confirmatus; cum eſſet Canonicè per capitulum electus. Qui pro ſua confirmatione ingreſſus eſt iter Romam verſus cum tribus Canonicis de capitulo Lubecenſi. Quo inter eundum in itinere & in ipſa Vrbe ad mille aureos impendit.* Idem verò Crantzius *l 8. cap. 24.* de Ioanne Lubecenſi Epiſcopo agens, ſcribit: *Confirmatus eſt in Stadio per Archiepiſcopum Bremenſem. Nondum cum ea poteſtas tota ut nunc, translata erat Romam. Nam quod proxime de Magdeburgenſi legitur ex aliis fieri potuit cauſis, ut Romam proficiſceretur. Noſtri tamen ſuis controverſiis amplificarunt ſupra ſe Romanæ Sedis poteſtatem.* Obiit autem ille Bremenſis, Hildeboldus dictus, anno 1273, cum annis quindecim gubernaſſet Eccleſiam, ceu ibidem teſtatur Crantzius. Vt proinde ſaltim iſthac tempeſtate Romana confirmatio nondum obtinuerit. Haud obſcurè autem ſimul ex Crantzii illis verbis liquet, occaſionem Papis in jus illud Metropolitanum involando datum per lites, de Epiſcopalium ſcilicet ſedium poſſeſſione enatas. Idem porrò Crantzius *l. 9. cap. 13.* agens de Burchardo Epiſco-

piſcopo Lubecenſi, illum fuiſſe confirmatum a Capitulo Bremenſi & ejuſdem mandata conſecratum, quod Archiepiſcopus Bremenſi pergrè profectus eſſet, addit: *Servabatur adhuc iſte honor Eccleſiæ Metropolitanæ, ut inde confirmatio Suffraganeorum peteretur: cum illi* (Archiepiſcopi) *a ſummo Pontifice ſoli confirmarentur, non habentes majorem in provincia.* Contigerunt autem hæc cum Papatu fungeretur Ioannes viceſimus ſecundus, circa annum 1328. Adhuc recentius eſt quod habet Crantzius *l. 9. cap. 29* de Ioanne Lubecenſi. *Electus concorditer à Capitulo ſuo, conſecratus eſt ab Archiepiſcopo Bremenſi Suerinenſi & Raceburgenſi comprovincialibus ſuis.* Mitto alia exempla: quia ſatis eſt manifeſtum id quod de initio Palatium confirmationem diximus. Nemini verò non rerum Eccleſiaſticarum perito jam tum conſtat, illas confirmationes fieri contra antiqua Eccleſiæ inſtituta & cum Metropolitanorum jurium diminutione. Etſi verò etiam Metropolitanis illud confirmandi jus non divino ſed ſolo poſitivo Eccleſiæ jure hactenus competiiſſet, potueritque adeo ſine læſione juris divini iſtud jus illis viciſſim eripi, ſicut etiam primâ Echleſiæ ætate nullum fuit: quandoquidem tamen nec veteres conſuetudines debeant mutari niſi urgente neceſſitate, qualis heic nulla fuit, manifeſtum eſt, per injuriam pontifices Romanos hoc confirmandi Epiſcopos jus Metropolitanis ereptum ſibi vindicaſſe.

LXXV. Videtur præterea eodem ſeculo quartodecimo demum natus ille mos Epiſcopali titulo addendi illud: *Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia:* quod hodiè receptiſſimum eſt. Et verò Henricus Meibomius in *Chronico Riddageshuſano pag. 05* de Henrico Epiſcopo Hildesheimenſi, qui vixit circa annum 1350. ita ſcribit. *novo primus omnium Hildeſienſium Epiſcoporum uſus eſt titulo, quo Dei gratia Papæ æquatur, certè copulatur. Iſthoc modo:* *Henri-*

Henricus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Hildeſienſis. Qua occaſione, ſponte an coactus juſſusq; id fecerit. non habeo quod affirmem. An vero tunc temporis etiam alibi jam fuerit hoc non infrequens, an item omnes Epiſcopi Germaniæ quoq; noſtræ idem facere cœperint eodem momento, nec ego dixerim. Videtur autem id cœpiſſe Proviſionibus Papalibus jam invaleſcentibus. Sed & hic Henricus fuerat à Papa excommunicatus, & abſolutione demum impetratâ factus Epiſcopus, teſte Crantzio *l. 9. cap. 35.* Vt fortaſſis quia hac gratia Papali eſſet affectus, quo Papam ſibi magis devinciret, beneficium illud voluerit, more quamvis nondum recepto, quaſi publicè profiteri, Quæcunque verò fuerit hujus rei occaſio, planè novam eam eſſe & omnibus retro ſeculis nunquam auditam, manifeſtum eſt. Haud immeritò etiam fortaſſe judicaveris, improbum videri Dei & Papæ gratiam conjungere. Certè arguit hoc Curiæ Romanæ ſuperbum in Epiſcopos dominatum; cum Regum Principumque univerſi terrarum orbis nullus tale quid vel à vaſallis ſuis aut ſervis ſibi exhiberi patiatur.

LXXVI. Non tantùm verò in perſonas Epiſcoporum, ſed etiam in bona eorum cœpit tandem ſævire tyrannis Romana, & quidem itidem declinante demum ſeculo
VI. decimoquarto. Primus enim, quantum videtur, in de-
VII. cedentium Epiſcoporum *ſpolia* involavit Vrbanus V. Primus etiam vacantum Epiſcopatuum collationes venumdare cœpit Bonifacius Nonus? idem qui paulò pòſt primus omnium *Annatarum* exactionem conſtituit. Lectu digna ſunt quæ de hoc Bonifacio præter alios refert Crantzius *l. x Metrop. cap. 45. In expeditione pro Epiſcopatibus jam infinita cœpit exigi pecunia: ad quadraginta, quinquaginta, ſexaginta, octoginta millia aureorum. Anticipator iſte fuit noſtrorum temporum: necdum enim erant Annatæ.*

Paulò

Paulò ante idem Crantzius dixerat : *Epiſcopatus plurimi per Alemanniam iſtius Pontificis temporibus vacaverunt, multæque Eccleſiis non merita perſonæ præferebantur.* Quorum utrumque indidem factum eſt ob pretii Epiſcopalis immanitatem : cui ſolvendo pauci reperti ſunt pares, aut nonniſi divites improbi. Mirum autem, Crantzium ita de Annatis loqui, quaſi illæ poſt Bonifacium IX denique inſtitui cœperint. At verò fortaſſe certum eſt, iſti auctori primo inſtitutum hoc deberi. Ideoque & Platina ita de illo loquutus eſt. *Tum verò Bonifacius, ſive Vicecomitum potentiam veritus, ſive augendæ ditionis Eccleſiaſticæ cupidus, Annatarum uſum beneficiis Eccleſiaſticis primus impoſuit. Hac conditione, ut qui beneficium conſequeretur, dimidium annui proventus fiſco Apoſtolico perſolveret. Sunt tamen qui hoc inventum Joanni viceſimo ſecundo adſcribant. Hanc autem conſuetudinem omnes admiſere præter Anglos, qui id de ſolis Epiſcopatibus conceſſere, in cæteris beneficiis non adeo.* Hæc Platina. Eadem circiter tempeſtate cœpit etiam no- 11
vum Fiſci Papalis aucupium pecuniæ, ſed intolerabile prorſus Archiepiſcopis, ut aliis ita etiam Germaniæ noſtræ : vectigal nempe pro redimendo Pallio. In univerſum autem vel ſolâ iſthac novitate patet iniquitas illorum onerum : non enim fas eſt vel ipſis Principibus ſecularibus, temere novis oneribus ſubditos ſuos gravare. Patet item iniquitas illa ex eo, quia non urgente aliqua ſacrâ Eccleſiæ neceſſitate, ſed tantùm in profanos uſus omnis illa exactio inſtituta eſt. Id quod cum alias manifeſtum, tum vel ex iis ſolis, quæ Platina de Annatarum inſtituto narrat, liquidum eſt. Iam porrò in bona iſthæc neque divino aliquo jure neque humano Pontificibus ulla cõpetit juriſdictio : itaque nec jus aliquod eſt Papis, ejuſmodi vectigal bonis ſacris imponendi. Vectigalia enim imponere co-

eorum duntaxat jus eſt qui imperio valent. Enimvero ſolent quidem Papæ ſuo iſthoc *Paſce oves meas* jus aliquod divinum ſibi in perſonas vindicare: at profectò ne in ſpeciem quidem hinc colligere licet, dominium aliquod bonorum Epiſcopalium: præſertim quoniam in Germaniâ bona illa, ſaltim potiſſima, ſunt merè feudalia, quorum directum dominium eſt Imperatoris ſivè totius Imperii. Non reperire ſanè eſt vel divinum jus in ſcriptis Apoſtolicis, vel humanum ab Imperatoribus noſtris aut Principibus latum, in Romanum ſervitium bonorum iſtorum. Accedit denique, quod nullâ ratione excuſari poſſint a Simoniæ crimine illæ Papales exactiones pro Epiſcopatibus & Palliis conſequendis. Etenim hoc nomine quidem acerrime impugnati olim ſunt Imperatores & Reges ab Hildebrando: ſed immerito, quoniam quicquid tunc temporis interdum in fiſcum Cæſareum pervenit, id ratione bonorum ab Imperio datorum, & quorum directum dominium ad Imperatores pertinebat, expenſum eſt: verùm Papis in illa bona nihil eſt juris: ac proinde quicquid exigitur à Curia Romana illud propter collationem ſacram poſtulatur: quod utique verè eſt Simoniacum. Taceo nunc, quàm longè plus ſibi petat Curia Romana quàm unquam exegit à quoquam Imperatorius fiſcus. Vſque adeo ſanè illæ exactiones Papales ſunt iniquæ, ut *ſpolia defunctorum* Epiſcoporum etiam ipſi Papæ, poſt Baſileenſe Concilium & inita Concordata deſierint exigere. Quanquam aliàs, ſi dominium directum bonorum iſtorum eſſet penes Papas, ſpolia iſthæc exigere haud eſſet nefas. Et verò hac de cauſſa, licet Imperatores Otto quartus & Fridericus Secundus jus illud vetus Regum circa bona decedentium Imperii Epiſcoporum ultro pridem ceſſiſſent, Vngariæ tamen Reges imo & Archiduces Au-

ſtriæ

ſtriæ conſtanter ſibi illud retinuerunt ad Ferdinandum uſque ſecundum Imperatorem. De quo Iohannes à Chokier l. 2. *Aphoriſmor. Politicor. cap* 17. *pag.* 206 ita loquitur. *Mortuo aliquo Epiſcopo & Prælato, tam in Vngaria quàm in Auſtriâ, antecedentes Reges & Archiduces ſolebant mobilia relicta (quæ ſpolia vocabantur) uſurpare, & de iis ad libitum diſponere. Ferdinandus nihil horum attingere, ſed ſucceſſoribus Eccleſiaſticis relinquere voluit.* Hæc Chokier. Quibus hac vice quidquam addere non patitur argumentum.

LXXVII. VT AVTEM ad electiones ipſas Epiſcoporum iterum revertamur, miſſis reliquis quæ tamen itidem non fuerunt planè aliena: id conſtat, Seculi decimiquarti initio iſthuc fuiſſe deventum, ut a Canonicis cathedralibus aut nulla amplius aut rara fuerit Epiſcoporum facta electio, fere omnes autem à ſolis Papis, pro arbitrio, conſtituerentur. Fuit autem tantùm non cunctis invifa illa Pontificum uſurpatio, quod & reipublicæ & Eccleſiæ eam intelligerent apprime eſſe noxiam. Si Anglicanos ſanè ſcriptores conſulamus, plena eorum monumenta ſunt graviſſimis querelis. Idem in Gallis obſervare eſt. Non ſecius autem & Germani noſtri magno ſuo malo, quis ſit Proviſionum & Reſervationum Papalium fructus, experti, oppreſſam Eccleſiæ libertatem deplorarunt. Quæ fuerit Philippo Pulchro Francorum Regi cum Bonifacio VIII, ideo quod Rex ſibi collationem Eccleſiarum & Præbendarum aliquâ duntaxat ex parte aſſereret, controverſia, notum eſt. Qui Bonifacio ſucceſſit Clemens V Bremenſi Eccleſiæ, de *Epiſcopo* (ita enim loquebantur) *providit*, miſſo Bremam Iohanne quodam, Lundenſi antehac in Daniâ Archiepiſcopo, qui Pariſiis tum forte habitabat. Quàm iniquum verò eſt, obtrudere Eccleſiæ hominem ignotum, exterum, cuique

nulla illius quidem Eccleſiæ eſt notitia! Neque tamen aliter & Iohannes XXII egit. Ita enim Henricus Rebdorff in Annalibus: *Johannes XXII priùs vocatus Iacobus de Cathurio, de VVaſconia, multas gratias de Eccleſiaſticis fecit, & ita pingues clauſulas formis gratiarum ſuarum appoſuit generaliter, quales antea ab aliquo Papa non emanaverant; & diſpoſitioni ſuæ tot Prælaturas reſervavit, quod ante ipſum ita communiter conſuetum non erat.* Idem anno MCCCXXXIII *In Alemanniâ*, inquit, *magnum ſchiſma eſt in Clero & Populo, ex proviſionibus Sedis Apoſtolicæ ad Epiſcopatus, ſolennes Prælaturas, & alia beneficia. Quæ idem Ludovicus, in odium Sedis Apoſtolicæ, fortiter impedivit, multos etiam proviſos à ſede dejecit.* Eadem ferme de Iohanne iſthoc XXII refert Gobelinus Perſona *Coſmodromii Æt. VI cap. LXXI.* De Benedicto autem XII idem ait: *Hic Benedictus inter cæteras declarationes, quas fecit, declaravit, quod gratia ſpecialis beneficio vacaturo extendit ſe ad beneficia ubique ſita, ad collationem illius ſpectantia, ſub cujus collatione cadit gratia conceſſa.* Quin adeo hæc corruptela invaluerat, ut, Bremenſi Archiepiſcopo defuncto, nemo eſſet in Eccleſia Bremenſi, qui ad Pontificatum adſpiraret; *ſcientibus cunctis, quod fruſtra niterentur, cum Apoſtolicâ proviſione ſedes implenda putaretur. Jam enim inoleverat*, ait idem Crantzius lib. IX cap. XXIII, *ut Apoſtolica proviſione darentur Epiſcopi, poſthabitâ Capitulorum legitimâ electione.* (Crantz. Met. l. 9 cap. 16.)

LXXIIX. Cum verò jam frequentes eſſent illæ gratiæ exſpectativæ, ſæpiùs accidit, ut alium eligerent Epiſcopum Capitulares Eccleſiæ cathedralis, alium Româ vel Avenione mitteret Pontifex, multis munitum bullis, quibus refragari piaculum habebatur. Complura ſunt in promtu, quæ id doceant exempla, nec hîc adſcribere omnia

omnia vacat. Sed tamen accidit interdum, ut uterque Epiſcopus, cum is quem Capitulum elegerat tum alter quem conſtituerat Pontifex nollet ſuum jus quæſitum abdicare. Hæc igitur res ingentes dedit turbas, diviſis ſtudiis: adeo ut in bellum grave illæ contentiones frequenter eruperint cum maximo Eccleſiarum detrimento. Taceo, quod Eccleſias hominibus ſæpe exteris, ignotis, ſaltim illo officio Epiſcopali indignis gubernandas commiſerint Pontifices. *Quid ſibi vult*, ait alicubi Gerſon, *quod modò potius omnes Epiſcopi, Prælati & parochiales ſacerdotes per Papam conſtituantur, quàm eligantur perſonæ notæ & aptiores de patriâ, & nunc præficiantur Eccleſiis homines extranei, in moribus, & linguis, & conſuetudinibus?* Addo, ſæpe homines flagitioſi, vitæque diſſolutioris. Hominem ſane carnalem juvenemque vocat Trithemius *Anno 1363.*
in Chronico Hirſaugienſi, quem Vrbanus V, neglectâ à Capitulo Colonienſi jam factâ legitimâ electione, eo invito conſtituit Epiſcopum. Epiſcopi porrò ipſi quibus proviſum fuit, quo animo ad regendam Eccleſiam acceſſerint, vel illud argumento eſſe poteſt, quod ſedulò antè ſoliti fuerint rem ſuam agere in Curiâ Romanâ, irrito laboraturi conatu, niſi muneribus pinguibus Pontificis Cardinaliumque ante eſſent gratiam aucupati. Dignum memoratu eſt quod narravit Crantzius: Nicolaum videlicet quendam Proviſione Apoſtolicâ Lubecenſem Epiſcopum creatum, ubi comperiſſet, *urbem Lubecam ad temporale dominium illius Eccleſiæ non pertinere, graviter ſibimetipſi indignatum, quod non ante perquiſiviſſet rerum qualitatem, ut non tanti laboris & ſumptuum impendia feciſſet.*

LXXIX. Perinde verò atque Proviſionibus Papalibus turbatæ tunc ſunt Eccleſiæ, ita ſpretis antiquis canonibus,

cœperunt tunc per Papas invaleſcere initiò quidem frequentiſſimæ tranſlationes Epiſcoporum ab una ſede in aliam lautiorem, deinde verò cumulationes multorum Epiſcopatuum in unam aliquam perſonam. Hinc Crantzius *l. ix Metrop. cap.* 45 agens de Ioanne ex Monaſterienſi Epiſcopatu in Vltrajectinum tranſlato per Vrbanum V Papam ait: *Tum quoque cœpit iſta tranſlatio Pontificii frequentari, quæ ante non conſueverat fieri niſi magnis & ponderoſis de cauſis.* Idem *l. x cap.* 42, cum narraſſet, Ottonem ex Verdenſi per Bonifacium nonum factum Bremenſem Epiſcopum falſe addit. *Tum valuit translatio: nunc meliore conſilio fit Eccleſiarum cumulatio. Ætate noſtra non dimiſiſſet Verdenſem: eâ retentâ in commendam, tranſiſſet ad aliam titulo Epiſcopali regendam. Inde multò innocentior erat illa ætas.* De Bonifacio illo nono Papa ſcribit idem l. xi Metrop. cap. xiii. *Liberalis ferebatur Bonifacius nonus ad faciendam gratiam ſupplicantibus: ideo crebræ ſub illius Pontificatu fiebant Epiſcoporum translationes, indulgentiarum collationes, uſque ad faſtidium cordatorum virorum. Aliquid facere cogebatur præter conſuetudinem, ut in ſchiſmate tunc currente faceret partes ampliores. Sed non erat in eo finis: continuatum enim eſt poſt illum.* Serius, ceu ante dixi, & poſt illas frequentes translationes, (& verò ipſum Eugenium V Papam ad concedendum ejuſmodi quandam multiplicationem difficiliorem ſeſe præbuiſſe, patet ex iis quæ Crantzius narrat *l. xi. cap. xxxv*) cœperunt denique Epiſcopatuum cumulationes quas vocant, & quidem poſt Concilium demum Conſtantienſe: nec tunc tamen aliter, quàm unius Epiſcopatus titulo tantum retento, altero autem accepto, ut loquuntur, in commendam. Quæ multiplicatio ſequente tempeſtate, cumprimis autem noſtrâ, per Germaniam cœpit eſſe frequentiſſima, &

qui

quidem ita ut unus multorum Epiſcopatuum titulis ſimul gaudeat: perinde atque translationes nunc ſunt rariſſimæ. Nihil autem horum non eſſe alienum à moribus primitivæ Eccleſiæ, certum & notum eſt. Et verò cauſa hujus cumulationis non eſt uſus aliquis Eccleſiaſticus, ſed reſpicit duntaxat commodum ſeculare. Id quod jam Crantzius *l. xi Metropol. cap. xv* non dubitavit in hæc verba ſcribere. *Halberſtadenſis Eccleſia poſt annos quatuor per Gebhardum jam grandævum & ætate feſſum Pontificem, permittitur gubernaculis ejuſdem Erneſti* (Archiepiſcopi Magdeburgenſis) *& autoritate interveniente Apoſtolica primam tenet in titulum, alteram in commendam. Ita vadunt res hodie, dum in Pontificibus non jam religio, non doctrina, non vitæ ſanctitas, ſed ſecularis quæritur potentia, ad edomandas vires inſurgentium Eccleſiis miniſterialium & Vrbicorum.* Potuiſſet autem addere Cranzius, ſæpenumero nullo tali urgente reipublicæ commodo, cumulari in unam perſonam Epiſcopatus Abbatiaſque, tantùm ſplendidioris & lautioris vitæ conſequendæ cauſſâ. Sed neque hoc perſequi pro dignitate, hujus eſt loci.

LXXX. OMNEM hunc de dominatu Papali in Epiſcopalibus rebus, qualis fuit ſub finem quarti decimi & initium quinti decimi ſeculorum (fuit autem tunc longè graviſſimus) claudemus, productis in medium ſalrim unius Alberti Crantzii, quem ſæpius laudavimus, & ipſe Bellarminus *l. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis* à diligentia *ſcribendi* commendavit, prudentibus aliquot de ævi & illius & ſui ſtatu ſententiis. Igitur *l. IV Cap. IX* ità loquitur de Epiſcopis: *Succeſſit humilitati faſtus, religioni vanitas, ſanctitati impietas & immunditia. Quocirca noſtris temporibus, juxta Prophetam, defecit ſanctus in magiſtratibus. Salventur quomodo poſſunt quique*

in plebe & populo. Seorſim de regimine Bonifacii IX. *l. X cap. XLXII* ſic ſcribit. *Exorbitabat eo tempore ſupra modum Romana Curia in exhauriendo provinciis auro, inauditas indulgentias & gratias incredibiles conferendo. Curiales autem Apoſtolici impetrantes miſerabiliter jactabantur. Litigabant coram Auditore. Sententiæ duæ ferebantur pro unâ parte. In tertia inſtantiâ mandabatur Auditori, ut imponat parti perpetuum ſilentium. Neque per Cancellariam opus erat literas expedire: compendioſior erat via per Cameram, dato quod ſonaret & fulgeret. Res tum nova: ſed noſtrâ ætate bene inolita: ut illud ſeculum adinveniſſe credatur, quo hoc noſtrum modò utitur. Sed hæc fruſtra querimur.* Cumprimis elegans eſt Crantzii diſſertatio quam *l. XI. cap XXIV.* inſeruit, eòque præ multis aliis digna quæ hoc etiam loco legatur. *Benè Petrus laxavit rete: benè duxit in altum, & traxit rete plenum magnis piſcibus. Unde meritò audivit etiam in hoc caſu à communi Domino: Modicæ fidei quare dubitaſti, num potens ſum tibi dare provincias & regna? Tu dubitaſti, num potui orbem ſedibus tuis ſubjicere? Quare dubitaſti? Nonne Domini eſt terra & plenitudo ejus? Ecce magna pars Italiæ tibi tributaria eſt. Per univerſam Germaniam & Hiſpanias de Eccleſiis & majoribus beneficiis diſponis. In Francia idem facturus, niſi nova adinventio Pragmaticæ ſanctionis obſiſteret. Ex Anglia & Polonia uber tibi proventus eſt: quia omnia inde capita tibi ſunt cenſualia. Ungaria mittit aurum: nec detrectat Illyricum. Ergò laxa Petre retia; anguſta interim ſunt. Laxa, ut fiant capaciora. Duc in altum: quia ad littora nulli ſunt piſces: in altitudine maris, in profundo nationum, ibi ſunt piſces quos capies. Duc in altum: nam in Iudæa anguſtus*

non eſt quod impleat ſagenam. In omnem terram cum ſono exiit imperium tuum; ut non ſit undè meritò poſſis dubitare. Amplificarunt per tempora Summi Pontifices magnificè ditionem Eccleſiæ: non per ementitam Conſtantini donationem, quæ nunquam facta, ſed per munificentiam aliorum Principum, ſive de Gottis, ſive de Longobardis, ſive per Magnum Carolum: quod latius alibi oſtendimus. Amplificarunt in Eccleſiaſticis rebus per Reſervationes, Confirmationes, & Proviſiones, fimbrias ſuas. Laxarunt retia, & omnia in ſuam traxere poteſtatem. Mirabitur, quiſquis annales antiquorum temporum legerit, temporum mutationes, tum in cæteris, tum maximè in Eccleſiaſtica poteſtate. Sèd nemo diffidat, aliter iſta quàm dante fieri Spiritu ſancto; cujus nutu iſta potentes decernunt cujus eſt Regnum & Imperium. Nec fruſtrà colluctati ſunt Romanis Imperatoribus. Hæc omnia elegantiâ dubium majore an prudentia & παῤῥησίᾳ Crantzius. Adjungemus iis paucula duntaxat illa quæ habentur *Metrop. l x cap xxix.* Poſtcaquam nempe narratum eſſet, Chriſtophoro eiſi jam Coadjutori Bremenſi adeoq; certiſſimo ſucceſſori, tantùmque nato annos ſeptendecim, contra præceptum canonum veterum, Verdenſem quoque Epiſcopatum fuiſſe a Romano Papa petitum, ſubjungit: *invenit nuncius iſte faciles aures Pontificis Romani. Solet enim Sedes Apoſtolica petentibus ſe liberalem exhibere, permutans plumbum pro auro. Quod cum dictum eſt veteri ſeculo, quantum creverit in hunc diem illa liberalitas, facile intelligunt agentes in rebus.* Hactenus Crantzius.

LXXXI. MERITO autem miretur prudens quilibet, qui factum fuerit, ut tam grave jugum Chriſtianus orbis atque adeo & Germania noſtra paſſa ſit ſibi imponi? Videtur autem inter cauſſas non fuiſſe momenti exigui, imperitiam ævi veteris quâ tunc homines laboraverunt.

Et verò recentiſſima quamvis inventa tunc credita ſunt ex antiquo ævo proveniſſe. Eoque Gloſſa *in c. Quanquam de Elect. in 6.* non erubuit ſcribere, *de antiquo jure & diſpoſitione Eccleſiæ poteſtatem conferendi Epiſcopatus ad Papam pertinere.* Ex illa ignorantia porrò contigit, ut in vulgus Papa Romanus fuerit habitus Chriſti in terris vicarius, adeoque ViceDeus, cui data ſit omnis poteſtas in cœlo & in terra. Quæ perſuaſio percellere animos utiq; eſt aptiſſima, ad infimam quoque ſervitutem perferendam. In tam craſſos autem errores incidere homines, videtur & ſingulari aliquâ factum divinæ improbitatis vindictâ. Totam enim mundanam quaſi redditam Eccleſiam Chriſti, eumprimis Clerum, nimis proh dolor notum eſt. Quum Clerus itaque non ſaperet amplius quæ veri officii erant Clericorum, juſtâ profectò divinâ ultione in ſecularem aliquem incidit Paparum tyrannidem. Ei verò fovit jugum illud impia ambitio prenſantium: ut ſtudium recti tanto in numero parum aut nihil potuerit efficere.

LXXXII. TANDEM tamen cœpit Epiſcopos reliquumq; Clerum tædium aliquod immanis dominatꝰ. Ludovicum ſane IV Imperatorem Romanæ curiæ Proviſionibus quas vocant aliisque nonnullis intolerandis injuriis ſeſe oppoſuiſſe, jam tum audivimus. Qui huic ſucceſſit tamen Carolus IV confirmaſſe potius hanc injuſtam Pontificum uſurpationem, dici poſſit: cum nonnunquam eorum opem implorârit, ſi cuiquam ſuorum Epiſcopatum conferri vellet, quod invito quandoque Capitulo, ſolâ Proviſionis Apoſtolicæ autoritate factum. Exempla ſunt apud Crantzium & Trithemium *in Chronico Spanhemenſi* Anno MCCCLXX & MCCCLXXXIII. Magis ſeriò hæc cauſa acta à deputatis provinciarum nationis Germanicæ in Concilio Conſtantienſi, Sigiſmundo Imperante; ſcripto quopiam compoſito

poſito, quo Proviſiones, Gratias expectativas, Reſervationes, per regulas potiſſimum Cancellariæ introductas, abrogari voluerunt. Aviſamenta Conſtantienſia vulgò vocant, inſerta *Catalogo Teſtium veritatis Flacii Illyrici ſed inde relata in tomum primum Conſtitutionum Imperialium Goldaſti.* Cum autem ne ſic quidem obtineri quicquam poſſet, Epiſcopi Germaniæ Moguntiæ coacti, quatuor annis antequàm Concilium Baſileenſe coiret, de his ipſis Gravaminibus abolendis deliberaverunt. Aviſamenta Moguntina vocantur. In quibus Principes conſtituerunt, orandum Pontificem, ut *in ſingulare privilegium relevamen gravaminum* concedat. Privilegium petierunt, quod Pontifices ſibi præter omne jus faſque uſurpaverant. Inter Gravamina autem illa ordine expoſita, Primum eſt: *Imprimis,* (Pontifex) *annullet & irritet omnes & ſingulas Reſervationes tam generales quam ſpeciales, ſive particulares Eccleſiarum Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum, Monaſteriorum, dignitatum & beneficiorum Eccleſiaſticorum quorumcunque, quibus pro electione provideri conſuevit, ſive per Extravagantes Ad Regimen & Execrabilis, aut per regulas Cancellariæ, ſeu quaſcunque alias conſtitutiones aut ordinationes introductæ ſint, Reſervationibus in corpore juris clauſis duntaxat exceptis.* Cœterùm magis ex voto, ut reliquæ omnis Europæ ita & Germaniæ, in Concilio Baſileenſi res cecidit. Vt enim nunc maneamus in ſolo noſtro de conſtitutione Epiſcoporum argumento, nec tangamus quidquam eorum quæ acta ſunt de Reformatione Eccleſiæ Latinæ, ſaltim Acta integra Concilii illius, ut & quam Æneas Sylvius durante Concilio conſcripſit ejus Hiſtoriam, *Faſciculo ſuo* ab Ortovino Gratio inſertam, ad rem omnem pleniſſime intelligendam, lectu ſunt dignisſima: quia ſimile aliquod Concilium Europæus orbis non vidit.

cap. 1.

Id præterea eſt dignum obſervatu, quod *Reſervationes* publico Concilii illius decreto ſint abrogatæ, & Eugenius IV, *quod electionibus obſiſteret, Reſervationibus contrariis utendo* (ſunt hæc verba Concilii) graviter increpatus, & demum etiam, cum judicium Concilii nullatenus admitteret, in eodem damnatus eſt: Gallicanam autem Eccleſiam, editâ in Biturigibus, autoritate Regis Caroli VII & omnium Regni illius Ordinum *Pragmaticâ ſanctione*, decreta Baſilienſis concilii magno bono recepiſſe, probaviſſe, & mordicus uſque ad Leonis X ætatem, nullis Pontificum artibus ſe deludi paſſam, defendiſſe. Qua de re pluribus agunt cum alii tum Franciſcus Duarenus *de ſacris Eccleſiæ miniſteriis Lib. V. cap. XI*, Marcus Antonius de Dominis *Lib. III. cap. XII & lib IX. c. IIX & IX &* P. Puteanus ſingulari libello.

LXXXIII. Non pari conſtantia verò cum Gallis Germani noſtri Baſileenſis Concilii decreta obſervaverunt, ideoq; & illorum fructu privati ſunt. Enimverò erat Concilium illud non minùs ac Conſtantienſe in Germania celebratum, canones ejus à Germaniæ quoque Epiſcopis fuerant conditi, in illos à Cæſare pariter & Principibus, teſte Ænea Sylvio, fuerat conſenſum, & tamen ipſo adhuc durante Concilio illaudabili levitate ab iis ſeduci ſe noſtri paſſi ſunt. Aliquamdiu Epiſcopis nonnihil profuit, poſt Felicem Antipapam creatum, iſta quam dixerunt *Neutralitas*, nec Eugenii ſcilicet nec Felicis verba illis attendentibus. Quæ libertas Romanæ Curiæ perquam moleſta fuit. Æneas Sylvius adhuc Poëta ita ſcripſit p. 65. *Neutralitas difficulter aboleri poteſt, quia pluribus utilis eſt. Pauci ſunt qui verum ſequantur, omnes ferè quod ſuum eſt quærunt. Placet hoc novum Neutralitatis aucupium: quod ſeu injuſte quis teneat repelli non poteſt. Et ordinarii pro ſuo arbitrio conferunt beneficia. Non eſt facile (crede mihi) ex ore lupi prædam*

prædam eripere. Sed quantum ſentio, tota Chriſtianitas Eugenii ſequitur partes, Germania tantùm diviſa eſt. Epiſtola 72 ait de Noribergenſi dietâ. *Res turbulentæ ſunt, diverſi animi. Quoſdam delectat Neutralitatem habere, quod novum eſt aucupium. Poſſeſſores unionis ſunt hoſtes, quod jus nolis reddi vellent.* Ubi meretur notari, jam tum antehac Bonifacii IX ætate Neutralitatem Galliæ Epiſcopos quammultos amplexos. *Permanavitque* (ait Crantzius l. x. cap. 44 Metrop.) *ea Neutralitas in partes Flandriæ & Brabantiæ. Unde civitas Leodienſis inuſitatis gratiis à Papa Bonifacio collectis mota eſt, ut & ipſa a Bonifacio recederet & Neutralitatem amplecteretur.* Unde liquet, hoc exemplum Germanos noſtros, Eugenio & Felice de Papatu contendentibus, ſecutos. Cæterùm & hæc Neutralitas ſublata eſt. Quod qua ſit ratione factum, haud abs re fuerit Platinam heic audire. Qui in hiſtoria rerum Eugenii, cum dixiſſet ab Eugenio in Germaniam miſſum Thomam Sarzanum qui poſt Nicolaus V Papa audiit, & Ioannem Carvagiallam, *ad tollendum Baſilienſe Concilium Neutralitatemque,* ſubjungit. *Neutrales enim ideo Germani ſunt dicti, quod neque Felicis neque Eugenii dictis obtemperarent. Quas ob res Eccleſia Dei multas & maximas calamitates incurrebat, cum imminutione majeſtatis Pontificiæ. Hac autem de re pluribus in conventibus apud Fridericum Romanorum Regem eſt diſceptatum, Ænea Picolhomineo, qui deinceps Pontifex fuit, quique tum Regis Secretarius erat, ad tantam rem tamque neceſſariam longis orationibus omnes adhortante. Difficile quidem erat removere Germanos ab opinione ſua, falſa præſertim. Difficile item videbatur perſuadere Eugenii Oratoribus, ut poſtulatis Germanorum obtemperarent. Tandem vero debilitata Oratorum ſeveritate, & caſtigatis*

nent hæc Æneæ jam Cardinalis quæ habentur in Epiſtola CCCLXXXIII ad Martinum Majer Cancellarium Moguntinum, qui conqueſtus erat, *quod decreta Conſtantienſia & Baſileenſia, compactataque Nationis minime obſerventur. Dicimus tibi,* inquit, *dignum eſſe ut Compactata cum veſtra Natione ſerventur. Verùm cùm dicis, decreta Baſileenſis Concilii non cuſtodiri, idque putas injurioſum eſſe Nationi, indignam eſſe dicimus querelam tuam. Propter decreta enim Baſileenſis Concilii inter Sedem Apoſtolicam & veſtram Nationem diſſideri cœpit: cum vos illa prorſus tenenda diceretis, Apoſtolica vero Sedes omnia rejiceret. Itaque fuit denique compoſitio facta, in quo Nos Imperatorio nomine interfuimus. Ea certam legem dedit deinde inviolabiliter obſervandam. Per quam aliqua ex decretis prædictis recepta videntur, aliqua rejecta. Itaque non juſte agis, ſi per omnia ſervanda eſſe Decreta contendis.* Hæc Æneas, & hactenus quidem rectè. Reapſe enim Concordatis enervata eſt auctoritas Baſileenſium Decretorum quoad res quidem Germanicas: & Imperatorio nomine illa Concordata ipſe confecit Æneas. Albertus Crantzius de illis Friderici Imperatoris factis ita judicavit. l. XI Metropol. c. 30. *Laus egregia Friderici, pacem Eccleſiæ reddidiſſe: ſed aliquanto major, ſi hoc adjeciſſet operi ſuo, ut auro provinciæ non emungantur: velut ipſe pater patrum ex auro quod ex annatis corradit, Chriſtianiſſimum tutaretur, non ſuos nepotes glorificaret.* Non deſunt porrò, qui negent, Concordata iſta unanimi Principum Eccleſiaſticorum Germaniæ conſenſu initiò ſtatim fuiſſe conſtituta aut roborata. Id ſanè narrat etiam Caſpar Hedion *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* lingua vernacula conſcriptæ *l. XI cap.* 21 urgetque accerrime. Per quoque veroſimile id redditur iis, quæ Platina *in vita Pii* narrat contigiſſe ſtatim ab obitu Nicolai V. Viuetur ex re futurum, ſi

rum, ſi locum illum huc integè adducamus: præſertim quoniam inde manifeſtum ſimul fit, quàm frivolis & ineptis, imò improbis, rationibus Fridericus III Imperator ab Ænea ſuo à Secretis conſiliis ſeduci ſeſe ſit paſſus, ut juſtiſſimas Epiſcoporum noſtrorum preces eluſerit. Verba Platinæ hæc ſunt, cum narraviſſet, conventum Imperii procerum in Novacivitate fuiſſe ab Imperatore inſtitutum de bello Turcico. *Nec aberat à ſpe perficiendæ rei, cum ſubito nunciatum eſt, Nicolaum Pontificem vitâ migraſſe. Cujus in morte diſturbata ſunt omnia. Nam & conventus ſolvitur, & Germani rerum novarum cupidi perſuadere Imperatori annixi ſunt, ne Pontificibus ampliùs obtemperaret. Quod dicerent, Germanis longè pejorem conditionem eſſe quàm Gallis vel Italis: quorum ſervi, Italorum imprimis, ni res immutarentur, meritò eſſe dicebantur. Nec certè procul abfuit, quin Imperator tumultuantibus obſequeretur. Quo minùs autem id fieret, graviſſima Æneæ autoritas interceſſit. Cujus hæc fuit apud Cæſarem ſententia. Inter Principes etiam de magnis rebus inter ſe diſſidentes pacem aliquando & amicitiam componi poſſe. At inter Principem & Populum immortale odium ſemper interveniſſe. Quare dicebat, ſatius ſibi videri cum Pontifice ſentire, quàm eorum cupiditatibus obtemperare, quorum mentes non ratione ſed appetitu & cupiditate ducuntur. Motus hac ratione Imperator, ſpretâ populorum poſtulatione, Æneam oratorem delegit qui ad Caliſtum mitteretur. Is autem Romam profectus, cum Friderici juramentum Pontifici de more exhibet &c.* Hactenus Platina. Liquet autem, ſi ex omnium ſententia juſto modo Concordata fuiſſent compoſita, tale quid quale hic narratur Epiſcopos Germanicos non potuiſſe Cæſarem poſtulare: neque opus fuiſſe Æneæ illo improbo conſilio, cum potuiſſet is ad rite conſtitutam tranſactionem Epiſcopos tu-

multum

multuantes rejicere. Liquet etiam, iniquis Æneæ artibus auctoritatem Baſileenſis Concilii per Germaniam convulſam, & ejus in locum *Concordata* quæ appellantur recepta eſſe. Et verò quicquid tunc temporis conati fuerint pro libertate ſua, Gallicorum more, Germaniæ Epiſcopi, vim legis publicæ Concordata jam ex eo tempore impetraverunt, Baſileenſium decretorum omni reverentia exutâ. Ingens ſanè eſt diſcrimen inter hæc Concordata & Gallorum Pragmaticam ſanctionem. Vt proinde haud immeritò ex eo uſque nonnullis audierit Gallia quidem *Regnum libertatis*, Germania autem *Regnum obedientiæ*.

LXXXIV. Tametſi verò Concordata, ceu diximus, pluſimum à rigore Pragmaticæ ſanctionis Gallicæ & Baſileenſis Concilii decretis receſſerint, adeoque perquam multum in Germaniæ clerum Romanæ Curiæ indulſerint, nunquam tamen etiam intra illos limites Romani ſeſe continuerunt. Ipſo ſcilicet adhuc vivo Nicolao Papa eam ob cauſſam tumultuatum fuiſſe in Germania, paulò ante ex Platinâ intelleximus. Longè minus Calliſto III Papa eſſe Concordata obſervata, abunde liquet ex Epiſtolis Æneæ Sylvii, quas jam Cardinalis & proprio & Pontificis Calliſti nomine conſcripſit. Pertinent huc epiſtolæ 319. 323. 334. 345. 348. 349. 351. 352. 364. 370. 383. 385. operis Epiſtolici, quale prodiit Norimbergæ anno 1486. aliæ enim editiones aliter numerant. Sed & hoc notatu eſt dignum, iſthac tempeſtate haud defuiſſe in Germaniâ, qui iniquitate Curiæ adducti ipſammet Papalem dignitatem in dubium vocaverint. Quibus proinde oppoſuit Æneas epiſtolam prolixam trecenteſimam primam ad Martinum Majer Cancellarium Moguntinum exaratam. Incipit ſane illa hiſce

verbis. *Sunt nonnulli nationis tuæ homines parùm penſi habentes; quibus Romani Pontificis auctoritas neque neceſſaria eſſe videtur, neque a Chriſto inſtituta. Contra quos hanc epiſtolam ſcribere & tibi transmittere decrevimus: ut ſi quando tales homines te adierint, habeas ex nobis quo gladio eorum temeritatem confodias.* Porrò nec Pium ipſum Concordata iſthæc eâ qua par erat religione obſervaſse, vel una doceat controverſia de Nicolao Cuſano Cardinali, cui Pius in *commendam*, ceu vocant, dederat Epiſcopatum Brixinenſem. Rem omnem paucis perſequutus eſt Cranizius l. 12 Wandaliæ cap. 24. Vnde quam maxime ſaltim hæc paucula huc adferri commerentur. *Quum veniſſet Cardinalis de Cuſa ad eccleſiam ſuam Brixinenſem in Alpibus, deque illa diſponere voluiſſet pro veteri Pontificum jure, non eſt paſſus Sigiſmundus Dux Auſtriæ, ut ea in Germaniam tenderetur conſuetudo, quod Romani Cardinales Eccleſias Germaniæ haberent in commendis, quomodo Abbatias & Monaſteria Italiæ Galliarum Hiſpaniæ Angliæ: quæ una cauſſa eſt, in eis provinciis creari Cardinales, non in Germaniâ &c.* Quemadmodum porrò imperante Maximiliano I Concordatis fuerit contraitum, diſcere eſt ex libello Gravaminum tunc condito. Inſertus ille eſt à Marquardo Frehero *Tomo ſecundo ſcriptorum rerum veterum Germanicarum pag. 373 uſque 390*, ut & *Tomo Secundo Conſtitutionum Imperialium* a Melchiore Goldaſto. Multæ etiam de Curiæ Romanæ contraventionibus querelæ reperiuntur in Gravaminibus, quæ ſuperiore ſeculo Norbergæ exhibita ſunt à Germaniæ Ordinibus Adriani VI Papæ Nuncio. Quæ à Lutheranis in odium Papæ eſſe conficta, contra publicorum Actorum fidem cum alii tum etiam Bellarminus aſſerit. Et verò omnium uno quaſi ore

quere-

querelas ejusmodi eſſe fuſas, & conquerendi cauſam nunquam hactenus ceſſaviſſe, liquidum eſt ex ipſis Capitulationibus Cæſareis à Carolo V usque. Ita enim ſeſe habet Capitulationis illius Carolinæ articulus XVI. Und als über und wider die Concordata Principum, auch auffgerichtete Verträge/ zwiſchen der Kirchen / Päbſtlicher Heiligkeit/ und dem Stuel zu Rom/ und Teutſcher Nation, mit unſeglichen gratien, reſcripten, Annaten der Stifft / ſo fort täglich mit Mannigfaltigung und Erhöhung der officien, im Römiſchen Hoffe / auch reſervation und diſpenſation, und in andere Weg / zu Abbruch der Stifft-Geiſtligkeit und anderen gegebenen Freyheiten / darzu zu Nachtheil Juris Patronatus und der Lehensherren / ſtetig und ohn unterlaß gehandelt / derhalben auch unleidliche und verbottene Geſelſchafften / und contract oder Bündniß (als wir bericht) fürgenommen und auffgerichtet worden / das ſollen und wollen wir mit der Churfürſten / Fürſten / und andere Stände Raht / bey unſern heiligem Vater dem Pabſt und Stuel zu Rom / unſers beſten Vermögens abwenden und fürkommen / auch drob und daran ſeyn / daß die vorgemelten Concordata Principum und auffgerichte Verträge / auch Privilegia und Freyheiten / gehalten / gehandhabet / denen feſtiglich gelebet und nachkommen werde. In Capitulatione Ferdinandi I addita eſt hæc clauſula: Jedoch wann Beſchwerungen darinnen befunden und Mißbrauch entſtanden / daß dieſelbe Verträge / deßhalb gehabter Handlung zu Augſpurg / der minder Zahl dreiſigſten Jahr gehaltenen Reichstags / abgeſchafft / und hinführo dergleichen ohne Verwilligung der Churfürſten nicht zugelaſſen werden. Quæ clauſula omiſſa quidem in Capitulatione Maximiliani II, repetita tamen eſt unà cum præcedente Capitulationis Carolinæ articulo in omnibus ſequentibus.

LXXXV. Quemadmodum verò noſtri perpetuò hactenus fuerunt conqueſti, de non obſervatis Concordatis, ità nec Pontifices Romani noſtros incuſare haud dubitaverunt. Exſtant in eam ſententiam duæ cumprimis celebres bullæ: altera Clementis VII Papæ, altera Gregorii XIII: fortaſſis & plures aliæ ſunt editæ, quæ tamen in manus meas haud pervenerunt. Prior inſcribitur *Clementis VII conſtitutio de Prælatis & Principibus uſurpantibus diſpoſitiones beneficiorum Sedi Apoſtolicæ reſervatorum, aut impedientibus Sedis Apoſtolicæ Proviſiones, contra formam concordatorum inter eandem Sedem Apoſtolicam & Nationem Germaniæ.* Poſterior: *Declaratio Gregorii XIII ſuper Concordatis Germaniæ, Quod Ordinarii collatores prætextu literarum Nicolai Papæ V pro Concordia Germaniæ, conferre non poſſunt Beneficia Eccleſiaſtica poſt tres menſes ex quo vacarunt, ſi de illis intra hoc tempus à Sede Apoſtolica proviſum eſt.* Vtramque præmiſit Georgius Branden *libro de Concordatis* primùm Romæ dein & Coloniæ Agrippinæ edito, addidit verò ſuis *Inſtitutionibus juris Canonici* Henricus Caniſius: & in VII Decretalium l. II. tit. XI Petrus Matthæus retulit. Juſtæ an injuſtæ ſint illæ Pontificiæ Conſtitutiones, utrum item & inquantum ſint admiſſæ, utrum præterea obſerventur hodiè an non, diſputare alienum eſt ab hoc loco. Per autem veroſimile videtur, non minùs de harum quam de ipſorummet Concordatorum neglecta obſervantia, illas in Capitulationibus Cæſareis querelas hactenus inſtitutas eſſe.

LXXXVI. CAETERUM tempus monet ſeponere omnia, & paucis tandem narrare, quid nunc temporis, ſaltem circa Epiſcoporum conſtitutionem, in Germaniâ noſtra obtineat. Hodie igitur omnes omninò Epiſcopi in Germania

niâ conſtituuntur vel Electione, vel Poſtulatione, vel Collatione quæ fit à ſolo Pontifice. *Electio* quid ſit, qui ritus in eâ obſerventur, quot modis fiat, per ſcrutinium videlicet, vel per compromiſſum, vel inſpirationem divinam quæ vocantur, ex Corpore Juris Canonici facilè peti poteſt. Ex eo autem præter alios quamplures omnia breviter excerpſere Lancellottus & Henricus Caniſius in *ſuis Inſtitutionibus*, Duarenus *de Sacris Eccleſiæ miniſteriis lib. V. cap. 1* & ex noſtris Joachimus ac Matthias Stephani, præclari fratres, in ſuis de *Jurisdictione* ſcriptis: Hic *lib. III Part. 1. cap. IX*; Ille verò *lib. IV cap. XII.* Quos conſulat, qui illa ſcire volet. Mihi his immorari integrum non eſt. *Poſtulatio*, quæ puriori Eccleſiæ incognita, ſequiori dein ævo in fraudem legis inventa eſt, quid ſit, iidem quos ante nominavi doceant. Cum verò Poſtulatio nihil ſit aliud, quam ejus qui eligi ſalva canonum auctoritate non potuit, apud ſuperiorem concors Capituli petitio, ſuperior autem ſolus habeatur Pontifex Romanus, nec Imperator ſibi ullum tale quodpiam impedimentum removendi poteſtatem tribuat, patet diſpenſationem ordinariè quidem à ſolo Papa petendam eſſe. Liquet verò etiam hinc, quare hactenus Pontificii Epiſcopos Proteſtantes nec in Epiſcoporum ordinem, nec ad ſeſſionem & ſuffragia in conventibus Imperii Ordinum ferenda admittere voluerint. Quia nempe ex pacto cum Nicolao inito, quod vim quaſi legis obtinet, Epiſcopis Germaniæ confirmatio Româ petenda, & diſpenſatio quoque, ſi quis Poſtuletur Epiſcopus, ab eodem Pontifice Romano impetranda eſt; cum Epiſcopi Proteſtantes, ſive Electi ſive Poſtulati, utrumque petere, repulſæ certi, negligant, arbitrantur Pontificii, deeſſe alteris aliquid, quo ſine in

Epiſcoporum Germaniæ numero haberi minimè poſſint. Nec verò fortaſſis ullum, niſi unius Henrici Julii Halberſtadenſis Epiſcopi, ſive Confirmationis ſive Poſtulationis in Curiâ Romanâ probatæ exemplum habetur. Eſt autem & illud factum in certam ſpem ab avo Henrico Juniore Duce factam Papalis θρησκείας. Quid vero rectè, quid ſecus fiat, item, an etiam Paſſavienſi Receſſu à capeſſendis Epiſcopatibus excluſi ſint Proteſtantes, nunc diſſerendi non eſt locus. In Proteſtantium porrò terris longè aliter ſe res omnis habet. Epiſcopales nempe Principatus nonnulli in provincias ſeculares, quales reapſe ſunt, redacti, vix alicubi nomen Epiſcopatus reliquum habent. Jura Epiſcopalia (ita enim Paſſavii primùm, dein Auguſtæ convenit,) Principum ſecularium hodie ſunt in ſuis territoriis, quorum nomine ea exercentur a Conſiſtoriis. Epiſcoporum nomen in Principum Proteſtantium terris in deſuetudinem abiit, ſucceſſit Superintendentū, voce Latinâ idem quod eſt Epiſcopus ſignificante, appellatio, quos alibi quoque Præpoſitos alibi Inſpectores alio nomine nuncupant. Superintendentes dein, alii Generales ſunt, alii Speciales. Hos Epiſcopos, illos Archiepiſcopos vocare fortaſſe poſſis. Quibus nonnunquam alius aliquis præeſt, qui Generaliſſimus dicitur, quem Primatem forte haud injuriâ dixeris. Eorum præterea inſtituendorum non una eademque ubivis eſt ratio, ſed multiplex ac diverſa. Vt ſatius fortè ſit hæc prætermittere, quàm vel, incerta vel multa de iis heic ſcribere. Certè omnia heic exponere nimis foret operoſum.

LXXXVII. IGITVR id, quod mei erat inſtituti, quomodo Epiſcoporum Germaniæ conſtitutio cùm olim ſe habuerit, tum nunc quoque ſe habeat, jam conſtare arbitror. Reliquum eſt paucis nunc addere, an hæc, quæ hodie obtinet, conſtituendi Epiſcopos ratio, utilis

ſit

ſit Germaniæ noſtræ, vel ſi utilis illa non eſt, quænam fortaſſis maxime ex uſu ſit reipublicæ. Heic verò initiò monendum eſt, non reperiri legem aliquam ſive naturalem, ſive divinam, de Epiſcoporum per Eccleſiam conſtitutione; ſed omne hoc negotium humanæ eſſe prudentiæ commiſſum, modò ſemper attendatur illud: *in Eccleſia oportere omnia fieri ordine & decenter.* Leges itaque Eccleſiaſticæ ſive veteres ſive novæ hujus argumenti ſunt poſitivæ: eòque aut noſtra tempora aut Germaniam non aſtringunt & obligant. Et verò ita ſemper fuiſſe creditum, certiſſimo argumento eſt, illa magna Eccleſiaſticarum legum hac de re varietas & multitudo. Saltim Pontificii omnes neceſſum eſt hoc fateantur, ſi velint tueri ſui ſtatus juſtitiam, utpote cum hodiernæ Eccleſiæ Papales toto ferè cœlo à priſcæ & primitivæ Eccleſiæ inſtitutis differant. Nec verò queunt illi prætendere in hiſce etiã, id quod Papa ſibi arrogat jus divinum *paſcendi oves.* Vtut enim largiaris tale aliquod jus Papæ ſoli competere, non pertinet tamen illa paſtio ad jura ea quæ Papæ exercent circa conſtitutiones Epiſcoporum, aut ad tributa ex bonis ſacris capienda. Hæc enim perquam nova ſunt, & antehac ab initio uſque Eccleſiæ Chriſtianæ, à Papis nunquam vi ſui divini vicariatus vel ſunt poſtulata: nunquam à quoquam eum in ſenſum accepta. Etiam hæc ergo omnia merè ſunt ab humanis inſtitutis profecta; ne quid nunc repetam, per quantum nefas illa cœperint, & obtruſa ſint cum aliis tum etiam Germaniæ noſtræ Eccleſiis. In univerſum igitur ſaltem nulla lex divina prohibet, iſthæc omnia quæ nunc obtinent mutare. Quemadmodũ autem cuncta Eccleſiaſtica, atque adeo & Epiſcoporum conſtitutiones, in civili hominum ſocietate habere ſeſe debeant illud omne quàm maximè eſt ex commodo reipublicæ definiendum;

perinde

perinde atque faciendum eſt de omnibus civilibus inſtitutis. Quapropter nos etiam nunc de ratione conſtituendi Epiſcopos diſſeremus habito duntaxat reſpectu ad uſum & commodum Imperii Germanici. Quoniam verò eorum quæ utilia ſunt reipublicæ, alia ἁπλῶς conducunt ad id ut reſpublica aliqua ſit perfecta, alia autem pro diverſâ temporis rerumque conditione, etiam nos temperabimus conſilium: *primum* dicturi, quid exigat Imperii ſtatus aliquis perfectus, *deinde* quid ferant res noſtræ

LXXXIIX. Quod *primum* attinet, nemini non civilium rerum perito eſt notiſſimum, ad perfectionem cujuslibet reipublicæ alia inter hoc etiam omninò eſſe neceſſarium, ut civitas ſit αὐτόνομος αὐτόδικος & αὐτοτελὴς *ſuis utens legibus judiciis & magiſtratibus*: quæ verba ferè ſunt Thucididis. Præclare autem nonnulla in eandem ſententiam docuit pridem Ariſtoteles *l. 4. polit. cap. 14.* Si ergo reſpublica Imperii Germanici verè perfectum aliquod corpus eſt, manifeſtum fit, ut nulli alii extero Principi ita nec Pontifici Romano concedi poſſe, ſalvâ Imperii majeſtate, ut vel leges præſcribat, vel judicet de controverſiis ſive perſonalibus ſive realibus eorum qui cives ſunt Imperii hujus, vel denique circà magiſtratuum Imperii rerum conſtitutionem ullum aliquod jus exerceat. Quapropter neutiquam fas eſt Germaniam noſtram aſtringi ullis legibus Romanorum Pontificum, niſi forte earum nonnullas ſponte ſuâ acceptaverit Germania ſectandas; etiam illas autem non minùs atque alias poſitivas leges mutari poſſe & debere, pro arbitrio atque ex uſu reipublicæ. Nulla proinde & eorum quæ in Corpore Iuris Canonici de Epiſcoporum ſive electione, ſive confirmatione, ſive poſtulatione, aut uno verbo de conſtitutione Epiſcoporum, agunt inſtituta, Germaniam obligant, ſed tolli è medio &

pos-

poſſunt & debent, quandocunq; fuerit commodum. Neutiquam Secundò cauſſæ Epiſcoporum & aliorum, quæ hactenus fortè ad forum Romanum ſunt tractæ, etiamſi perſonales duntaxat fuerint, alibi quam intra Imperii Germanici limites, aut ab aliis quàm quos Imperium conſtituit judicibus arbitrandæ ſunt. Quandoquidem Tertiò Epiſcopi reapſe ſunt potiſſimi Germaniæ noſtræ magiſtratuum, & quidem partim in Eccleſiaſticis inquantum ſunt Epiſcopi; partim in ſecularibus, ut vocant, in quantum ſunt Principes, idque non ſolùm in ſuis privatim territoriis aut diœceſibus, ſed etiam in univerſo Imperio, quatenus videlicet in publicis Ordinum Imperii conventibus non tantùm conſultandi ſed etiā conſtituendi ea quæ ad totum pertinent rempublicam fruuntur jure, quin imò hactenus particpes quodammodo ſunt ſummæ poteſtatis civilis: nullo modoferendum eſt, ut Papa Romauus interdum conſtituat integrè Epiſcopum, ceu ſolet, quando in Curiâ Epiſcoporum aliquis moritur. Imò nefas eſt, ut penes illum ſit jus vel confirmandi Epiſcopos, & dandi pallium Metropolitanum. Ne quid nunc dicam de Proviſionibus Reſervationibus & Gratiis expectativisRomanis In reipublicæ profectò injuriam inſignem cedit illud in titulos Epiſcopales receptum: *Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia.* Multò maximè intolerabilia ſunt Romana vectigalia, quocunque etiam nomine appellaveris; & in univerſum quæcunque in bona Epiſcopalia aut ſacra hactenus ſibi aliquamdiu arrogaverunt Romani Pontifices. Non certe ulla ſui juris reſpublica unquam olim talium quidquam admiſiit.

LXXXIX. Ex iis porrò quæ jam tum attulimus liquet, ab Hildebrandi uſque tempeſtate invaluiſſe, ut Epiſcopi Germaniæ ligio penè ſacramento Papis adſtringantur:

gantur. Vſque id adeo ſane hodiè apud nos receptum eſt, ut ſi quiſpiam id juramentum præſtare nolit, nec Epiſcopus Pontificiis habeatur nec Imperii civis. Hinc vero ſingulare periculum ſaltim illis Imperii civibus qui Proteſtantes audiunt imminet. Sanxit ſcilicet Pius IV, ne quiſquam ad cathedrales aut quaſcunque alias Eccleſias admittatur, niſi priùs profeſſionem fidei ediderit, & Pontifici veram obedientiam ſpoſponderit ac juraverit. Papa verò, cum Proteſtantes hæreticos dicat, diris devoveat, & ex præſcripto Pauli IV & Pii V, (quorum bullæ exſtant in *VII Decretalium lib. V Tit. III*) fortunis & honoribus exuendos pronunciet, quid turbarum in Imperio futurum ſit, ſi Pontifici morem gerant Epiſcopi, in aperto eſt. Non minus autem diſcrimen impendet, ſi quando Pontifex, ut factum ſæpiùs eſt, vel anathematis fulmine vel bello Imperatorem petat, finitimoſque Principes fœdere ſibi jungat. Aut Imperatoris ſanè aut Pontificis caſtra ſequenda fuerint Epiſcopis. Cujus autem potiùs ſecuturi ſint, haud certò dixerim. Id conſtat, plerumque antehac in Germaniâ Epiſcopos à pontifice contra Imperatorem magno noſtræ Germaniæ malo ſtetiſſe. Beatior igitur indubiè fuerit reſp. noſtra, ſi omni illo Pontificum jugo exsuſſo, in eam libertatem aſſeratur quam olim habuit. Cum ſanè Hiſpaniæ, Daniæ, Sueciæ, Bohemiæque reges, & Duces Armoricæ olim noluerint ſuarum dationum Epiſcopos Metropolitano alterius regni ſubditos eſſe, idque juſtitiæ eſſe conſentaneum Papæ ipſimet probaverint, in promtu eſt, quid Germaniæ noſtræ ſit faciendum, cum Pontifex hodie Princeps ſummus ſit & abſolutus, & à viris armis fœderibuſque inſtructiſſimus.

II. LXXXIX. Magiſtratuum *porro* ſaltim potiſſimorum creationem in qualibet benè conſtitutâ republicâ in ſumma-

ſummæ poteſtatis civilis poteſtate ſitam eſſe oportere, quaſi ἀξίωμα eſt Politicum. Hinc verò conſequens eſt, abs ratione eſſe id quod apud nos obtinet (ſi licet fateri id quod res eſt): quod nempe collegia Cathedralium Canonicorum eligant eo qui & Eccleſiaſtico funguntur ampliſſimo magiſtratu, & ſimul Principali fruuntur dignitate. Nec verò eſt quod objicias conſuetudinem primitivæ Eccleſiæ: quaſi ſcilicet tunc temporis Epiſcopos plebs clero juncta conſtituerit. Etenim nullus Epiſcoporum tunc Principem quoque ſecularem egit: Epiſcopalis præterea poteſtas atq; autoritas ejus ævi toto penè cœlo differt ab eâ quæ hodiè obtinet. Adhoc quæ tunc contigere à neceſſitate quaſi imperata ſunt: propterea quod Imperatores eorumque magiſtratus Chriſtianos cœtus omnes, adeoque & eorum Epiſcopos, non tantùm improbaverint & vetuerint, ſed etiam crudelibus ſuppliciis ſint perſecuti: ſimulac vero illi Chriſtianis ſacris acceſſerunt, Epiſcoporum conſtitutionem juris ſui eſſe crediderunt. Tanto magis autem poſterius illud nunc obſervandum, quanto major eſt Epiſcoporum nunc potentia Planè porro abſurdum & ab omnis benè compoſitæ reipublicæ moribus alienum eſt, integras Principales poteſtates, & cum primis quidem quales illæ ſunt in Germania, parum infra Regias ſeſe habentes, ab hominibus aliquot privatis & imbellibus (cujuſmoqi utique ſunt Canonici cathedrales) ex arbitrio aliis ſui ordinis committi. Longè abſurdiſſimum, illas electiones fieri nullo prævio impetrato Cæſaris conſenſus, nullâ etiam ejus ſubſequente confirmatione. Quod ſi autem, ceu par eſt, à Cæſaribus conſtituerentur Epiſcopi & ſacri illi Principes, rediret quadamtenus Cæſaribus ſua juſta auctoritas, & priſtina jura reſtituerentur nonnihil in integrum.

III. XC. Exigit *præterea* reipublicæ cujuslibet felicitas, ut niſi extrema aliud jubeat neceſſitas, munera publica diverſa diverſis perſonis committantur. Idque quandoquidem hac ratione optimè ſingula poſſunt expediri. Secùs quàm fieri plerumque poteſt, ſi uni plura & diverſe veniant agenda. Adhoc ſi divididantur munia illa, plures afficiuntur honoribus publicis: id quod amorem multorum erga rempublicam parit, & ſimul conſentaneum magis eſt juſtitiæ, utpote quæ exigat ut æqualia æqualibus tribuantur, quod non fit quando ſpretis aliis honore dignis in paucos complura cumulantur. Quod ſi porrò officia reipublicæ conjunctam habeant potentiam, multò maxime tunc intereſt ut ſejungantur: ne ſcilicet a conjunctâ inſigni potentiâ periculum reipublicæ creetur, vel ſaltim illi in quos ejuſmodi ſunt magiſtratus cumulati, ſummæ poteſtati civili minùs juſto obtemperent. Quapropter ex re etiam fuerit Germaniæ, non permittere, ut unus præterquam uni Epiſcopatui præfiniatur: aut ut præter Epiſcopatum Abbatias varias ſibi quis accumulet. Et verò jam ſupra docuimus, intra ducentos demum proximos annos, contra Canones antiquos & perpetuam veteris Eccleſiæ conſuetudinem, cumulationem Epiſcopatuum incœpiſſe; nec in ſacros ſed Profanos duntaxat uſus. Quam moleſta autem, imò quam pernicioſa ex eo fuerit plerumque paci publicæ & Ordinum mutuæ concordiæ illa Epiſcopatuum cumulatio, & hinc ſæpenumero nata nimia paucorum potentia, docent rerum Germanicarum hiſtoriæ, ne nunc ad ipſa hæc noſtra tempora provocemus. Conſtat item, quemadmodum illâ ipſâ ratione multis in provinciis & ſacra pariter & ſecularia ſint curata: complures porrò qui honores & dignitates publicas meruerunt, iniquè fuiſſe deſpectos.

XCI.

XCI. Intereſt *poſtremò*, circa controverſiam, recte conſtitutæ reipublicæ, ne ſaltim illi magiſtratus quorum functiones ſeſe mutuò impediunt uni committantur. Jam verò ἀδύνατον videtur, ut rite faciat officium ſuum is Epiſcopus qui curâ & adminiſtratione rerum temporalium quæ appellantur (quales utique ſunt in quibus munus Principis verſatur) eſt deſtrictus: viciſſim is qui Principis officio rectè fungi velit non poteſt eâ quâ decet curâ agere Epiſcopum. Et verò ipſe pridem id vidit ac monuit ſanctiſſimus Apoſtolus Paulus 2 *Timoth.* 2. *Nemo*, inquiens, *qui militat implicatur hujus vitæ negotiis.* In Canonibus porrò qui Apoſtolorum nomen præ ſe ferunt etſi ſeriùs ſint conſcripti, Canon VII ita ſonat: *Epiſcopus aut Presbyter aut Diaconus nequaquam ſeculares curas aſſumat: ſin aliter, dejiciatur.* Canon quoque XXCI ſic ſeſe habet: *Diximus, quod non oportaat Epiſcopum aut Presbyterum publicis ſe ad miniſtrationibus immiſcere, ſed vacare & commodum ſe exhibere uſibus Eccleſiaſticis. Nemo enim poteſt duobus dominis ſervire, juxta præceptum dominicum.* Legi merentur de hoc argumento quæ ipſemet Bellarminus admonuit nepotem ſuum Theanenſem Epiſcopum libello, quo docet, *quæ neceſſaria ſint Epiſcopo, qui verè ſalutem ſuam æternam in tuto ponere velit.* Nos hoc loco non poſſumus non adducere ſaltim illa, quæ ipſemet Paſchalis II Papa, quo tempore cum Henrico V Imperatore contractu inito omnibus Regalibus bonis Epiſcopos voluit renunciare, ad Imperatorem illum perſcripſit ſingulari epiſtolâ, quam conſervavit Dodechinus: quia præſertim à quàm pauciſſimis hodiè ſolet legi. Habet autem illa ſeſe hunc in modum. *Paſchalis Epiſcopus, ſervus ſeruorum Dei, dilecto filio Henrico Regi & ejus ſucceſſoribus Imperatoribus, &c. Divinæ legis inſtitutionibus ſancitum eſt*

tum eſt, & ſacris canonibus interdictum, ne ſacerdotes curis ſecularibus occupentur, neue ad comitatum, niſi pro damnatis eruendis, atque pro aliis qui injuriam patiuntur, accedant. *Vnde & Apoſtolus Paulus inquit, Judicia ſi habueritis, contemtibiles qui ſunt in* Eccleſia, *illos conſtituite ad judicandum. In veſtri autem Regni partibus* Epiſcopi *vel abbates adeo curis ſecularibus occupantur, ut comitatum aſſiduefrequentare, & militiam exercere cogantur. Quæ nimirum aut vix, aut illo modo, ſine rapinis, ſacrilegiis, incendiis, aut homicidiis exhibetur. Miniſtri vero altaris, miniſtri curiæ facti ſunt: qui civitates, ducatus, marchionatus, monetas, turres, & catera ad Regni ſervitium pertinentia à Regibus acceperunt. Vnde etiam mos* Eccleſiæ *intolerabilis inolevit, ut electi* Epiſcopi *nullo modo conſecrationem acciperent, niſi priùs per manum Regiam inveſtirentur. Aliquando etiam vivis* Epiſcopis *inveſtiti ſunt. His & aliis plurimis malis, quæ per inveſtituram plerumque contigerant, prædeceſſores noſtri Gregorius VII, & Vrbanus II, felicis memoriæ Pontifices, excitati, collectis frequenter* Epiſcopalibus *Conciliis inveſtituras illas manus laicæ damneverunt; & ſi qui Clericorum per eam tenuiſſent* Eccleſias, *deponendos; elatiores quoque communione privandos percenſuerunt. Iuxta illud & Apoſtolicorum canonum capitulum, quod ſe ita habet: Siquis* Epiſcopus *ſeculi poteſtatibus uſus eccleſiam per ipſos obtineat, deponatur & ſegregetur, omneſque qui illi communicant. Quorum veſtigia ſubſequentes & Nos, eorum ſententiam* Epiſcopali *concilio confirmamus. Tibi itaque, fili chariſſime, Henrice Rex, & nunc per officium noſtrum, Dei gratia Romanorum Imperatori, & Regno, regalia illa dimittenda præcepimus; quæ ad Regnum manifeſte pertinebant tempore Caroli, Ludovici, Ottonis, & cæterorum prædeceſſorum ſuorum. Interdicimus*

etiam

& ſub annethematis diſtrictione prohibemus : ne quis Epiſcoporum ſeu Abbatum præſentium vel futurorum eadem Regalia invadant, id eſt, civitates, ducatus, marchias, comitatus, monetas, teloneum, mercatum, advocatias, jura *centurionum & turres quæ Regni erant, cum pertinentiis ſuis, militiam & caſtra ; & ne ſe deinceps, niſi per gratiam Regis, de ipſis regalibus intromittant. Sed nec poſteris noſtris liceat, qui poſt nos in Apoſtolica ſede ſucceſſuri erunt, aut te aut Regnum ſuper hoc inquietare negotio. Porro* Ec*cleſias cum oblationibus & hæreditariis poſſesſionibus, quæ ad Regnum manifeſte non pertinebant, liberas manere decrevimus. Sicut in die coronationis tuæ Omnipotenti Domino in conſpectu totius* Eccleſia *promiſiſti. Oportet enim Epiſcopos curis ſecularibus expeditos, curam ſuorum agere populorum, nec* Eccleſiis *ſuis abeſſe diutius. Ipſi enim juxta Paulum Apoſtolum pervigilant, tanquam rationem pro animabus eorum reddituri.* Hactenus ipſemet Papa Paſchalis. Quum ita autem ſeſe res habeat, manifeſtum eſt, expedire etiam Germaniæ, ne Epiſcopi ſimul Principatus adminiſtrent, ſed ſolis vacent negotiis ſacris atque Eccleſiaſticis. Fuit autem jam tum olim hæc ſententia non tam illius Paſchalis II Pontificis, (aliter enim locutus eſt forte ille atque ſenſerit) quàm etiam Henrici V, Friderici I, Ottonis IV & Friderici II, Imperatorum. Nec videtur aliud ſpectaſſe Sigiſmundus Imperator in der Geiſtlichen Reformation, quæ apud Goldaſtum *l. 1. Statutor Imperialium* exſtat, Germanicè verſa per Fridericum Von Landeskorn / Imperatoris Sigiſmundi conſiliarium. Ita vero *cap. IX.* loquitur interpres. Es ſol kein Biſchoff kein Schoß haben / weder Feſt / noch Stadt. Sie ſollen ſitzen auff der Hauptkirchen iegliches Biſthumbs / und ſollen ein recht geiſtlich Leben führen / daß alle Pfaffen an ihn gebeſſert werden / Et *cap. XII.* Ein Ertzbi-

Ertzbiſchoff ſol haben zehen Tauſent Gülden Reiniſch : und ein Suffragani fünff oder ſechs tauſend Gülden. Denique *cap. XXXVII.* Man ſol wiſſen / das notürfftig iſt / als vor geſchrieben ſtet / von den Biſchoffen und Epten / und den Geiſtlichen Häuptern / daß ſie kein Schloß / Veſte / noch Stedt / zwing noch peen haben ſollen / noch recht iſt. Sie ſollen alle ſtehen und fallen an einen Römiſch König zu dem Reich / der ſol ſie zu Lehn machen / den Herren Rittern und Knechten / und Reichſtetten / daß ſie dem Reich beſtendig ſeyn. Trithemus in Chronici Hirſaugienſis Tom. II. MS. teſte Goldaſto in *Rationali*, ubi acerbè hanc reformationem, Huſſitæ, ut ait, conſilio ſcriptam perſtrinxiſſet, ita demum inquit: *Sigiſmundi intentio fuit: ſummo Pontifici, Cardinalibus, Epiſcopis, Abbatibus, Monachis, Clericis legem neceſſaria hujus vitæ poßidendi reſtrictam conſtituere, & unicuique pro conditione ſui ſtatus certam pecuniarum ſummam in annuos ſumptus aßignare; quicquid autem ſuper eſſet Eccleſiæ redituum, ut fiſco importaretur communi, & ad uſus ſervaretur bellicos contra Turcas Chriſti adverſarios pugnandi.* Pòſt Sigiſmundum tamen Imperatorem fortaſſe nemo Cæſarum tale quid auſus fuit vel tentare.

XCII. Quamvis autem ea quæ diximus ad perfectionem Imperii reipublicæ conducant, imò neceſſaria ſint, *res tamen noſtræ quid ferant*, itidem eſt videndum. Atq; *primum* quidem illud de liberanda republica à Roma-
1. ni Pontificis in Eccleſiaſticis dominatu, forte cui videatur partim injuſtum, partim etiam effectu ἀδύνατον. Injuſtum: quia detrahit juribus quæ Romano Pontifici competunt ſi non divino jure, ſaltim pactis conventis aut longi temporis præſcriptione. Impoſſibile: quia ea eſt Pontificis potentia, ut Germania ejus quamvis iniquum jugum excutere nequeat. Verum enimverò nos

hic

hoc quidem loco ſaltim inter αἰτήματα collocamus: nullo divino jure niti Paparum, ſive leges ferendi, ſive judicandi, ſive Epiſcopos ullâ ratione conſtituendi facultatem, quantum quidem Germaniæ res attinet. Prætendi divinum aliquod jus à Papis aliisque nonnullis haud ignoramus quidem, reapſe autem tale jus Papis competere pernegamus: idque tantiſper admitti donec alibi probetur, jam petimus. Inquantum autem Papæ quod prætenditur jus falsò nititur divino beneficio, utique à præſcriptione non adjuvatur. In ejuſmodi enim rebus improbè fictis longum tempus nihil valet. Concedimus nos tamen, quod perdiu Papæ ea quæ ſublata velimus exercuerint, quædam etiam obtineant ex conventione. At verò certum itidem eſt, quod nunquam non pacta violaverint Papæ, quodque pergant in faciendis injuriis. Solutum igitur pridem eſt vinculum pactorum & conventionum. Atque adeo non etiam Germania ampliùs tenetur ſtare illis pactis: imò & in compenſationem infinitarum acceptarum injuriarum æquum eſt, etiam id quod fortaſſe reliquum veri juris Papis eripere. Nullo itaque jure prohiberi, quo minùs Germania libertatem ſibi arripiat, haud eſt dubitandum. Non etiam ea eſt Pontificum potentia, ut per eam haud liceat improbum Romæ jugum excutere. Reapſe enim omnis illa potentia nititur unicè hominum inani ſuperſtitione: quâ ubi animi fuerint purgati, illicò omnis illa patentia ſuapte ſponte evaneſcit: ceu docet experientia exemplis multorum populorum qui in libertatem ſeſe aſſeruerunt. Quamdiu tamen durat in animis erronea illa Pontificum reverentia, fatemur fruſtrà libertatem illam expectari. Id quod itidem multorum ſeculorum populorumque uſus abunde ſatis demonſtrat. Saltim tamen interea temporis par fuerit, uti Cæſares

noſtri haud minus valeant circa Epiſcoporum Germaniæ conſtitutiones, atque obtinent hodiè Galliæ Hiſpaniæ Poloniæ aliique nonnulli Reges, bonâ ipſorummet Romanorum Pontificum pace. Quemadmodum ſcilicet ſaltim Leo V & Adrianus VI, ille Galliæ hic Hiſpaniæ Regibus ultrò concesſerunt, Epiſcoporum Abbatumque quos vocant Nominationes, ſibi ſervata confirmandi poteſtate. Poſſit verò haud leve ad ſuſterſtitioſum Paparum cultum priſtinum, ſaltim minuendum nonnihil, adferri momentum, ſi revocetur in populi animos vetus auctoritas Baſileenſis concilii, quippe quo bona pars Papalis Monarchiæ pridem ſubruta atque everſa eſt. Quò haud immeritò noſtros invitet Sorbonæ & Eccleſiæ Gallicanæ exemplum. Et verò parum fortaſſi etiam nuper abfuit, quin Gallia jugo omni Romano excuſſo proprium ſibi Patriarcham conſtitueret: Perinde atque ſuperiore ſeculo, ſalvâ reliquâ Romana populi ſui religione, ſoli Pontificum dominatui collum ſubduxit Henricus octavus Rex Angliæ.

II. XCIII. *Secundum* quod attinet, Canonicis cathedralibus eſſe quondam ab ipſis quoque Cæſaribus Epiſcoporum electionem conceſſam, eamque ab illis per quadringentos ampliùs annos exercitam, ex iis quæ jam tum docuimus conſtat ſane. At verò factum illud ipſum esſe nullo præcepto divino, & contra primitivæ Eccleſiæ perpetuam conſuetudinem, non minùs eſt manifeſtum. Nihil ergo pro jure quidem Cathedralium illorum collegiorum facit præter legem aliquam poſitivam & uſum diuturnum. Quum in univerſam autem leges poſitivæ & conſuetudines vim omnem ſuam habeant ex arbitrio ſummarum poteſtatum civilium; quod ſi Imperatori & Ordinibus Germaniæ viſum fuerit, impoſterum aliter & magis ex commodo publico electiones Epiſcopales inſtituere, nulla dabitur Cathedralibus illis, quaſi de inju-

tia ſi-

riâ ſibi factâ conquerendi cauſſa. Sed & ipſi illi Cathedrales, quâ ſunt prudentia & probitate, bono Imperii publico non temere adverſabuntur: conſcii cumprimis, civium quorumlibet non opes duntaxat & ejuſmodi quædam levia jura, ſed ipſam quoque vitam, reipublicæ ſaluti adſtricta eſſe. Tam multùm præterea Cathedrales illi accipiunt ex bonis, Imperatorum munificentiâ Imperii fiſco ſubductis, ut hanc levem juris eligendi recuperationem Cæſaribus nequeant invidere Si quæ certè hic fuerit jactura, æquis illa animis poterit meritò tolerari. Perinde atque factum eſt à Cathedralibus in Gallia Hiſpania Polonia & alibi. Imo & in noſtrâ Germania, in locis quibuſam Proteſtantium Principum. Quod ſi tamen præter jus & fas Canonicorum illorum collegium aliquod reluctatum fuerit; non eſt quod ab illorum motu periculi quicquam reſpublica metuat. Nempe *vana eſt ſine viribus ira*: & pluſquam ſatis ad manum Cæſari Ordinibusque Imperii fuerit, quo privatorum aliquot & imbellium hominum pertinacia compeſcatur.

XCIV. Cumulatio multorum Epiſcopatum in unam perſonam, quam *tertio* loco duximus mutandam merito eſſe, nullâ nititur Imperii conſtitutione, nullo etiam ſcripto conſenſu. Roborata duntaxat eſt hactenus tacitâ Imperii conniventia. Ac proinde, ſi jus ſpectemus, longè eſt infra etiam ejus, quo de modò actum eſt, Cathedralium eligendi juris conditionem. Adhoc cœpit illa mala conſuetudo, in Germaniâ quidem noſtrâ poſt Concilii demum Baſileenſis tempora: igiturque hâc etiam ratione cedit illi Cathedralium mori. Quod ſi præterea ſpectentur canones univerſæ Eccleſiæ veteris, nunquam olim permiſſa fuit iſthæc quidem Epiſcopatuum cumulatio: velut etiam *commenda omnes* veteri ævo fuerunt incognitæ. III

Saltim ergo nullius canonis, multò minus legis civilis ullius vel prætextus poteſt obſtare, quo minùs id quod ſuaſimus effectui detur. Non etiam niſi paucisſimi poterunt ſine rubore illi Conſtitutioni Imperiali, ſi placuerit quidem, adverſari. Vtique enim complures honorari expetunt; maluntque ergo honores multis eſſe communes; ne videlicet etiam ſibi fortaſſis via ad obtinendas dignitates præcludatur. Id quod haut obſcurè hæc ipſa noſtra tempora docent; quia videre eſt paſſim, Epiſcopatus illos qui aliquamdiu fuerunt in unam contracti perſonam, jam per Cathedralium Canonicorum electiones iterum diſſolvi & conferri diverſis. Illi porrò qui cumulationem probant, vel jam tum pluribus uno funguntur Epiſcopatibus, vel eos adhuc deſiderant. Si prioribus jus quaſi quæſitum relinquatur, conqueri illi meritò haud poſſint: præſertim cum hæredibus deſtituantur. Poſteriorum ſpes ſaltim incerta eſt. Itaque ne quidem ſine rubore illi audebunt jus aliquod urgere. Vtque auſint; attamen nemini intelligenti atque ſine fuco ac fallaciâ ſententiam dicenti ambitioſa ſua conſilia temerè approbabunt. Indubiè poſtremò vires adverſantium fuerint futuræ perquam inbecilles. Cum neque lex autem obſtet, neque potentia ulla prohibeat, conſequens eſt, ſaltim illud quod nos ſuaſimus, in rem ut cum Imperii commodo ita & ſine periculo ullo poſſe transferri. Et verò quæ ex cumulatione ſperatur interdum utilitas, major nempe vis adverſus oppreſſores, facilè ſuppleri poteſt ex Legum Imperii, quibus vis omnis arcetur, ſtrictâ obſervatione.

IV XCV. Id quod *ultimo loco* in medium adduximus omnium eſt effectu difficillimum. Enimvero jam à ſeculo uſque decimo magnæ ſeculares juriſdictiones Regni, adeo-

deoque Comitatus & Principatus, penes Epiſcopos fuerunt, non omnes quidem aliquos tamen. Quin itaque vel ſola illâ temporis diuturnitate jus Epiſcopis magnum fuerit acquiſitum, non poteſt negari. Conſecuti porrò ſunt Regalia iſthæc Epiſcopi rarò per vim, ſed vel liberali Cæſarum dono, vel munere aliorum Principum, vel emptione aut permutatione: ac proinde etiam ipſe primus poſſidendi titulus caret iniquitate. Haud negaverim donata quamplura, animis donantium ſuperſtitione quadam infectis: de omnibus tamen ſine diſcrimine donis ejuſmodi haud id ipſum temerè probaveris. Ne de reliquis nunc dicamus quidquam, quæ non ex merâ liberalitate fuerunt acquiſita. Fac porrò, nonnullas donationes ab initio habuiſſe aliquid vitii, ſequens tamen perpetua donantium conſenſio quod initio non valuit fecit invaleſcere & firmum ſatis reddidit. Longe præterea eſt quidem veriſſimum id quod ex S. Paulo, ex Canonibus qui Apoſtolorum dicuntur, & ex ipſiuſmet Paſchalis Papæ epiſtola adduximus, fieri non poſſe ut quis ſimul probè fungatur officio & Epiſcopi & Principis ſecularis: nihil vetat tamen, ſaltim ut quis Epiſcopus nominetenus audiat reapſe autem duntaxat ſit Princeps. In vita civili ſanè fieri id ſolet frequenter, cumprimis circa mutationes rerumpublicarum: idque nunc callido regentium conſilio, nunc ſemſim & quaſi fortuitò paucis advertentibus. Tacitus ſanè de Auguſti tempeſtate agens *l. 1. Annal.* memoravit, fuiſſe tunc *eadem magiſtratuum vocabula, at verſo civitatis ſtatu nihil uſquam priſci & integri moris.* Satis eſt ſcilicet: ſi ſacra haud negligenter curentur: quod in appellationibus magnorum magiſtratuum non eſt collocatum. Et quidni audiant Epiſcopi, etiam

illi qui juxta Eccleſiaſticam veterem conſuetudinem non ſunt reapſe Epiſcopi, cum & Conſtantinus Magnus ne quidem adhuc baptizatus Ἐπίσκοπος τῶν ἐπισκόπων, diverſa quidem ſignificatione haud injuriâ tamen, in ipſo Niceno concilio fuerit appellatus; Igitur id quidem conſtat, nullos etiam Romanarum partium (ne de Proteſtantibus dicamus) & Archiepiſcopos & Epiſcopos hactenus audiiſſe, qui tamen nullo ſacro ordine initiati, ſed Principes tantùm merè ſeculares fuerunt: alios pleroſque conſecratos quidem fuiſſe vel ordinatos, ut vocant, quoniam tamen, præterquam quod ſemel aut iterum Miſſam celebraverint, reliquorum Epiſcopalium munerum ferè nihil egerunt, levi duntaxat ex parte ſeſe propriè dictos Epiſcopos geſſiſſe: quia in diœceſibus nihilominus illorum Epiſcopalia omnia obierunt Suffraganei & Officiales qui appellantur, ſacrorum curationi hactenus nihil defuiſſe, manifeſtum eſt. Quemadmodum ſcilicet Principes Proteſtantes etſi Epiſcoporum nomine haud uſurpentur, ſacra omnia curant peragi per ſua Conſiſtoria: ſuoſque Superintendentes aut Inſpectores & Præpoſitos; ita alii id faciunt per ſuos Suffraganeos, Officiales, alioſque. Meritò ſanè miſeris, etiam ipſum Paſchalem Papam auſum profiteri, Germaniæ noſtræ Epiſcopus non poſſe Regalibus muneribus frui; nec cogitaſſe, pari de cauſſa æquum eſſe, ut ipſi Pontifices etiam Romani omni cedant terrarum ſuarum temporali imperio. Saltem ergo nullum jus divinum exigit, quo minùs Epiſcopi Germaniæ Principes agant ſeculares. Canonum verò inſtituta plæraque ſunt tantum arbitraria: nec valent de iis qui verè & omni ex parte non ſunt Epiſcopi. Ex adverſo pugnant multa, ceu jam ante diximus, pro noſtrorum Epiſcoporum juſtitiâ poſſidendi ſeculares Imperii magiſtratus. Haud obſcurum præ-

tex

torea eſt, utut aliquid ſubfuerit iniqui ita tamen apud nos habere ſeſe omnia, ut mutatio fieri nequeat citra ingens rerum Imperii diſcrimen, ac proinde ſatius eſſe hoc malum tolerare, tanquam κακὸν εὖ κείμενον. Hoc ipſum quem doceant vel temporum antegreſſorum ſucceſſus. Etſi ſcilicet aliquot Imperatores itidem mutata hæc voluerint, non tamen auſi ſunt vel manum operi admovere: intra ſola vota aut inanes voculas omni illorum conatu ſubſiſtente. Vltrà certè non proceſſerunt vel Henrici quartus & quintus, vel Friderici primus & Secundus, vel quartus Ottonum, vel Sigiſmundus. Præterea verò aut conſenſu Epiſcoporum illa fieri debeat mutatio, aut conſenſu illorum haud impetrato, aut denique Epiſcopis etiam invitis & repugnantibus. Vt ipſimet Epiſcopi ſponte ſua cedant Principatibus quos jam tum poſſident, videtur majus quid eſſe quàm ut à mortalium pleriſque poſſit expectari. Vt illi conſentiant de Principatibus in poſteritatis aliquod præjudicium, facilius quidem fortè fuerit: quia ſicut vixerunt cœlibes ita liberos nullos relinquent hæredes. At verò liberorum vice ſunt cognati, ſunt amici; quorum cura perfrequenter multos tangit non minùs atque ex ſe genitorum liberorum. Par eſt ratio & Principum ſecularium aliorum. Etenim hi quoque, ſi aut ſoboles numero ſit major quàm ut in hæreditarium Principatum omnis illa queat ſuccedere, citra jacturam ſive virium ſive dignitatis, aut ſi cognatis & amicis impenſiùs faveant, non temerè patientur eripi ſuis ſpem impetrandorum Principatuum. Igitur nec ipſi fortè admiſerint mutationem. Citra Epiſcoporum conſenſum porrò aliquid de re tantâ conſtituere non licet: cum illi utique ſint Imperii Proceres non minûs atque Principes alii, & proinde horum quoque conſenſio ſaltim ſummo jure ſit neceſſa-

tum eſt, & ſacris canonibus interdictum, ne ſacerdotes curis ſecularibus occupentur, neue ad comitatum, niſi pro damnatis eruendis, atque pro aliis qui injuriam patiuntur, accedant,' Vnde & Apoſtolus Paulus inquit, Judicia ſi habueritis, contemtibiles qui ſunt in Eccleſia*, illos conſtituite ad judicandum. In veſtri autem Regni partibus* Epiſcopi *vel abbates adeo curis ſecularibus occupantur, ut comitatum aſſidue frequentare, & militiam exercere cogantur. Quæ nimirum aut vix, aut illo modo, ſine rapinis, ſacrilegiis, incendiis, aut homicidiis exhibetur. Miniſtri vero altaris, miniſtri curiæ facti ſunt: qui civitates, ducatus, marchionatus, monetas, turres, & cætera ad Regni ſervitium pertinentia à Regibus acceperunt. Vnde etiam mos* Eccleſiæ *intolerabilis inolevit, ut electi* Epiſcopi *nullo modo conſecrationem acciperent, niſi priùs per manum Regiam inveſtirentur. Aliquando etiam vivis* Epiſcopis *inveſtiti ſunt. His & aliis plurimis malis, quæ per inveſtituram plerumque contigerant, prædeceſſores noſtri Gregorius VII, & Vrbanus II, felicis memoriæ Pontifices, excitati, collectis frequenter* Epiſcopalibus *Conciliis inveſtituras illas manus laicæ damneverunt; & ſi qui Clericorum per eam tenuiſſent* Eccleſias*, deponendos; elatiores quoque communione privandos percenſuerunt. Iuxta illud & Apoſtolicorum canonum capitulum, quod ſe ita habet: Siquis* Epiſcopus *ſeculi poteſtatibus uſus eccleſiam per ipſos obtineat, deponatur & ſegregetur, omneſque qui illi communicant. Quorum veſtigia ſubſequentes & Nos, eorum ſententiam* Epiſcopali *concilio confirmamus. Tibi itaque, fili chariſſime, Henrice Rex, & nunc per officium noſtrum, Dei gratia Romanorum Imperatori, & Regno, regalia illa dimittenda præcepimus; quæ ad Regnum manifeſte pertinebant tempore Caroli, Ludovici, Ottonis, & cæterorum prædeceſſorum ſuorum. Interdicimus etiam*

& ſub annethematis diſtrictione prohibemus: ne quis Epiſcoporum ſeu Abbatum præſentium vel futurorum eadem Regalia invadant, id eſt, civitates, ducatus, marchias, comitatus, monetas, teloneum, mercatum, advocatias, jura centurionum & turres quæ Regni erant, cum pertinentiis ſuis, militiam & caſtra; & ne ſe deinceps, niſi per gratiam Regis, de ipſis regalibus intromittant. Sed nec poſteris noſtris liceat, qui poſt nos in Apoſtolica ſede ſucceſſuri erunt, aut te aut Regnum ſuper hoc inquietare negotio. Porro Ec*cleſias cum oblationibus & hæreditariis poſſesſionibus, quæ ad Regnum manifeſte non pertinebant, liberas manere decrevimus. Sicut in die coronationis tuæ Omnipotenti Domino in conſpectu totius* Eccleſiæ *promiſiſti. Oportet enim Epiſcopos curis ſecularibus expeditos, curam ſuorum agere populorum, nec* Eccleſiis *ſuis abeſſe diutius. Ipſi enim juxta Paulum Apoſtolum pervigilant, tanquam rationem pro animabus eorum reddituri.* Hactenus ipſemet Papa Paſchalis. Quum ita autem ſeſe res habeat, manifeſtum eſt, expedire etiam Germaniæ, ne Epiſcopi ſimul Principatus adminiſtrent, ſed ſolis vacent negotiis ſacris atque Eccleſiaſticis.. Fuit autem jam tum olim hæc ſententia nontam illius Paſchalis II Pontificis, (aliter enim locutus eſt forte ille atque ſenſerit) quàm etiam Henrici V, Friderici I, Ottonis IV & Friderici II, Imperatorum. Nec videtur aliud ſpectaſſe Sigiſmundus Imperator in der Geiſtlichen Reformation, quæ apud Goldaſtum *l. 1. Statutor Imperialium* exſtat, Germanicè verſa per Fridericum Von Landeskorn / Imperatoris Sigiſmundi conſiliarium. Ita vero *cap. IX.* loquitur interpres. Es ſol kein Biſchoff kein Schoß haben / weder Feſt / noch Stadt: Sie ſollen ſitzen auff der Hauptkirchen iegliches Biſthumbs / und ſolleu ein recht geiſtlich Leben führen / das alle Pfaffen an ihn gebeſſert werden / Et *cap. XII.* Ein Erzbi-

hoc quidem loco ſaltim inter αἰτήματα collocamus: nullo divino jure niti Paparum, ſive leges ferendi, ſive judicandi, ſive Epiſcopos ullâ ratione conſtituendi facultatem, quantum quidem Germaniæ res attinet. Prætendi divinum aliquod jus à Papis aliisque nonnullis haud ignoramus quidem, reapſe autem tale jus Papis competere pernegamus: idque tantiſper admitti donec alibi probetur, jam petimus. Inquantum autem Papæ quod prætenditur jus falsò nititur divino beneficio, utique à præſcriptione non adjuvatur. In ejuſmodi enim rebus improbè fictis longum tempus nihil valet. Concedimus nos tamen, quod perdiu Papæ ea quæ ſublata velimus exercuerint, quædam etiam obtineant ex conventione. At verò certum itidem eſt, quod nunquam non pacta violaverint Papæ, quodque pergant in faciendis injuriis. Solutum igitur pridem eſt vinculum pactorum & conventionum. Atque adeo non etiam Germania ampliùs tenetur ſtare illis pactis: imò & in compenſationem infinitarum acceptarum injuriarum æquum eſt, etiam id quod fortaſſe reliquum veri juris Papis eripere. Nullo itaque jure prohiberi, quo minùs Germania libertatem ſibi arripiat, haud eſt dubitandum. Non etiam ea eſt Pontificum potentia, ut per eam haud liceat improbum Romæ jugum excutere. Reapſe enim omnis illa potentia nititur unicè hominum inani ſuperſtitione: quâ ubi animi fuerint purgati, illicò omnis illa potentia ſuapte ſponte evaneſcit: ceu docet experientia exemplis multorum populorum qui in libertatem ſeſe aſſeruerunt. Quamdiu tamen durat in animis erronea illa Pontificum reverentia, fatemur fruſtrà libertatem illam expectari. Id quod itidem multorum ſeculorum populorumque uſus abunde ſatis demonſtrat. Saltim tamen interea temporis par fuerit, uti Cæſares

noſtri haud minus valeant circa Epiſcoporum Germaniæ conſtitutiones, atque obtinent hodie Galliæ Hiſpaniæ Poloniæ aliique nonnulli Reges, bonâ ipſorummet Romanorum Pontificum pace. Quemadmodum ſcilicet ſaltim Leo V & Adrianus VI, ille Galliæ hic Hiſpaniæ Regibus ultrò conceſſerunt, Epiſcoporum Abbatumque quos vocant Nominationes, ſibi ſervata confirmandi poteſtate. Poſſit verò haud leve ad ſuſterſtitioſum Paparum cultum priſtinum, ſaltim minuendum nonnihil, adferri momentum, ſi revocetur in populi animos vetus auctoritas Baſileenſis concilii, quippe quo bona pars Papalis Monarchiæ pridem ſubruta atque everſa eſt. Quò haud immeritò noſtros invitet Sorbonæ & Eccleſiæ Gallicanæ exemplum. Et verò parum fortaſſi etiam nuper abfuit, quin Gallia jugo omni Romano excuſſo proprium ſibi Patriarcham conſtitueret: Perinde atque ſuperiore ſeculo, ſalvâ reliquâ Romana populi ſui religione, ſoli Pontificum dominatui collum ſubduxit Henricus octavus Rex Angliæ.

II. XCIII. *Secundum* quod attinet, Canonicis cathedralibus eſſe quondam ab ipſis quoque Cæſaribus Epiſcoporum electionem conceſſam, eamque ab illis per quadringentos ampliùs annos exercitam, ex iis quæ jam tum docuimus conſtat ſane. At verò factum illud ipſum eſſe nullo præcepto divino, & contra primitivæ Eccleſiæ perpetuam conſuetudinem, non minùs eſt manifeſtum. Nihil ergo pro jure quidem Cathedralium illorum collegiorum facit præter legem aliquam poſitivam & uſum diuturnum. Quum in univerſam autem leges poſitivæ & conſuetudines vim omnem ſuam habeant ex arbitrio ſummarum poteſtatum civilium; quod ſi Imperatori & Ordinibus Germaniæ viſum fuerit, impoſterum aliter & magis ex commodo publico electiones Epiſcopales inſtituere, nulla dabetur Cathedralibus illis, quaſi de inju-

ria ſi-

xiâ ſibi factâ conquerendi cauſſa. Sed & ipſi illi Cathedrales, quâ ſunt prudentia & probitate, bono Imperii publico non temere adverſabuntur: conſcii cumprimis, civium quorumlibet non opes duntaxat & ejuſmodi quædam levia jura, ſed ipſam quoque vitam, reipublicæ ſaluti adſtricta eſſe. Tam multùm præterea Cathedrales illi accipiunt ex bonis, Imperatorum munificentiâ Imperii fiſco ſubductis, ut hanc levem juris eligendi recuperationem Cæſaribus nequeant invidere Si quæ certè hic fuerit jactura, æquis illa animis poterit meritò tolerari. Perinde atque factum eſt à Cathedralibus in Gallia Hiſpania Polonia & alibi. Imo & in noſtrâ Germania, in locis quibuſam Proteſtantium Principum. Quod ſi tamen præter jus & fas Canonicorum illorum collegium aliquod reluctatum fuerit, non eſt quod ab illorum motu periculi quicquam reſpublica metuat. Nempe *vana eſt ſine viribus ira*: & pluſquam ſatis ad manum Cæſari Ordinibusque Imperii fuerit, quo privatorum aliquot & imbellium hominum pertinacia compeſcatur.

XCIV. Cumulatio multorum Epiſcopatum in unam perſonam, quam *tertio* loco duximus mutandam merito eſſe, nullâ nititur Imperii conſtitutione, nullo etiam ſcripto conſenſu. Roborata duntaxat eſt hactenus tacitâ Imperii conniventia. Ac proinde, ſi jus ſpectemus, longè eſt infra etiam ejus, quo de modò actum eſt, Cathedralium eligendi juris conditionem. Adhoc cœpit illa mala conſuetudo, in Germaniâ quidem noſtrâ poſt Concilii demum Baſileenſis tempora: igiturque hâc etiam ratione cedit illi Cathedralium mori. Quod ſi præterea ſpectentur canones univerſæ Eccleſiæ veteris, nunquam olim permiſſa fuit iſthæc quidem Epiſcopatuum cumulatio: velut etiam *commenda omnes* veteri ævo fuerunt incognitæ. III

 Sal-

Saltim ergo nullius canonis, multò minus legis civilis ullius vel prætextus poteſt obſtare, quo minùs id quod ſuaſimus effectui detur. Non etiam niſi paucisſimi potœrunt ſine rubore illi Conſtitutioni Imperiali, ſi placuerit quidem, adverſari. Vtique enim complures honorari expetunt; maluntque ergo honores multis eſſe communes; ne videlicet etiam ſibi fortaſſis via ad obtinendas dignitates præcludatur. Id quod haut obſcurè hæc ipſa noſtra tempora docent; quia videre eſt paſſim, Epiſcopatus illos qui aliquamdiu fuerunt in unam contracti perſonam, jam per Cathedralium Canonicorum electiones iterum diſſolvi & conferri diverſis. Illi porrò qui cumulationem probant, vel jam tum pluribus uno funguntur Epiſcopatibus, vel eos adhuc deſiderant. Si prioribus jus quaſi quæſitum relinquatur, conqueri illi meritò haud poſſint: præſertim cum hæredibus deſtituantur. Poſteriorum ſpes ſaltim incerta eſt. Itaque ne quidem ſine rubore illi audebunt jus aliquod urgere. Vtque auſint; attamen nemini intelligenti atque ſine fuco ac fallaciâ ſententiam dicenti ambitioſa ſua conſilia temerè approbabunt. Indubiè poſtremò vires adverſantium fuerint futuræ perquam imbecilles. Cum neque lex autem obſtet, neque potentia ulla prohibeat, conſequens eſt, ſaltim illud quod nos ſuaſimus, in rem ut cum Imperii commodo ita & ſine periculo ullo poſſe transferri. Et verò quæ ex cumulatione ſperatur interdum utilitas, major nempe vis adverſus oppreſſores, facilè ſuppleri poteſt ex Legum Imperii, quibus vis omnis arcetur, ſtrictâ obſervatione.

IV XCV. Id quod *ultimo loco* in medium adduximus omnium eſt effectu difficillimum. Enimvero jam à ſeculo uſque decimo magnæ ſeculares juriſdictiones Regni, adeo-

deoque Comitatus & Principatus, penes Epiſcopos fuerunt, non omnes quidem aliquos tamen. Quin itaque vel ſola illâ temporis diuturnitate jus Epiſcopis magnum fuerit acquiſitum, non poteſt negari. Conſecuti porrò ſunt Regalia iſthæc Epiſcopi rarò per vim, ſed vel liberali Cæſarum dono, vel munere aliorum Principum, vel emptione aut permutatione: ac proinde etiam ipſe primus poſſidendi titulus caret iniquitate. Haud negaverim donata quamplura, animis donantium ſuperſtitione quadam infectis: de omnibus tamen ſine diſcrimine donis ejuſmodi haud id ipſum temerè probaveris. Ne de reliquis nunc dicamus quidquam, quæ non ex merâ liberalitate fuerunt acquiſita. Fac porrò, nonnullas donationes ab initio habuiſſe aliquid vitii, ſequens tamen perpetua donantium conſenſio quod initio non valuit fecit invaleſcere & firmum ſatis reddidit. Longe præterea eſt quidem veriſſimum id quod ex S. Paulo, ex Canonibus qui Apoſtolorum dicuntur, & ex ipſiuſmet Paſchalis Papæ epiſtola adduximus, fieri non poſſe ut quis ſimul probè fungatur officio & Epiſcopi & Principis ſecularis: nihil vetat tamen, ſaltim ut quis Epiſcopus nominetenus audiat reapſe autem duntaxat ſit Princeps. In vita civili ſanè fieri id ſolet frequenter, cumprimis circa mutationes rerumpublicarum: idque nunc callido regentium conſilio, nunc ſemſim & quaſi fortuitò paucis advertentibus. Tacitus ſanè de Augusti tempeſtate agens *l. 1. Annal.* memoravit, fuiſſe tunc *eadem magiſtratuum vocabula, at verſo civitatis ſtatu nihil uſquam priſci & integri moris.* Satis eſt ſcilicet: ſi ſacra haud negligenter curentur: quod in appellationibus magnorum magiſtratuum non eſt collocatum. Et quidni audiant Epiſcopi, etiam

torea eſt, utut aliquid ſubfuerit iniqui ita tamen apud nos habere ſeſe omnia, ut mutatio fieri nequeat citra ingens rerum Imperii diſcrimen, ac proinde ſatius eſſe hoc malum tolerare, tanquam κακὸν εὖ κείμενον. Hoc ipſum quem doceant vel temporum antegreſſorum ſucceſſus. Etſi ſcilicet aliquot Imperatores itidem mutata hæc voluerint, non tamen auſi ſunt vel manum operi admovere: intra ſola vota aut inanes voculas omni illorum conatu ſubſiſtente. Vltrà certè non proceſſerunt vel Henrici quartus & quintus, vel Friderici primus & Secundus, vel quartus Ottonum, vel Sigiſmundus. Præterea verò aut conſenſu Epiſcoporum illa fieri debeat mutatio, aut conſenſu illorum haud impetrato, aut denique Epiſcopis etiam invitis & repugnantibus. Vt ipſimet Epiſcopi ſponte ſua cedant Principatibus quos jam tum poſſident, videtur majus quid eſſe quàm ut à mortalium pleriſque poſſit exſpectari. Vt illi conſentiant de Principatibus in poſteritatis aliquod præjudicium, facilius quidem fortè fuerit: quia ſicut vixerunt cœlibes ita liberos nullos relinquent hæredes. At verò liberorum vice ſunt cognati, ſunt amici; quorum cura perfrequenter multos tangit non minùs atque ex ſe genitorum liberorum. Par eſt ratio & Principum ſecularium aliorum. Etenim hi quoque, ſi aut ſoboles numero ſit major quàm ut in hæreditarium Principatum omnis illa queat ſuccedere, citra jacturam ſive virium ſive dignitatis, aut ſi cognatis & amicis impenſiùs faveant, non temerè patientur eripi ſuis ſpem impetrandorum Principatuum. Igitur nec ipſi fortè admiſerint mutationem. Citra Epiſcoporum conſenſum porrò aliquid de re tantâ conſtituere non licet: cum illi utique ſint Imperii Proceres non minùs atque Principes alii, & proinde horum quoque conſenſio ſaltim ſummo jure ſit ne-

ceſſa-

ceſſaria. Invitis denique Epiſcopis & refragantibus novum hoc inſtitutum non poterit, ſalva quidem pace publica, in rem deduci. Armis igitur cogendi Epiſcopi fuerint in conſenſum. Præterquam verò quod bellum omne civile maximis ſit reipublicæ malis annumerandum, belli iſthæc alea perquam anceps fuerit: quia & propriæ Epiſcoporum vires ſint magnæ, & auxilia aliorum indubiè haud defutura. Cum boni igitur civis in univerſum ſit præſentem ſtatum reipublicæ amare, hujus etiam mutationem prudens nemo aggredietur. Si inprimis Principatuum illorum Epiſcopalium bona omnia legibus Imperii nullo in fraudem ficto titulo ſubtrahantur. Adhoc & alia Europæ Regna minoris quidem potentiæ ſecularis Epiſcopos habent, itidem tamen tale aliquid tolerant. Vno ad id probandum duntaxat utar nunc vicinæ Galliæ exemplo. Auctor libri cui titulus *le Cabinet du Roy* ita narrat: *Ordo Clericorum poſſidet centum & octoginta millia caſtellorum prædiorum nobilium aut feudorum. In octoginta & tribus millibus illorum habent juriſdictionem ſummam mediam & infimam: in cæteris tantùm mediam & infimam ac feuda ſimplicia. Numerus ſubditorum quos habent eſt tredecies centenorum ſeptuaginta ſemptem millium.* Alia nunc adducere in medium, operæ non fuerit pretium. Quapropter etiam nunc hoc ipſo omne illud argumentum claudimus. Certâ autem ducimur ſpe, ſi fortaſſis alicubi â nobis fuerit erratum, quod vitari haut potuiſſe ultrò fatemur, id in bonam partem & cum venia acceptum iri. Et verò nemini eſt ignotum, non privatum aliquod noſtrum quæri commodum aut agi negotium: ſed omnia omninò Imperii ſalutem uſumque publicum unicè ſpectare.

Corol-

Corollaria

I. Monarchicum regimen non ſemper eſt optimum.

II. Monarchiam ſocietati humanæ omnigena virtute inſtructæ non hunc convenire, rectè docuit Ariſtoteles lib. III. *Polit, cap.* XI.

III. Eccleſia in hiſce terris verè non eſt aliqua reſpublica, ſed naturam potius habet collegii in republica conſtituti.

IV. Etſi collegia vulgo non ſint inſtituenda in republicâ, niſi hujus autoritate & conſenſu, ad Eccleſiaſticam tamen ſocietatem, omni ex parte, vel autoritas vel conſenſus reipubl. non eſt neceſſarius.

V. Univerſalis Eccleſia, ſive naturæ ſive divino jure, non aliter conſtituit unum corpus, quam omne humanum genus, vel certe univerſitas omnium bonorum hominum.

VI. Non poteſt commode, univerſalis Eccleſiæ ut nec totius mundi, eſſe unum commune regimen.

VII. Minimè omnium illi commoda eſt monarchia.

IIX. Univerſalis Eccleſia, ſi quod unū admittat, rectius Ariſtocratico regimine gubernari quam ullo alio poſſit,. Idque oſtenditur Conciliorum Oecumenicorū olim poſt pacem Eccleſiæ datam ſtatim habitorum exemplo.

EXERCITATIO OCTAVA

DE

PRÆCIPVIS NEGOTIIS IN CONVENTIBVS IMPERII GERMANICI ORDINVM OLIM ET HODIENVM TRACTARI SOLITIS.

HABITA V MAII ANNI cIↃIↃc. LXVI

RESPONDENTE

JOHAN CASPARO Becker.

MAgnus erga Principes hinc creſcit ſubditorum amor, ſi ipſos nihil ex mero domeſticæ & propriæ voluntatis arbitrio decernere, ſed reipublicæ negotia, præſertim majora, omnium aut certe plurimorum conſilio ac conſenſu, in conventibus agere videant. Imo lubentius multo iis quæ conſilio plurimorum decernuntur, parent, quàm iis, quæ auctoritate ſola Principum imponuntur. Quæ enim conſilio plurium geruntur, non niſi æqua juſtaque eſſe putantur; & ſi quædam duriora, ita flagitante neceſſitate, conſtituantur, quia tamen Ordines ea approbarunt, ideo populus non niſi magnâ & prægnante ratione ea emanaſſe, æſtimare conſuevit, promtiusque iis obſequium exhibet. Quod videntes callidiſſime Romani Imperatores Cajus Iulius Cæſar & Auguſtus, etſi ipſi veri eſſent monarchæ, ſæpiſſime tamen Senatum convocarunt, eumque in conſilium de negotiis reipublicæ adhibuerunt, ut ejus conſilio &

lio & ſententiâ cuncta reipublicæ negotia adminiſtrare viderentur, & per hoc populi animum ſibi devincirent.

II. Si veterum replicemus monumenta, ab antiquiſſimis temporibus, conſiliis in conventibus agitatis ſalutem ſtetiſſe multarum rerumpublicarum, undique deprehendimus. Et pauca per Europam quidem exſtitere olim regna vel imperia, in quibus, ad conſilia reipublicæ cauſâ ineunda, publicorum congreſſuum uſus non fuerit habitus ſummè neceſſarius. Hinc non omnino malè hanc in rem Bertramus de Comitiis Imperii Rom.Germ. inquit: *Circumſpice in hoc orbe Chriſtiano, intuere imperia, regna, politias & quicquid eſt mediocris reip., nullaque ſine hoc fulcro ſtetiſſe & adhuc ſtare deprehendes. Oculos converte in ſtatum Imperii Germ. Nonne is conſiliis, quæ Cæſar cum Proceribus in Comitiis inire conſuevit, ceu columnæ unice innititur? Malum imminet Reipublicæ? Ecce ſalutari hoc remedio maturè obviam itur. Conſultandum de magni momenti cauſis? Convocantur quique ſapientisſimi. Labaſcenti Imperio ſuppetiæ ferendæ? Statim occurritur.*

III. Pro diverſitate autem gentium, diverſæ quoque ſunt ac fuerunt Comitiorum notiones. Sua habuerunt Athenienſes, ſua Spartani, ſua itidem Romani. Et hodiæ Hiſpanis, Anglis, Danis, Suecis, Polonis, Germanis aliiſque populis proprii cuique ſunt Conventus. Quemadmodum verò Regnorum varius eſt ſtatus, cum alia plus alia minus ex aliis rebuspublicis admixtum habeant, ſic etiam Comitia non ubique ejuſdem auctoritatis ſunt. In regnis liberis, dicis plerumque tantum gratiâ Ordines à Principe convocantur; ſive loco conſilii, & ut audiat ab eis, an quid provincia quælibet habeat quod remedio indigeat; libera autem quidvis pro lubitu ſtatuendi poteſtas reverâ penes Regem aut Principem manet.

IV. Talia fere aliquamdiu fuerunt Comitia Parlamentaria Regni Gallici. Hinc cum anno 1599 Henricus IV Edictum de pace religioſa promulgaret, Parlamentum autem id improbare conaretur, ad ſe vocatos Patres Parlamenti ſic increpaſſe fertur. *Summa orationis meæ hæc eſt, vos ut rogem, Edictum quod Religionis confæderatis concesſi, ratum eſſe firmumque velitis & jubeatis. Quicquid ejus à me factum eſt, Pacis conſtituendæ causâ factum. Quam foris jam ante conſtitutam etiam domi & intra Regni mei fines ſtabilire decretum mihi. Obedientiam mihi debetis vel ſolo ordinis mei locique reſpectu. Multorum etiam magnorumque in vos beneficiorum nomine.* Vti hæc habet Petrus Matthæus in vita Henrici IV. Et paulò pòſt. *Iam ſuſurrari audio varia, quæ haud moror. Rex veſter ego ſum. Obedientiam facite mihi, ſtudiumque probate. Legiones meas parum ex fide militantes exauctoro. Vos cogitate quid ſatis laturi commodi, ſi mihi non eritis dicto audientes. Vel invitis vobis Edictum publicabo.* Cumprimis id liquet ex eo Regni Ordinum conventu, qui ſtatim à cæde Henrici illius IV Regis celebratus, hactenuſque eſt omnium ultimus. Sed & notum ex novellis, quid adhuc nuperrime in Gallia contigerit. Cum enim quidem Parlamenti Patres Regi ſtatim aſſentiri nollent, non tantùm graviſſime illos Rex increpavit, ſed etiam in cuſtodia aliquamdiu detinuit.

V. Longe alia eſt ratio Conventuum Germaniæ, obtinet enim ibi quidem ut Cæſar eos indicet; ſed tamen ne hoc quidem hodie niſi ex conſenſu & conſilio Electorum. *A. B. C. 12. & receſ. Imp. de anno 1570. §3.* Concludendi autem poteſtas non penes ſolum Cæſarem, ſed ipſum & univerſos Imperii Ordines eſt. Quippe Ordinum non conſilium modò ſed conſenſum Imperator neceſſariò adhibere tenetur, nec quicquam abſque illo aut diverſum ab

illo

illo ſtatuere poteſt. *Inſtr. Pacis Cæſar. Suecic. c. 8. §. 2.* Adeoque fermè eſt adhuc verum, quod olim Tacitus ajebat: *Audiuntur quidem Reges in conventibus, ſed auctoritate magis ſuadendi quam jubendi poteſtate.*

VI. Quamvis autem Germani ſemper unius fuerint originis, & linguæ prope ejuſdem, imo unam Germaniam fere omnes habitaverint, proximâ mutuò vicinitate juncti, tamen in unam rempublicam non niſi admodum ſerò, & quidem demum vix ante hoſce octingentos annos pleriq; coaluerunt. Adeoque ante illa tempora nunquam de ſalute univerſæ Germaniæ deliberatum eſt, nec ulla communia Comitia vel a pleriſq; Germaniæ populis ſunt celebrata. Quando autem patriæ malo, hæc de Britannis, eodem ſeſe tunc modo gerentibus, Taciti verba indicant: *Nihil adverſus validiſſimas gentes illas pro nobis utilius, quàm quod in commune non conſulant; rarus duabus tribusve civitatibus ad propulſandum commune periculum conventus; hinc dum ſinguli pugnant, univerſi vincuntur.* At poſtquam invictiſſimus Imperator Carolus Magnus inuſitata virtute atque fortuna, Germaniam Ciſbalthicam omnem in unum corpus redegit, Comitia in ſingulis regionibus ſpecialia haberi deſicere ſucceſſeruntq;, quia omnes illæ Provinciæ unius corporis membra jam erant, annua & toti Imperio communia. Atque ex illo tempore obtinuit, ut non ampliùs niſi admodum raro in ſingulis illis provinciis Conventus agerentur, ſed in communi omnium Ordinum conſeſſu de ſalute patriæ ageretur

VII. Cæterùm non eſt propoſitum jam noſtrum, de ſingulis rerumpublicarum conventibus agere (tantam enim rem quis circa periculum ſuis committere viribus auderet?) neque vel omnia ad Germaniæ noſtræ Dietas univerſales pertinentia ſubnotare jubet, ſed tantùm de earum

mate-

materia, quantum per ingenii tenuitatem licet, nonnulla ſeligere, diſputationi includere, & eruditorum placido examini publici exercitii gratia ſubjicere eſt animus. Et quidem res præcipuas tam olim quam hodienum in Comitiis tractari conſuetas inquantum à me ex hiſtoriis peti potuerunt, theſibus hiſce inſerere conabor. Quod ut feliciter ſuccedat, tu Deus largire vires, & fac ut omnia in nominis tui gloriam cedant.

VIII. RES autem quarum cauſa Conventus haberi ſolent, pro varietate negotiorum Imperio incumbentium uti olim ita & hodie diverſæ ſunt. Omnia nimirum illa quæ ad ſalutem vel Statum Regis & Regni pertinebant, in Comitiis Carolovingorum Regum ævo tractabantur. *Hincm. Epiſt. 3 c. 33.* Hodieque omnia negotia quæ ad Imperium vel conſervandum vel defendendum pertinent, in Comitiis tractari ſolent R. A. *de anno 1512.* Et ut paucis me abſolvam, quicquid eſt, quod ad gloriam Dei, conſervationem juſtitiæ, honeſtatis, & publici ſtatus ædificationem conferre poſſit, de eo in Conventibus publicis agitur. Reformation guter Policey zu Augſpurg *anno 1530.* §. 1. Sampt ihnen alles das fürzunehmen zu rahtſchlagen / zu handeln und zu ſchlieſſen / daß zu förderſt GOtt dem Allmächtigen zu Ehr und Lob / gemeiner Chriſtenheit und Teutſcher *Nation* zu Wolfahrt Fried und Einigkeit / auch dem H. Röm. Reich zu Nutz auffnehmen und gedeyen gereichen möcht. R. A. des Reichßtags zu Regenßburg *de Anno 1541.* §. Alles anders zu handeln und zuſchlieſſen / daß dem H. Reich / und deſſelben Ständen zu wolfahrt nutz und gutem reichen mög. Ac in noviſſima Pacis conſtitutione ea de re ità cavetur. *Gaudeant ſine contradictione jure ſuffragii in omnibus deliberationibus ſuper negotiis Imperii, præſertim ubi leges ferendæ, vel interpretandæ, bellum decernendum, tributa indicenda,* *dele-*

delectus aut hoſpitationes militum inſtituendæ, nova munimenta intra Statuum ditiones exſtruenda nomine publico veteravé firmanda præſidiis, nec non ubi pax aut fœdera facienda, aliave ejusmodi negotia peragenda fuerint: nihil horum aut quicquam ſimile poſthac unquam fiat vel admittatur, niſi de comitiali liberoque omnium Imperii Statuum ſuffragio & conſenſu.

IX Sed ut evidentiûs appareat quænam negotia in Conuentibus tractentur, ſingularim ea perluſtrabimus. Horum autem alia ſpectant ad Statum Imperii Eccleſiaſticum, alia ad Politicum. Ad Eccleſiaſticum, ut de religionis diſſidio componendo, de concilio convocando &c: Politicum vero ad Statum quæ pertinent, aut pacifica ſunt aut bellica. Contra autem comitiali liberoque omnium Imperii Statuum ſuffragia ſunt peragenda. Nos paucis ad Statum Eccleſiaſticum pertinentibus præmiſſis, ad alia pergemus.

X. Cuinam in qualibet republica conſtitutio ſacrorum competat, non una eſt doctorum opinio. Nonnulli enim hanc Summæ Poteſtati cujuslibet Reipublicæ attribuunt, Alia vero omnem ſacrorum curam uni tribuunt Romano Pontifici; quaſi totus Chriſtianus orbis quo ad cultum divino ab uno illo dependere debeat. Illi concedere jus, doctrinam fidei Chriſtianæ aliaque ad cultum. divinum pertinentia ordinandi atque conſtituendi, intrepide aſſeverant. Hancq; poteſtatem Pontifici divinitus conceſſam; Regibus vero ſolum executiones, cuſtodiam, & defenſionem commiſſam eorum, quæ à Papa decreta & ordinata fuerint. Hinc illorum vox: *Glorientur in eo licet Reges, quod ſtatutis patriæ ſubjecti non ſint aut legibus alienis, attamen decretis Pontificum parerecos oporetat.* Imo couſque extendunt poteſtatem. Papæ, ut

pæ, ut ſi ille exiſtimet Regem aut Principem malè remp. curare, pro arbitrio ipſum deponere, ſubditos juramento fidelitatis ſolvere, & cui placet Regnum iterum donare poſſit. Quam poteſtatem ad Regna infidelium nonnulli ſimpliciter extendunt, ſive bene illi ſive male rempubl. ſuam adminiſtrent. Etenim hac ſibi perſuaſa poteſtate fretus Alexander VI Pontifex, ſuperiore ſeculo, ipſas terras Americanas Ferdinando Iſabellæ Regibus Hiſpaniæ occupandas concéſſit.

XI. Si ad noſtram Rempublicam oculos convertamus, non uno eodemque modo ſe poteſtas ſacrorum in ea ſemper habuit. Poſtquam enim felicibus Francorum armis Germania noſtra in unum corpus redacta eſt, ac regiones paganæ & idololatricæ ad veram fidem Chriſtianam ſunt converſæ, ſumma poteſtas ut in aliis rebus ſic etiam in ſacris, ad Regem, ſeu Imperatorem, & Ordines Regni conjunctim tranſiit, legeſque Eccleſiaſticæ non minùs quam civiles, in Comitiis univerſalibus conditæ ſunt, ceu teſtatur *Capit Carol M. & Lud. Impp. L. 2. c. 12.* Quod ſi quæ controverſia in religione oborta eſſet, aut quid in diſciplina Eccleſiaſtica, in vita & moribus clericorum, fuit emendandum, hæc plerùmque in Synodis tractabantur: quibus tamen Rex nomine reipubl. vel præſidebat vel poſtquam ad ipſum relatum eſſet quid Synodus ſtatuiſſet, auctoritatem accommodabat. Etiam per Legatos qui certis anni temporibus in ſingulas regiones ad conventus agendos ex aula mittebantur, non minùs ab Epiſcopis quam Comitibus rationes officii Rex exigebat. *Cap Carol. & Lud. L. 3. c. 77.* Verum poſt tempora Caroli Magni magis magiſque ut in aliis ita etiam in hiſce Regia auctoritas cæpit deficere; contra invaluit dominatus Pontificum Romanorum. Hi enim Regnum in Eccleſia occuparunt,

parunt, & Imperatores ac Principes omni ferè poteſtate circa ſacra exuerunt.

XII. Ad ſummum gradum in noſtro Imperio hæc ſuperſtitio pervenit ſeculo XI, tempore Gregorii ſeptimi *Papæ*: qui majori, quàm antehac factum unquam, impudentia & auſu talia cæpit profiteri: anathemate perculſit Henricum IV; juramento fidelitatis ſolvit ſubditos; maxima bella excitavit; imò omnem Germaniæ ſtatum perturbavit & tantùm non funditus evertit. Voluere quidem noſtri Imperatores initiò acriter vindicare ſuam auctoritatem, unde graviſſima exorta bella; ſed paulatim magis magiſque ſuccrevit ſuperſtitio, & cum eâ Papalis Monarchia, adeò ut fere tota Imperij autoritas enervaretur, Pontificesque Imperatori ac Principibus tanquam Monarchæ, non tantum in ſacris ſed etiam in profanis imperarent, & ſi ipſos audire, ut reipublicæ dignitate ac ſalute ſalvâ non poſſent ita etiam nollent, ſtatim anathemate ferirent.

XIII. Quamvis autem ita Pontifices Romani in poſſeſſionem penè illius monarchiæ pervenerint, de jure tamen ſemper dubitatum eſt: adeò ut nonnulla interdum, etſi rariſſime, in Conventibus de religione conſtituta ſunt, invitis quamvis imò obluctantibus & contradicentibus Papis. Verum enimvero cum ſeculo ſuperiore clariùs cæpiſſet ab hominibus agnoſci, quantis in tenebris res Eccleſiaſtica hactenus hæſiſſet, Luthero auſpice, in univerſa penè Europa cæpit paſſim ad libertatem proclamari, & jugum Pontificium abjici, ac majore quàm antehac unquam animoſitate à plurimis emendatio Eccleſiæ poſtulata eſt. Quæ cum à Papa obtineri non poſſet (qui quantum ex emendatione auctoritatis & ornamenti Eccleſiæ accederet, tantùm de ſuâ amplitudine & poteſtate detractum iri, non vano timore

more conjiciebat) tandem diſcordantis patriæ non aliud fuit remedium , quàm relictis Eccleſiæ diſſidiis in republica unum ſentire, atque antiquiſſimum in rebus ſacris modum regiminis iterum revocare. Pace igitur Religioni R. A. Zu Augſpurg anno 1555. data, Ordinibus Imperii in ſuis ditionibus Eccleſiæ conſtituendæ facultas permiſſa eſt. Quod non ita pridem & Inſtrumento Pacis *c. 5. §. 30.* eſt confirmatum.

XIV. In Imperio itaque noſtro , non Romano Præſuli modò , per dogma veritatis à Luthero iterum in lucem productum , ſed & Imperatori , per Pacem Religionis , Pontificatus hic abrogatus eſt ; imò Imperatori ipſi omne jus eſt præciſum in religionis negotio , cauſisque illi annexis quicquam ſtatuendi , ordinandi , aut innovandi. *Receſſus Imperii de anno* 1555. §. 15. Cui non contravenire , ſub quocunque prætexu id fiat , ſanctiſſimè promiſit Imperator *d. Receſ.* §. 29. Et Ordines Imperii , præſertim à parte Evangelicorum , in cauſa religionis , ſuperiorem nec illum nec alium recognoſcunt. Si autem controverſia quædam religionem aut nonnulla à religione dependentia concernens , inter Ordines oriatur , nullæ Imperatoris partes ſunt : ſed Aſſeſſores utriuſque religionis , certo numero in hujuſmodi caſibus, ad litem decidendam conſtitui oportet. R. A. *de anno* 1555. § 22. Hinc dubio ex pace religionis ſuborto non ad Imperatorem illud ſed tota Comitia pertinet. Ita Iohannes , Marchio Brandenburgenſis , Imperatoris , in cauſa Abbatis Fuldenſis contra Sachſen / Monaſterium Altendorff concernente , Commiſſarius , dubium illud de bonis Eccleſiaſticis mediatis , von den gemittelten Klöſtern/ anno 1558 per interlocutoriam ad Comitia rejecit. Et Maximilianus Secundus cum ex capite religionis quædam inter

inter Ordines controverſiæ ſuſcitarentur, earum cognitionem ſibi non arrogavit, ſed ad univerſos eam Ordines pertinere, anno 1576 die 25. Auguſt. & 24. Sept. expreſſe confeſſus eſt. Das die Irrſäln / vor die geſambte Reichßſtände gehörig: Sintemahl ihre Kayſerl. May. wol geſehn / daß es doch auff eine *declaration*, ſo im Religion friede *cum clauſula annullatoria* verboten / außlauffen wolte. *Propoſitio Legatorum Electoris Saxoniæ ad Cæſarem facta 13 Maji 1630.* Non itaque malè Evangelici Capitulares Epiſcopatus Argentoratenſis, Senatu Aulico recuſato, ad utriuſque religionis Arbitros provocarunt: idque quia cognitionem hujuſmodi rerum, & declarationem pacis religioſæ, Evangelici Ordines Imperatori nunquam conceſſerint. Weil die Evangeliſchen Churfürſten Fürſten und Stände / Kayſerl. May. oder deroſelben Reichßrähten die cognition dieſer Sachen / als welche ohnmittel den Religions-frieden concerniren / niemahls eingereumet / oder geſtendig geweſen. In literis ad Cæſaris Commiſſarios, de dato Straßburg 3. Octobr. anno 1602.

XV. Longe ergo rectiùs hac in re hodiè ſe res Germaniæ habent quàm olim, magnoque patriæ bono poteſtas ſacrorum Papis iterum eſt erepta. Nam impoſſibile, ut vel vera felicitas civilis, vel reſpublica integra poſſit ſervari, niſi majeſtas ſummam habeat poteſtatem in religionis negotia ipſumque cultum divinum. Nulla ſanè ſumma poteſtas civilis poteſt officio ſuo rectè fungi niſi facultatem habeat tum in omnes cives, tum præcipue in omnes ſacrorum miniſtros, imò etiam in primores civitatis, ut ditiſſimos, ſi illi forte obſtent quominus ſacra rite obeantur. Tamen non ceſſant hodie Ieſuitæ quidam (acerrimi Monarchiæ Papalis propugnatores) contrariis dogmatibus Imperium noſtrum turbare. Quod

ſi prudentiſſimum hac in re Chriſtianiſſimi Regis exemplum Sereniſſimi Electores & Principes Germaniæ ſequerentur, ac omnes libros talia docentes comburerent, brevi ab hac intoleranda ſuperſtitione Patria fortè liberari poſſet. Sed relictis ſacris, utpote ad ſcopum noſtrum proprie non pertinentibus, ad alia tranſimus. Neque enim patitur vel ratio inſtituti hæc omnia ex dignitate perſequi.

XVI. Diſpeſcuimus autem ſupra publica in res Eccleſiaſticas & Profanas, has verò iterum in civiles & bellicas. Vtræque ut recte in republica ſeſe habeant, Summæ Poteſtatis eſt videre; hæc verò quia in noſtro Imperio eſt penes Comitia, utique etiam tam civiles quam bellicæ in iis tractari debent. De CIVILIBVS primò agemus. Initium quidem facientes de donis olim Regibus noſtris in Comitiis offerri ſolitis; quandoquidem & hinc plerique veterum Germanorum Conventus incipiebantur.

XVII. Serò admodum in noſtrâ Germaniâ Regibus poteſtas conceſſa eſt, tributis & oneribus Aulæ ſuſtentandæ, aut militum alendorum cauſa, ſubditos Imperii onerandi. Ipſis enim olim ex reditibus propriis, fiſcalinis bonis, aliiſque proventibus Regni, fuit vivendum. Vt autem gratum etiam erga Regem ſuum Status ac Proceres Imperii animum declararent, ipſeq; Rex laborum pro republica exantlatorum haberet præmium, quilibet pro facultate ſua Regi munus aliquod, quandocunque liberet, offerebat. Tandem verò invaluit, ut hæc dona non alio tempore quàm in Conventibus reipubl. cauſa celebratis Regi offerrentur. Quoties autem Rex populi alicujus Germaniæ Comitia de ſalute reipublicæ agebat, Duces, Comites reliquique Status Regni, imo etiam externi Principes & reſpublicæ, aut ipſimet, aut per legatos ſive Miſſos ſuos

Regi

Regi dona fortunæ & conditioni cujuslibet non indecentia donabant. Ad quæ accipienda, propoſitione factâ & jam Ordinibus de ea deliberantibus Rex quotidie comparebat, eaque grato ac benevolo animo accipiebat, quærens ſubinde ſingulos de ſtatu uniuscujuſque regionis, fortunatis gratiam omnem regiam, miſeris vero auxilium & opem promittens, nonnunquam etiam afflictis dona rependens. Quod ex variis ejus ævi ſcriptoribus conſtat. Sigebertus ea de re ita habet: *Regibus moris erat, & ſalutari, & dona accipere & rependere.* Et Hincmarus Ep. 3. c. 35. *Interim vero quo hæc* (ſegregata Statuum conſilia) *in Regis abſentia agebantur, ipſe Princeps reliquæ multitudini in ſuſcipiendis muneribus, ſalutandis proceribus, confabulando rariùs viſis, compatiendo Senioribus, congaudendo Junioribus, & cætera his ſimilia, tam in ſpiritualibus, quam in ſecularibus occupatus erat.* Huc etiam facere videntur quæ Autor hiſtoriæ vitæ Ludovici Pii Imperatoris à Pithœo editus anno 827 recenſet. *Statuit Calend. Julii VVormatiam ad celebrandum generalem populi conventum properare. Imperator ſecundum loci & temporis diſpoſitionem advenit, de his quæ viſa ſunt ſtudioſe tractavit, annua dona ſuſcepit, filiumque ſuum Lotharium in Italiam miſit.* Ex his liquidò apparet, illo quidem tempore lucroſa admodum fuiſſe Regibus Comitia. Jampridem is mos plane in deſuetudinem abiit, omnique ex parte eſt mutatus: & non tantum nihil lucri ex Conventibus Imperatores noſtri percipiunt, verum etiam maximos in ipſis ſumtus facere coguntur. Hinc fortaſſe mirum non eſt, cur ab aliquot ſæpenumerò annis Imperatores nullos conventus urſerint, imò etiam interdum impediverint. Quanquam hanc veram & ſolam eſſe cauſam, cur aliquamdiu inviſa nonnullis fuerint Comitia, non equidem affirmare auſim.

 XIIX. Dum

XIIX. Dum vero in his donis accipiendis occupatus quondam erat Rex, afferentes ea diligentiſſime interrogabat, quid ex illa parte Regni unde veniebant dignum relatu vel retractatu ſecum afferrent. Atque his non ſolum permiſſum, verùm etiam arctius commiſſum erat, ut ſtudioſisſime omnia inveſtigarent, tam intra quam extra regnum, nec ſolum à propriis vel extraneis, ſed etiam ſicut ab amicis, ita & ab inimicis, intermiſſa interim, nec magnopere, unde ſcirent, inveſtigatâ perſonâ. Hæcque omnia diligentiſſime facere, ac expreſſa lege tenebantur quæ exſtat Cap. Lib. 2. c. 13. *Si talis cauſa in qualibet provincia aut in quolibet Comitatu orta fuerit, quæ aut ad inhonorationem regni, aut ad commune damnum pertineat, eam diu latere non permittatis, qui omnia Deo auxiliante corrigere debemus.*

XIX. Cum autem quotidie in Regno tam publica quam privata orirentur negotia, quæ per ipſummet Regem expedire difficile imo verò fuit impoſſibile; prudenti ſane conſilio, ut ab omni ſolicitudine domeſtica, atque in quantum rationabiliter & honeſte fieri poterat, Rex omnipotenti Deo ſpem ſuam indeſinenter committens, ad totius Regni ſtatum ordinandum vel conſervandum animum ſemper ſuum promtum haberet, ipſi in Comitiis à Proceribus & populo, in partem curarum, laboris ſocii, ex ijs qui & claritate generis, & opum amplitudine cæteris eminerent, adjungebantur, qui per pagos vicoſque juſtitiam adminiſtrarent, ac tam de majoribus quam minoribus Regni negotiis cognoſcerent. Hincmarus Epiſt. 3. *Ad eos* (Duces & Comites nimirum) *principaliter totius Regni conſideratio in majoribus vel minoribus, ſingulis quibuſque quotidianis neceſſitatibus occurrentibus, cum Palatio conglutinabantur.*

XX. At-

XX. Atque hi non nudi Regum miniſtri, ſed Magiſtratus Regni fuere, dictique ſunt Conſiliarij Regis, Palatini item Majores, ſeu magis ſpeciali nomine Duces & Comites: *Hincmarus Epiſt. 3.* Neque eos propria auctoritate Rex uti Palatinos Minores aſſumere potuit, ſed eligendi jam olim fuerunt in plenis Comitijs, autore Tacito de Moribus Germ. c. 12. *Eliguntur in iiſdem Comitiis & Principes qui jura per pagos vicoſque reddunt.* Hinc mortuo Warnerio Majore domus, Rex Lotharius Trecaſinis placitum habuit cum Proceribus & populo Burgundiæ, eosque ſollicitavit, ut alium in demortui locum eligerent. *Gregor. Turon. Lib. 11. Hiſt.* Et Ludovicus Pius Imp. Wormatiam venit, habitoque generali conventu Bernhardum Comitem Barcinonæ, qui in Marca Hiſpaniæ præſidebat, Cameræ ſuæ præfecit. *Annal. Francor. in vita Lud.* Imo graviſſimè exaſperati ſunt Proceres Imperij ac ſeditionem excitarunt, cum Carolus Calvus pro arbitrio ſuo hæc officia quibuſcunque liberet conferret. De quo quo ita Aim. Lib. 5. *Regni Primores indignati, quia quibuſdam honores dederat ſine illorum conſenſu & ob id, adverſum ipſum conſpirarunt, & conventum ſuum in Villam Vitmarium conduxerunt.*

XXI. In electione verò horum Magiſtratuum quàm maximè ratio habebatur antiquæ nobilitatis, nec alius niſi virtute præditus, diſcretus, ſobrius, nobilique corde & corpore conſtans, eligebatur. Uti ex hiſce verbis Hincmari videre licet. *Iuxta cujuſcunque miniſterii qualitatem vel quantitatem, miniſter, nobili corde & corpore conſtans, rationabilis, diſcretus & ſobrius electus fuit.* Cum quo etiam hæc Eginhardi verba in vita Caroli M. conveniunt. *Honos Præfecti aulæ non aliis à populo dari conſuevit, quam iis qui & claritate generis & opum amplitudine ca-*

ne cæteris eminebant. Non quidem hæc officia plane erant hæreditaria, habebatur tamen etiam in electione horum officialium magna ratio filiorum demortui; ut ſi quis ex filiis dignus parentis munere eſſet, non facilè negligeretur, ſed plerumque ipſi ſurrogaretur, ceujam ex Tacito apparet. *Inſignis*, ait ille, *nobilitas, aut magna patrum merita, dignationem Principis etiam adoleſcentulis aſſignant.* Et in Capitularibus Francic. anno 877. *Si Comes de regno obierit, cujus filius nobucum, filius noſter ordinet de his, qui eidem Comiti plus familiares & propinquiores fuerunt, qui cum miniſterialibus ipſius Comitatus & cum Epiſcopo, in cujus Parochia fuerit ipſe Comitatus, ipſum Comitatum provideant ſive regant, uſque dum nobis renuncietur, ut filium illius, qui nobiſcum erit, de honoribus illius honoremus. &c.*

XXII. Etſi autem initio Ducum officium atque dignitas tantùm fuerit militaris, ceu ex hiſce diſertis Witichindi verbis apparet: *A tribus etiam Principibus totius gentis Ducatus adminiſtrabatur, certis terminis exercitus congregandi poteſtate contenti; quos ſuis locis ac vocabulis novimus ſignatos, in Orientales ſcilicet populos, Angarios atq; VVeſtvalos. Si autem univerſale bellum ingrueret, ſorte eligebatur, cui omnes obedire oportuit, ad adminiſtrandum imminens bellum. Quo peracto, æquo jure ac lege, propria contentus poteſtate unuſquiſque vivebat.* Succeſſu tamen temporis Duces eandem cum Comitibus juris dicundi poteſtatem acceperunt; imo integras ſæpe provincias ex pluribus Comitatibus coagmentatas, civili & militari imperio adminiſtrarunt. Quod ex variis ejus ævi monumentis liquidò poteſt demonſtrari. Brevitatis causâ duo tantummodò exempla adducemus, ex quibus de cæteris facile poterit judicari. Primùm Eginhardus in Vita Caroli ſic recenſet: *Thasſilo Dux Bavariæ ad Regem evocatus, nec*

redire

dire permiſſus, neque provinciæ quam tenebat ulterius præeſſe; ſed illa Comitibus ad regendum commiſſa eſt. Et Annal. in anno 681 ita habent: *Dagobertus Rex Regnum tam per ſe quam per Duces & Comites bene diſpoſuit.*

XXIII. Habuerunt autem hanc poteſtatem gubernandi rempublicam Duces Comiteſque tempore Francorum, non independenter aut jure proprio, ſed jure Magiſtratus. Id quod rectiſſime hæc Vadiani etiam docent verba: *Franci Reges*, inquit *regnum ſuum Ducum maxime & Comitum operâ moderabantur: qui in illa quidem ætate non ſuam ſeu propriam, ſed publicam Regni ditionem adminiſtrabant. Perinde enim ut apud Romanos, Proconſules, Præſides, Quæſtores, Procuratores: ita in Francorum regno, Duces, Comites, & qui Cameræ nuncii dicebantur, alienæ poteſtatis functionem gerebant.* Et Bodinus L. 3. de Rep. *In Francico*, ait, *Imperio Duces, Comites, Marchiones, & qui arces Provinciarum habent à Principe, juriſdictionem & imperium habuere precarium, nil ſuum.*

XXIV. Sed paulatim illa temporalis & miniſtra Comitum Ducumque poteſtas, partim vi, partim emtione, partim profuſa Regum liberalitate, omninò mutata eſt. Et vero cum Reges ipſi luxu & otio marceſcentes, parum jura reipubl. curarent, fieri aliter non potuit, quin pro ſe quiſque, qua parte poterat, neglecta à Regibus munia occuparet, & in ditionem ſuam pertraheret. Non quidem uno momento, ſed tractu temporis iſtæ mutationes factæ, ut non mutari rempubl. ſed mutatam eſſe ſentirent Reges noſtri. Vti communiter hujuſmodi mutationes fieri ſolent, docente etiam Ariſtotele Pol. l. 5. c. 3 *Civitas, ex partibus conſtat: quarum ſæpe nonnulla occulte augeſcit.* Adeo ſane hodie creverunt Duces & Comites tantoque incremento aucti ſunt, ut provinciis ſuis præſint jam, non

ut gubernatores, ſed tantum ut Reges, collatis in eos iis juribus, quæ ſolius olim Regni erant atque Regum.

XXV. Cæterum an hi judices ſimpliciter olim controverſias potuerint decidere an non, numve ab illis provocatum interdum fuerit, quandoquidem neque Cæſar, neque Tacitus, peritiſſimi rerum Germanicarum ſcriptores, hujus quicquam memorarunt, dubitari non immerito poteſt. Veriſimile tamen videri: lites non alias ad Principes illos delatas, quam privatorum quorumlibet civium, & tantùm quæ inter ſingulos pagorum incolas interceſſerunt finiri ab illis potuiſſe: quæ autem ortæ fuerant aut inter Regem & Principes, aut inter ipſos Principes diverſorum Pagorum, aut inter Principem & populum unius pagi, ad Comitia tum pertinuiſſe, oſtendit Ampl. Dn. Præſes in *Diſputatione ſua de Judiciis Reip. Germanicæ*. Certe ſubſecutis temporibus Francorum, non àlibi quàm in Comitiis has lites fuiſſe deciſas, docent nos varia ejus ævi monumenta. Lib. 3. Cap. Francorum talis lex invenitur. *Neque ullus Comes Palatii noſtri potentiores cauſas ſine noſtra juſſione finire præſumat, ſed tantùm ad pauperum & minus potentum juſtitias faciendas ſibi ſciat eſſe vacandum.* Et Lib. 3. c. 77. Cap. Car. & Lud. Impp. *Epiſcopi, Abbates, Comites, & potentiores quique, ſi cauſam inter ſe habuerint, nec ſe pacificare voluerint, ad noſtram jubeantur venire præſentiam, neque illorum contentio alibi dijudicetur.* Hinc cum inter Reginam Brunechildim & regem Clodovæum lis intercederet, Rex ad Conventum provocavit Procerum, horumque judicio ſe contentum fore promiſit. Qua de re ita Aimon Lib. 4. c. 1. *Conventum nobilium debere eum congregare Francorum; & communi tractatu de communibus conſulere rebus, ſe vero judicio eorum in omnibus pariturum, nec præceptis promiſit obſtiturum.*

Cum

Cum mortuo Ludovico Pio, inter ejus hæredes graviſſimæ ortæ eſſent controverſiæ, non alibi hæ quàm in plenis Comitiis à Proceribus deciſæ ſunt; ceu ex Nithardo aliiſque ejus ævi ſcriptoribus videre eſt.

XXVI. Sed eodem tempore, per appellationem, à judicio devolvi, non ſinunt nos dubitate Capit. Francorum. Quæ lib. 7 ſic habent. *Si quis judicem pro quibuſcunque cauſis adverſum ſibi ſenſerit, aut habuerit forte ſuſpectum vocem appellationis exhibeat, quia neminem oportet audientiam negare roganti.* Addit. lib. 4: *Populo dicatur, ut caveat de aliis cauſis ad nos proclamare, niſi de quibus aut Miſſi noſtri aut Comitis juſtitias facere noluerint.* Confirmat hæc exemplum Ludovici Imperatoris, qui in Saxoniam profectus eſt ad dijudicandas eorum ſententias, quibus injuria à judicibus credebatur facta. Annal. Fuld. anno 852: *Profectus eſt in Saxoniam, ob eorum vel maxime cauſas judicandas, qui à privatis & ſubdolis judicibus neglecti, & multimodis (ut dicunt) legis ſuæ dilationibus decepti, graves & diuturnas patiebantur injurias. Igitur in loco qui dicitur Nimia habito generali conventu, tam cauſas populi ad ſe perlatas juſto abſolvit examine, quàm ad ſe pertinentes poſſeſſiones juridicorum gentis decreto recepit.* Apparet hinc maniſeſtè, tempore Francorum Regum utique licitum fuiſſe parti gravatæ, de quacunque cauſa, ob juſtitiam ſibi fortè denegatam, à Comite ad Comitia ad appellare. Verum ſi quis temere appellaſſe fuit deprehenſus, non tantùm eo ipſo cauſa cecidit, ſed etiam inſuper gravi pœnâ fuit affectus. Judex autem iniquam ſententiam ferens, damnum parti læſæ, interdum etiam duplum reſtituete coactus eſt, imo ſi magnâ partes injuriâ affeciſſet, ſæpe propterea ab officio remotus eſt. *Lehmannus Chron. Spir. Lib. 2.*

vero judex iniquam tuliſſe ſententiam fuerit deprehenſus, non tantum intereſſe parti læſæ refundat, ſed etiam pro ratione cauſæ gravis ipſi mulcta imponatur; ſi autem ſæpius inique judicaverit, plane ab officio removeatur. Sic nempe auctoritati judiciorum conſuletur, quæ ut ſalva maneat maxime intereſt reipublicæ, & litigantibus quod ſuum eſt cuique tribuetur, hique ab injuriâ tuti erunt quorumvis judicum.

XXIX. HACTENUS de electione Ducum ac Comitum eorumque officio. Videamus nunc etiam, ubinam & à quibus Reges noſtri olim electi & adhuc hodie ſint eligendi. Quanquam ſane alii ſucceſſione alii electione noſtros antiquitus Reges ad imperium perveniſſe putent, dicendum tamen videtur, mediam viam in uſu fuiſſe: ita ut liberi Regum vel Imperatorum in imperio non ſuccederent, niſi ab Ordinibus probati, non autem præterirentur ſi imperio digni eſſent, modo in electione etiam Ducum Comitumque paſſim tunc uſitato. Credebantur nempe Regio ſtemmate nati majorum veſtigiis inſiſtere, nec parentum gloriam conſervare tantum, ſed etiam augere velle, juxta illud Ariſtotelis L. 2. Rhet. c. 16. *Sunt nobili loco nati laudis atque gloria cupidi: A natura autem homines ita animati, ut bona illa quæ ante habent augere non imminuere vel amittere cupiant.* At familiâ Regiâ plane extinctâ, tum demum Ordinibus fuit permiſſum, quemcunque vellent liberrima electione ad imperium evehere. Sic extincta familia Carolina, liberrimâ Francorum Saxonumque electione Regnum Francorum occidentale Henrico Aucupi poſtea dicto, delatum eſt. De qua translatione ita habet Rhegino in Chronicis anno 920. *Henricus Dux conſenſu Francorum, Alemannnorum, Bavarorum, Thuringorum, & Saxonum Rex eligitur; quum tamen nullum præ cæte-*

cedendi rationem turbavit Papa Gregorius VII, Seculo à N. C. undecimo; Indignum dicens eſſe libertati Germanicæ, ad unius familiæ ſervitutem Proceres populumque adigi: Longe rectius, imo utiliùs, liberrima electione ex omnibus Imperii civibus optimum quemque eligi. Fuit ille ſane ſpecioſus libertatis prætextus; ſed ſi rem penitius conſideres, nil niſi tyrannidis dominationiſque Pontificiæ conſtructio quæſita fuit. Nec verò priùs deſtitit dæmonium illud hominis, quàm eo rebelles Imperii Principes adegiſſet, ut legem conſtituerent perpetuo quaſi valituram, qua cautum, *ne regia poteſtas poſthac ulli per hæreditatem cederet, ſed filius Regis, etiamſi valde dignus eſſet, per electionem ſpontaneam, non per ſucceſſionis lineam ad Regnum perveniret. Si vero non eſſet dignus Regis filius, vel ſi eum nollet populus, quem Regem facere vellet in poteſtate haberet.*

XXXII. Et quo autem hæc lex in Germaniam introducta, eſt, ingentes ſæpe ob electionem Regis ortæ ſunt turbæ. Imò aliquoties uno eodemque tempore duo pluresve ſimul electi: qui inter ſe commiſſi, non niſi funeſto cruentoque bello rem diremerunt. Et quid mirum? Num enim in bellicoſis & ferocioribus gentibus ſic ubi mera obtineat electio, quieta fore ſperes Comitia? Num largitionum armorumve immunia, ubi multi opibus, genere, animis pares, neque cedere invicem poterunt, neque omnes regnare? Certe quilibet hîc ſibi, ut digniori potentiori aut opulentiori, primas in republica arrogare ſolet & contendere. Illa verò nonne ſumma ſunt diſcrimina, iiſque pejora quibus interdum pueritia Regum vel tenue eorundem ingenium eſt damnoſa?

XXXIII. Hæc autem omnia, hoc uno fere repagulo, dum nempe ſanguinis non exigua habetur ratio in electi-

electione Regum aut Principum, cohibentur. Unde Tacitus Lib 3. Annal. *Pravas aliorum ſpes cohiberi*, dicit, *ſi ſucceſſor non ſit in incerto* Et lib. 2. Annal. *Minore diſcrimine ſumi Principem quam quæri.* Barclajus ſcriptor certè acutiſſimus, hac de re ita ſcribit: *Finge in nobilibus & inquietis gentibus, quas cernimus hereditario jure contineri, puræ electionis morem figere; quid facturos optimates exiſtimas, nunc quoque vix Regum patientes? Jam hæc illis accedet ſui fiducia, poſſe ſe quoque regno potiri, jam deſpectus in regem, qui ex illorum ordine fuit, nec majores liberos relicturus. Aſt ubi fortuna regnandi ſtirpe in unâ conſenuit, Regum præteritorum reverentia adeo vivit in poſteris, ut vel cunæ puerorum in purpuram natorum tacitâ confesſione ſortis noſtræ nos tangat, nec iis indignemur parere, quos priusquam lucem ſubeant ſcimus naſci ut imperent.*

XXXIV. Non quidem meram ſucceſſionem, electione plane remotâ, omni ex parte prætulerimus; ſed hunc modum eligendi optimum ducimus, ubi magna etiam ſanguinis habetur ratio, nec filius qui dignus eſt patri ſuccedere præteritur. Moribus veteribus Germaniæ valdè commodam fuiſſe illam ex hæreditaria ſucceſſione & liberâ electione miſtam conſtituendorum Regum rationem, vel inde ſaltim apparet, quod poſtquam mere libera electio per Hildebrandum eſt introducta, omnia per Germaniam motibus commiſta ſtatim fuerint.

XXXV. Certè funditus Germania noſtra bellis civilibus eſſet deleta, ni ſaluberrimâ Collegii Electoralis inſtitutione huic malo obviam eſſet itum. Hinc Goldaſtus parte 1. Politiſcher Reichßhändel tit. 21. dicit. *Nunquam auſpicatius, nunquam fortunatius, nunquam melius feliciusque conſultam proſpectumq́; fuiſſe auguſtisſimæ Imperatoriæ Majeſtatis culmini, animadvertimus; quàm ubi deligendi*

gendi creandiq́; Romani Regis, ac ſubinde Imperatoris, poteſtas atque authoritas omnium Principum Chriſtianorum conſenſu Septemviris Principibus credita eſt. Imo nihil ſalubrius ad bella civilia declinanda excogitari poſſe, prudentiores quique Politici autumant, quàm ut non ſolum multitudini populi, verum & Optimatum pluralitati, Principis ſive Regis creandi poteſtas adimatur. *Bodin. de Rep. L. 6. c. 5.* Cum itaque in Imperio noſtro magni ſemper naſcerentur tumultus, Pontificibus Romanis nunc hunc nunc illum inimiciſſimè inſectantibus, ipſis etiam Principibus in Cæſarum electione graviſſima contentione diſſentientibus, ubi ſæpius plus valuit potentia & auctoritas quam conſultationes & calculi ſuffragantium, nihil utilius reipublicæ ex eo fuit, quam ut numerum eligentium in paucos adeoque Septem Electores, qui iidem nempe jam tum audiebant Imperii Officiales, contraheretur.

XXXVI. Quando vero hoc jus eligendi Imperatorem ſive Regem Romanum, quod antea ab omnibus Imperii Principibus exercebatur, non paucos, & quidem ſeptem tantum Principes, excluſis cæteris Ordinibus pervenerit, cujuſque auctoritate vel conſtitutione id factum fuerit, magna eſt opinionum differentia. Quas omnes enumerare ratio non patitur hujus inſtituti: paucis itaque ſententiam noſtram propoſuiſſe nobis ſufficiet.

XXXVII. Credimus autem, laudatiſſimum hoc Septemvirorum collegium ſeculo tertio decimo, tempore Friderici Secundi cœpiſſe; nullâ quidem conſtitutione Pontificis aut Imperatoris, utpote cum illi nullum fuerit jus in rebus civilibus, huic verò non competierit poteſtas, citra conſenſum eorum quorum intereſt, jus eligendi multis adimere, certis autem duntaxat vel conferre vel relinquere. Nec uno nutu aut ſpeciali aliqua lege primò

octo Electores, olim vero ab univerſis Ordinibus in Comitiis, non prius ad adminiſtrationem Imperii admittitur, quàm jura & immunitates, Statibus illibatas fore, eligentibus ſanctè promiſerit. More non tantum apud moratiores, ſed totius pene Orbis gentes uſitato. Qui Imperatorum, Regum, Principum, Magiſtratumque poteſtatem, certis juramentarum pactorumque formulis coarctare ſolent, ne ad gubernacula rerum evecti ex poteſtate in tempeſtatem, ex adminiſtratione in effrenem ruant licentiam, & publicam rem pro privata habentes, peſſum dent aut evertant. Hinc non malè Limnæus in Prolegom. ad Capit. Cæſar. inquit: *Videmus nullam fere gentem ita barbaram ac ſtupidam fuiſſe, quæ non regem ſuum ad fidem & tutelam regni ſub certis conditionibus jurandam, ſub initium adegerit.*

XL. VERUM etſi quidem vulgo uſitatum ſit, Regibus & Principibus leges quaſdam præſcribere, ſunt tamen illæ perquam variæ: idque prout Regna à ſtatu monarchico recedunt magis minuſque, fiuntque ſtatus legitimi ſive Regna κατὰ νόμον. In univerſum porrò docet experientia, leges illas præſcriptas non ſolere interdum ab omnibus æquè ſervari, magno reibublicæ malo. Hujus Margareta, trium ſeptentrionalium regnorum domina, exemplum nobis præbet. Quæ cùm in Suecia contra Capitulationem multa tentaret; Proceres, juramentum illi obiicientes, haberent ne diploma conventionum interrogavit: illas autem, ſe habere & quidem probè aſſervare reſpondentibus, ait: *Suadeo ego vobis, ut literas datas diligenti cuſtodia conſervetis: Nos autem caſtra, Civitates & omnes regnorum noſtrorum partes, diligentius obſervari faciemus.* Quod autem hæ Capitulationes in multis regnis ita lubricæ ſint, eâ fere de cauſa provenit, quia fre-

quenter in ſola Principis religione ac conſcientia fundentur, quodque in vero regno harum legum & capitulationis non alii ſunt cuſtodes. Cum enim Rex ſumma poteſtate reverà præditus aliquid promittit, obligatur quidem naturaliter Deo cui omnis ſumma inter homines poteſtas ſubdita eſt. Sed quoad civilem obligandi rationem non ſemper ſupereſt facultas ulla, quæ obligationem ſummæ poteſtatis exequatur, & repoſcat promiſſa eo modo, quo ipſa ſumma poteſtas etiam ab invitis repoſcere & impetrare poteſt.

XLI. Quo tempore autem in imperio noſtro cœptum fuerit Capitulationibus Regum poteſtatem reſtringere, diverſæ ſunt opiniones. Hordlederus ait veriſimile videri, ſub turbulento Henrici IVti imperio eum morem primò natum. Arumæus autem initium ad tempora Conradi I refert. Alii ſub Carolo Magno cœpiſſe exiſtimant. Sed verius, cui & nos calculum adjicimus, Limnæus in *Proleg. ad Capit.*, dicit. Capitulutionis initium cum Imperii noſtri, imo Regnorum quorumlibet Germanicorum, ortu ejuſdem eſſe ætatis, incrementum autem & diverſitatem pedetentim & variis temporum intervallis accepiſſe. Verba ejus merentur adſcribi; *Primis*, inquit, *& illis temporibus, ubi abſoluta poteſtatis appetitus, vel nondum adoleverant, vel nondum publica ſpecimina copioſe dederat, Capitulutio apud noſtrates, vel juramentum quod præſtare ſolebant Reges, paucis conſtabat articulis: poſtea verò paulatim illis alii additi, & his ſuperadditi alii, eo numero ut hodie quinquageſimum uno articulo ſuperari videamus. Nec tamen hic terminus & finis eſſe videtur, niſi imperantium libidinis fuerit.* Et verò primùm omnium plures ſolito leges addi cœperunt, quo tempore contra Henricum quartum Imperatorem rebelles Principes cœperunt Pontificis Romani inſtinctu Anticæſares conſtituere.

XLII. In

XLII. In quæ capita autem univerſalia Reges noſtri olim juraverint, docet nos Artic. 54 lib. 3. Spec. Saxon. Als man den König wehlet / ſo ſoll Er dem Reich hulde thun / und ſchweren / daß er die Warheit ſagen wil / und alles unrecht brechen / und daß er die Reichgerechtigkeit beſchirmen wolle / als beſt er könne oder möge. Et Bodinus lib. 1. de Rep. c. 8. talem nobis exhibet formulam. *Iuro per Deum omnipotentem ac promitto, me juſte regnaturum, judicium, æquitatem, & miſericordiam facturum* Verùm hoc juramentum circa annum 858 auctum videtur in hunc modum: *Ego quantum ſciero, & rationaliter potuero Domino adjuvante, unumquemq; veſtrum, ſecundum ſuum ordinem & perſonam honorabo & ſalvabo, & honoratum & ſalvatum abſq; ullo dolo ac damnatione vel deceptione conſervabo, & qui illam neceſſe habuerit, & rationabiliter petierit, rationabilem miſericordiam exhibebo, ſicut fidelis Rex ſuos fideles per rectum honorare & ſalvare, & unicuiq; competentem legem & juſtitiam in unoquoq; ordine conſervare, & indigentibus & rationabiliter petentibus rationabilem miſericordiam volo impendere, & pro nullo homine ab hoc, quantum permittit humana fragilitas, per ſtudium aut malevolentiam, aut alicujus indebitum hortamentum; deviabo, quantum Deus intellectum & poſſibilitatem donaverit. Et ſi per fragilitatem contra hoc mihi ſubreptum fuerit, cum hoc cognovero, voluntariè illud emendare curabo.* Lehm. Chron. Spir. lib. 2. c. 4. Hodie eam in multidinem excrevit Capitulatio Imperatoribus noſtris præſcribi ſolita, ut quadragenarium numerum aliquot articulis ſuperet.

XLIII. Cæterum cum adhuc electio Imperatorum penes omnes Imperij Proceres eſſet, hæ leges Regibus noſtris, præſentibus univerſis Principibus, poſt electionem, in plenis Comitiis præſcribebantur. *Lehman. Chron. Spir. l.* 2. c. 4.

c. 4. At poſtquam ad Septemviros poteſtas eligendi Imperatoriam pervenit, officio hoc Electorum, quaſi appendicem juris eligendi, adhærere, aliquamdiu creditum eſt. Verùm hodie non amplius Principes volunt concedere Electoribus, ut ſingulis Imperatoribus novas præſcribant leges, dicentes, Capitulationem perpetuo valituram in Comitiis omnium Statuum conſilio formandam eſſe, cum ſit lex fundamentalis Reip. noſtræ, imo cæteras leges fundamentales ambitu ſuo omnes complectatur, ac Cæſaris poteſtatem vel arcte conſtringat, vel ampliet, formamque ipſam regiminis Imperii, adeoque omnium Statuum intereſſe concernat. Eoque tandem perductum eſt, ut in nupero *Inſtrum. Pacis Cæſar. Suecico art. 8. §. 5.* cautum ſit, in proximis Comitiis de certa conſtantique Cæſarea Capitulatione concipienda, communi Statuum conſenſu agi debere.

XLIV. HIC autem non immeritò moveri quæſtio poteſt: An licitum ſit Summæ poteſtati legem præſcribere, eamque cancellis aliquibus includere? Certum ſanè eſt, in Regnis mere electitiis, populo vel Statibus licere Regi quem ſibi elegerint, vel abſolutam vel limitatam concedere poteſtatem: nam naturalis libertatis eſt de re ſua diſponere, & contractui legem pro lubitu addere. Poteſt, imo ſolet, fieri, ut Princeps abſolutus juret, ſeſe ſine amore & odio jus dicturum, conſuetudines patrias non neglecturum, bonorum civium conſilio uſurum, & quæ alia ad laudem & virtutem boni imperii pertinent. In quibus, ſi nulla formula alia facultatem agendi imperandive imminuat, manet ſummum imperium, nec promiſſo tale etiam jurato aliquid decedit. Si enim promiſit juravitque aliquid non ad ipſum jus imperii, ſed ad modum adminiſtrandi tantùm pertinens, ſive ad modum utendi illo

illo jure, non imminuit imperium. Si autem promiſit aliquid Rex aut Princeps, quod ad jura majeſtatis pertinet, ſive partes ſummi imperii, & uſum ejus: verbi gratia ſe non laturum leges, non geſturum bellum, niſi de ſententiaOrdinum:tum partem ſummi imperii aliis communicavit, neque adeo poteſtatem retinet ſummam. Quod in monarchijs plenariis locum habere non poteſt. Fieri enim nequit ut aliquis ſit & maneat ſummâ præditus poteſtate, & tamen cum civibus de exercenda illa ſumma poteſtate contrahat per modum perfectæ obligationis, quæ alteri parti jus det cogendi. Quippe nullum alium judicem habent, ſed in propria cauſa judices eſſe poſſunt, quibuscunque ab immortali Deo rerum omnium arbitrium legibus ſolutum conceditur. *Bodin. lib. 3. de Rep.*

XLX. VERVM ſi Cæſar ſe non præbeat morigerum Capitulationi, an eum deponere licitum? Hæc quæſtio, ut eo melius decidi poſſit, deducemus prius ex fundamentis Politicis, quid in univerſum in Regem aut Principem male imperantem, liceat. Sunt nonnulli, quibuſdam N. T. locis, & exemplo primitiuæ Chriſtianæ Eccleſiæ, quæ quidvis tulit pro Chriſtiana religione, nunquam nempe correptis armis ulta infinitas injurias, in eam ſententiam inducti: quaſi nefas ſit, ſe unquam ſummæ poteſtati opponere, ſed poteſtatis cujuslibet juſſa ſine diſcrimine eſſe ſervanda. Alij vero ſunt adeo faciles in pronunciando, ut affirment, cuilibet licere non tantùm refragari Summæ poteſtati, ſed etiam contra eam armis inſurgere, & injuſte imperanti in reliquis omnibus non parere; imo ſi Princeps in aliqua re peccet, putant ſe ad nullum obſequium obligatos. Horum vox eſt: hält unſer Herr ſo halten wir auch.

XLVI. Sed utra opinio quàm pernicioſa ſit rebus-

rebuſpublicis jam dudum ab eruditis eſt oſtenſum. Si enim nunquam liceat reluctari Summæ poteſtati, omnis tyrannis erit ferenda: imò in extremam ſervitutem detrudi cives per hoc poterunt, adeoque civitas reddi quiverit infeliciſſima: quod tamen in benè conſtituta republica, præſertim illa ubi ſalus tam ſubditorum quam imperantium ſpectatur, minime videtur concedendum. Contra verò ſi promiſcua reſiſtendi poteſtas admittatur, ceſſabit omne imperium, & nulla diu reſp. ſalva permanere poterit; ſed ordine parendi & imperandi ſublato, quod ad omnem reſiſtendi licentiam neceſſariò conſequitur, funditus eam interire neceſſum fuerit. Media igitur amplectenda ſententia: nec dicendum, nullo modo reſiſti poſſe; nec tamen temere cuivis, aut adverſus quemcunque Regem, poteſtas reſiſtendi concedenda eſt.

XLVII. Accurata nimirum adhibenda diſtinctio inter respublicas. Non enim ſtatim quod in mixta licet, etiam in ſimplici eſt permiſſum; & quod in civili cives poſſunt, etiam adherilem eſt extendendum. Nec alicubi, extremam crudelitatem dominantiū effugiſſe, ſufficit; at aliàs major civibus ut felicitas convenit, ita poteſtas in regem major eſt. In republica ſcilicet mixta non tantum Regi licite reſiſti poteſt, ſed ſi in partem majeſtatis ſibi non conceſſam involare velit, etiam illa pars Summæ pteſtatis quam ipſe poſſidet, ipſi in pœnam auferri poteſt. Uti eleganter poſt alios oſtendit clariſſimus Boeclerus in opere ſuo ad Grotium *lib.* 1. *c*, 3.

XLIIX. Oſtenſum autem quamvis ſit, interdum licere reſiſtere Summæ poteſtati, reſtat tamen videre, quando & quo modo. Illud ergo quidē apud omnes bonos extra controverſiam eſt, ſi quid imperet illa poteſtas naturali juri aut divinis præceptis contrarium, non eſſe faciendum quod jubet. Ordo nempe imperandi & parendi, cum totus conſideratur, incipit

à divi-

à divino imperio, cui omne humanum imperium ſubjungitur & ſubjungendo conjungitur. Quod autem in ordine ſub alio ita conſtituitur, ut ab eo modum vim ac decus accipiat, illud repugnare iſti ſupremo, unde ſuum ordinem & vim accepit, non poteſt, aut ſi repugnat, id eſt ſi ſui ordinis limites egreditur, perdit auctoritatem & jus ſuum, quod non niſi in ordine inſtituto & per eum jus eſt.

XLIX. Non tantùm autem Regi reſiſtere licet quoties aliquid imperat ille juri divino aut naturali contrarium; ſed etiã quoties in tyrannum degenerat Princeps in republica civili. Quando autem demum quis tyrannus ſit appellandus, docet eruditiſſimus Bœclerus in opere paulo ante ſed nunquam ſatis laudato; ad Hugonis Grotii *lib. 1. de I. B. & P. p. m. 292.*

L. Deinde ex ſententiâ Ampliſſ. Dn. Præſidis etiam Principi reſiſtere licet, quoties reipublicæ formam mutare conatur. Et quidem tam occultis ejus quam apertis machinationibus reluctari fas eſt: quia ſæpe reſpublicæ conſervari nequeunt niſi etiam fraudulentiæ & occultis mutationibus Imperantium occurratur. Hoc vero maximopere cavendum, ne ſtatim ad arma tranſeatur. Primò videlicet tentandum, an precibus & ſupplicationibus imperantis animus ad meliora flecti poſſit. Si vero ita nihil proficitur, mandata quidem poſſunt non obſervari, ſed ſuſtinenda eſt pœna à Summa poteſtate ob id impoſita, more uſitato primitivæ Eccleſiæ. Si vero nec ita iniquitas imperantium cohiberi poſſit, tum demum vis vi opponenda eſt, primo defenſive, ut nimirum te defendas ab injuria imperantium: denique, ſi aliter ab incepto nolit impio deſiſtere, etiam offenſive in Principem licet inſurgere. Ita ſuperiori ſeculo Germaniæ inferioris populi cum Rege Hiſpaniæ Philippo Secundo proceſſerunt. Tentarunt enim primò precibus eum ad meliorem ſententiam reducere, ſed cum

iis nihil proficerent arreptis armis ſe ipſi oppoſuerunt, primo defenſive, poſt vero etiam offenſive; nec priùs arma depoſuerunt, antequam ſe in plenam aſſeruiſſent libertatem. Nec aliter Succi in depoſitione Sigiſmundi progreſſi ſunt. Id autem in oppoſitione armorum diligentiſſimè obſervandum, ne inoportuno tempore ea fiat, & reſpublica per eam in extremam ducatur perniciem. Semper enim in republica & omni vitâ humanâ minora mala ad majora evitanda ferenda ſunt.

LI. Sed à theſi tranſeamus ad hypotheſin, adeoq; videamus quid in Imperatorem noſtrum liceat. Illud igitur quidem certum eſt, nullam in Imperio noſtro exſtare legem expreſſam, cujus vigore Imperator deponi poſſit. Attamen tacita conditio quaſi Capitulationi, nempe vi contractus, in eſſe videtur, ut tam diu Imperator quis maneat, quamdiu talem ſe præſtiterit qualem fore ſe promiſit. Quemadmodum nimirum non fuiſſet ad adminiſtrationem Imperii admiſſus, ſi dixiſſet ſe nolle præſcripta implere; ita ubi expreſſo facto palàm fecit, ſe nolle amplius ea obſervare, jure etiam ab Imperio removeri poterit. Quando ſanè Imperator eligitur, committitur illi adminiſtratio Imperii, non abſoluta, ſed cum conditione, ut eam exerceat ſecundùm leges ſibi præſcriptas. Id quod ſi facere negligat; indignum ſe reddit nomine & officio, & ſic deſinit Imperator eſſe talis, qualis eſſe deberet, atque fit temerator juramenti quod præſtitit. Vnde etiam ab iis quibus juramentum præſtitit, ob violationem ejus puniri poteſt, & ſi inemendabilis eſt violatio, etiam deponi. Etenim omnis Magiſtratus juramento aliquid promittens, naturaliter primùm obligatur Deo, dein quoque illi cui quid ſervaturum ſe promiſit. Hinc dum quod ſanctè promiſit non ſervat, peccat non tantùm in Deum, verum etiam in illos, quibus id promiſit; & ſic utrobique puniri meretur.

LII. Si

LII. Si exemplis res ſit conficienda, fas fuerit Imperatorem propter cauſas non plane maximas deponere. Quamvis enim legibus aliàs, haud exemplis judicandum ſit, cum nullum ſcelus fere ſit quod non exemplis probari poſſit: attamen in hac exauctorationis materia, ubi nulla lex Imperii fundamentalis nobis ad manus, fortaſſis ab exempis haud infirmum ſumitur argumentum, ſaltim ejus, quid fieri judicarive interdum debeat aut poſſit. Ita autem ſeculo nono depoſitus & omni dignitate exutus Carolus Craſſus: quod cum alias videretur ineptus ad res Imperii adminiſtrandas præ mentis aliquo vitio, tum quod innoxiam Imperatricem ob ſuſpicionem adulterii in monaſterium Andelauvv detruſiſſet, & Cancellarium ſuum Luithartum omni culpa vacuum ab aula removiſſet. *Lehman. Chron. Spir. lib.3. cap. 46.* Henricus IV Otto item IV & alii quidam Cæſarum noſtrorum non alia ferè de cauſa dignitate ſua à Principibus Imperii privati ſunt, quàm quod Papæ per omnia obſequi noluiſſent. Ea ſanè de cauſa excommunicationis fulmine à Pontificibus petiti ſunt. Hinc Henrico IV cauſam ſuæ abdicationis quærenti, à Principibus nonnullis Epiſcopis, qui Imperii inſignia ipſi ereptum ibant, reſponſum legitur. *Quia tu deterrimo diſſidio multos jam annos Eccleſiam Dei laceraſti: quia Epiſcopatus Abbanias omneſque dignitates Eccleſiaſticas venales habuiſti: quia nihil legitimi in legendis Epiſcopis obſervaſti: Ob has res Pontifici Principibuſque Germaniæ placuit, te non piorum communione ſolùm ſed Regni poſſeſſione etiam deturbare.* Sigon *Lib.* 9. de Regno Italiæ. Henricum etiam Quintum hujus Filium, cum is cætu piorum à Pontifice ejectus eſſet, Germaniæ Principes, Wurzeburgum, ad dicendum cauſam evocarunt; haud obſcure denuntiantes, niſi veniſſet, abſentem regno ſpoliaturos. Nec alia ſane de cauſa, niſi

niſi propter anathema ſeu excommunicationem Pontificis Regnum ab eo defecit, ceu apparet ex *Othone Friſing. lib. 7. rerum ab Orig. mundi geſt. cap. 16.* Adolphus Imperator à Rege Angliæ receperat pecuniam, ut eum juvaret contra Regem Franciæ; illud uſq; adeo tulerunt indigne Imperii Principes, ut etiam ex hac & aliis cauſis, autore Archiepiſcopo Moguntino, depoſitus ſit. Cæterum nos ſuperiora iſta exempla calculo noſtro per omnia neutiquam approbamus, imò ſaltim pleraque non dubitamus injuſtitiæ accuſare; nec, an ſupradicti Imperatores bono publico remoti ſint, examinare inſtituti jam noſtri eſt. Id ergo tantum ex iſtis exemplis colligimus: Proceres Imperii ad Imperatoris remotionem, quamvis nullâ expreſſa lege ea de re in Imperio noſtro exſtante, procedere olim conſueviſſe, ac proinde receptam quondam fuiſſe ſententiam, fas interdum eſſe Cæſarem abdicare.

LIII. Cæterum cuinam deponendi Imperatores olim competierit poteſtas, & adhuc hodiè competat, diverſæ admodum & diſſentientes ſunt opiniones. Quidam enim Pontifici Romano, quidam Electori Palatino, alii Collegio Electorali, alii denique univerſo Procerum Imperii ordini, hanc judicandi functionem adſcribunt.

LIV. Imprimis autem ſtrenui Papalis illius poteſtatis aſſertores ſunt hodiè, qui Ieſuiticam ſodalitatem profitentur. Hi enim jus Reges & Principes deponendi, tribuunt Romano Pontifici: idque eo prætextu, quaſi Papæ à Chriſto data ſit poteſtas illa conſtituendi ac deponendi Imperatores Regeſque. Hoc ſane prætenſo jure freti Pontifices Romani fulmine ſuo Reges percuſſerunt, & turbas per id maximas atrociſſimaſque in Imperio etiam noſtro excitarunt. Verùm cum ſacrum codicem inſpicimus apparet, minimè talem Papæ poteſtatem competere.

Vica-

Vicarium enim ſe eſſe Chriſti putat Pontifex. Licet autem hoc ita foret (eſt autem & illud longè falſiſſimum) non tamen hoc quidem vicarii nomine Papæ jus iſtud competeret. Chriſti enim regnum non fuit de hoc mundo, ſed ſpirituale; nec itaque hujus aliud fuerit. Non enim major poteſtas eſſe poterit Vicarii, quàm ejus eſt qui ipſum conſtituit. Quod conſiderans fortiſſimus Imperator Fridericus II, cum à Gregorio IX excommunicaretur & ſubditi juramento fidelitatis ſolverentur, ita ad regem Galliæ ſcripſit: *Etſi Romanus Pontifex plenariam habeat in Spiritualibus poteſtatem, ut peccatores quoslibet poſſit abſolvere & ligare; nuſquam tamen legi, quod Papa, divinâ vel humanâ lege concedente, poſſit transferre pro lubitu Imperium, aut de Regibus & Principibus in Regnorum privatione temporaliter judicare.* Iam tum olim, à temporibus uſque Hildebrandi, nunquam defuerunt Germaniæ noſtræ ſtrenui Papalis illius iniquitatis animadverſores. Hodie etiam talis Papæ poteſtas, ſaltim apud Proteſtantes, non amplius creditur. Nec in temporalibus alium quàm Deum & enſem Principes ſumma poteſtate præditi recognoſcunt ſuperiorem. Papæ itaque non competere talem deponendi poteſtatem in Imperio noſtro, nos quidem tanquam extra controverſiæ alcam nunc collocamus. Videamus ergo à quib⁹ in Ipſo Imperio Germanico depoſitio Cæſaris ſit peragenda.

LV. Et vero ſicuti electio Imperatorum ita etiam eorundem depoſitio in Imperio noſtro per multa ſecula penes univerſos Ordines fuit. Sic unanimi conſenſu jam ſeculo quinto depoſuerunt Franci Childericum I: quem tamen poſtea iterum in Regem elegerunt. Seculo octavo depoſitus atque in monaſterium detruſus eſt ultimus familiæ Merovingicæ Rex Childericus. De qua depoſitione ita Otto Friſingenſis in Annal. inquit. *Igitur anno 752 reverſis à*

Romæ nuntiis, auctoritate Zachariæ Papæ, Pipinus à Beato Bonifacio Moguntino Archiepiſcopo, aliisque Regni Principibus, in Sueſſiona civitate ad Regnum eligitur. Anno ſeq. Zachariâ defuncto Stephanus Papa ſucceſſit. Ab eo Pipinus à fidelitatis ſacramento, quod Childerico promiſerat, cum aliis Regni Francorum primoribus abſolvitur: ac detonſo Childerico & in monaſterium detruſo poſtmodum in Regem ungitur. Confirmat hæc quoque exemplum Ludovici Pii & Caroli Craſſi: quorum ille anno 818, hic anno 887 concilii auctoritate eſt regno pulſus. Idem obſervatum per plura ſecula. Henricus ſane quartus Cæſar malè adminiſtratæ reipublicæ aliquoties in Comitiis poſtulatus fuit, eorundemque auctoritate regia dignitate exutus. Accidit idem Ottoni Quarto & Friderico II. Nec enim ipſi alia quam Comitiali auctoritate fuere depoſiti.

LVI. Verùm poſtquam eligendi poteſtas ad Electores pervenit, crediderunt hi ſui quoque officii eſſe, quem abque conſilio Principum elegerunt, eundem etiam; ſi ita ſalus reipublicæ flagitet, iiſdem inconſultis iterum deponere. Atque hoc jure freti Electores Adolphum Naſſovium ac Wenceslaum pene ſoli de Imperii throno deturbarunt, *Avent. lib. 7. & Gold. Conſtitut. Imperial. tom. 1.* Imò oſtendit doctiſſimus Limnæus *Tom. 5. Iuriſpublici* hodie non univerſis Principibus, ſed uti electionem ita etiam depoſitionem Imperatoris, ſolis Electoribus competere, ibique contraria Stamleri argumenta multis refutavit. Conſentit etiam nobiſcum Bertramus *th. 11. de Comitiis.* Multùm quidem facere ad concordiam inter Electores & Principes in Imperio conſervandam, ut nullus niſi de conſilio omnium Principum deponatur, non eo inficias: attamen ſi nolint Electores id de conſenſu Principum agere, non fortaſſis liquet quomodo ad id cogi poſſint, cum nulla

nulla lege fundamentali ad id teneantur. Enimvero electione conceſſa, etiam depoſitio ipſis conceſſa haud fortaſſis inique videatur. Adolphum porro ac Wenceslaum ſoli Electores depoſuerunt: Ordinibus non reclamantibus, niſi forte de iniquo juris exercitio, ſed non de jure ipſo. Itaque ſaltim veroſimile videtur, ad Electores potius quàm omnes Imperii Principes depoſitionem Cæſaris pertinere. Avertat tamen clementer Deus, ne poſthac unquam tale quid in Imperio noſtro contingat. Sed hactenus de Regibus ſi in Imperium delinquerunt: videamus nunc, ſi Principes fuerint condemnandi à quo id fieri debeat.

LVII. CAVSÆ PRIMORVM populi, præſertim illæ quæ rempublicam & commune civitatis bonum attinebant, apud antiquos Germaniæ populos haud alibi quam in Comitiis fuerunt deciſæ. Vnde Tacitus: *Licet apud concilium accuſare quoque & diſcrimen capitis intendere.* Hinc cum Regina Brunchildis multorum capitalium criminum rea eſſet, negotio ad Concilium delato, Regem ita loquutum refert Aimonius *Lib. 4. c. 1. Vos dulcisſimi commilitones & præminentes Franciæ Primores, decernite, cui ſubiaceat ſupplicio, tanti obnoxia ſceleris.* Addit. *in præſentia Regis judicantibus Francis, indomitis equis religata diſcinditur.* Taſſilonis Bojoariæ Ducis cauſa in conventu quoque populi fuit dijudicata anno 788. *Noxæ convictus* (ajunt Annales Franc.) *uno omnium aſſenſu, ut læſæ majeſtatis reus, capitali ſententia damnatus eſt; ſed clementia Regis licet morti addictum liberare curavit.* Ad eundem modum damnati ſunt in Comitiis Erneſtus aliique Comites perduellionis rei anno 861, ætate Ludovici ſecundi Germaniæ Regis. Et Erchingerius ac Bartholdus Comites fractæ pacis publicæ rei, anno 916, Conrado ultimo Francici ſanguinis rege noſtro, judicati ſunt. De quo ita Ekhardus *Con-*

ſilio

ſilio de hinc habito primò colloquium publicum Moguntiæ, poſtea generale edixit concilium. Vbi tribus illis lege abjudicatis & proſcriptis, prædiisque eorum in fiſcum redactis, majeſtatis rei capite damnati ſunt; cæteris omnibus qui tanto facinori intererant, tanquam reis pro hoſtibus proſequi juſſis. Goldaſt. Tom. 1. Rerum Alem. p. 18.

LIIX. Idem obſervatum tempore ſequentium Imperatorum. Henricus enim I Rex noſter Ducem Lotharingiæ, in frequenti Principum conventu condemnavit majeſtatis reum, hoſtemque reipublicæ denunciavit; unde etiam communi omnium conſenſu bellum in eum decretum eſt. *Muſius Germ. Chron. lib. 16.* Conrado III Rege proſcriptus eſt Henricus Superbus, verum in frequenti Senatu, & ſententia edictoque principum. *Aventinus lib. 6.* Henrici Leonis cauſam non niſi in Comitiis regni agitatam à Friderico I Cæſare, nec niſi de communi Principum ſententiâ illum eſſe proſcriptum, locupletiſſimè teſtantur omnes ejus ævi hiſtoriæ. Idem Henricus ſupplex, à Cæſare cur non potuerit in integrum reſtitui, cauſam diſertè hanc adducit Arnoldus Lubecenſis *lib. 3. c. 29. Non abſque conſenſu Principum Imperator reſtituere illum poterat, quem omnium conſenſu ditionibus ſuis privarat.* Seculo tertiodecimo Fridericus Secundus Cæſar damnavit filium, at non niſi ex ſententia Septuaginta Principum in Comitiis, teſte *Aventino lib. 7. Annali Sec. 14.* Carolus quartus controverſiam de Electorali dignitate inter Palatinum & Bavarum conſenſu omnium Electorum decidit. Reſcripti Cæſarei hæc ſunt verba. Iſt mit allen Churfürſten Geiſtlichen und Weltlichen / und Sie mit ihme / mit gemeinen Raht / einmütiglich zu raht worden und über einkommen. Seculo quintodecimo Imperante Sigiſmundo, Fridericus Dux Auſtriæ à Statibus Imperii proſcriptus,

& omni

& omnibus bonis privatus eſt. *Lebman. Chron. Spir. lib 7. cap.* Eodem ſeculo, anno quadrageſimo, Ludovico Bavariæ Duci cum filio litigaturo reſpondit in hæc verba Cæſar Fridericus III. Wir wollen die Sache mit ſampt unſern und des Reichs Churfürſten / und andern Fürſten für uns nehmen / und euch zu beyderſeits mit der Freundſchafft / oder mit dem rechten entſcheiden.

LIX. Ex hiſce omnibus manifeſtò apparet, ab antiquiſſimis temporibus, in Imperio noſtro, Reges Procerum cauſas non merâ ſuâ voluntate diremiſſe, ſed eas ſententiâ ſimul Principum ejuſdem ordinis, in Comitiis fuiſſe dijudicatas. Qui mos perpetuo in Germania uſque ad tempora Maximiliani I Cæſaris fuit obſervatus. At Carolus Quintus & ſequentes aliquot Imperatores, animo ſuo obſecuti potentiaq; ſuâ freti, propriâ auctoritate, contra conſuetudinem receptam, Electores & Principes interdum proſcripſerunt. *Hordlerus* von anfang und fortgang des teutſchen Kriegs. Sic anno 1546 à Carolo quinto proſcriptus fuit Iohannes Fridericus. Et anno 1621 à Ferdinando II Fridericus Palatinus aliique nonnulla ſola auctoritate Imperatoria proſcripti ſunt.

LX Hinc verò Electores, quaſi piſcatores icti, ſapere diverſa cœperunt, & memores illius, quod quæ notabiliter fiunt, niſi ſpecialiter notentur, videantur quaſi neglecta, Capitulationi Ferdinandi Tertii §. *30* inſeruerunt, ne ullus poſthac Elector aut Princeps Imperii ſine illorum conſenſu proſcribatur. Wir ſollen und wollen auch fürkommen / und keines weges geſtatten / daß nun hinfüro jemand / hohes oder niedern ſtandes / Churfürſt / Fürſt oder anderer / ohne urſach / auch ohngehört / und ohne vorwiſſen Raht und Verwilligung des H. Reichs Churfürſten / welche ſich des wercks nicht theilhafftig gemachet / in die Acht und Oberacht gethan bracht oder erklärt werde &c. Noviſſimè vero hac de re in

Inſtrum. Pacis Cæſareo Suecico *art. 8.* §. 2. ſtatutum eſt, de modo & ordine in declarando uno vel altero Statu in bannum Imperii, præter eum qui aliàs in Conſtitutionibus Imperii deſcriptus eſt, ex communi Statuum conſenſu agi & ſtatui debere.

LXI. Deinde non tantùm cauſas vitam ac famam Principum, ſed etiam Ducatum, Principatum aut Comitatum aliquem concernentes, ſachen Fürſtenthumb Hertzogthumb oder Graffſchafften etc. belangend / ſo einem Theil gäntzlich und endlich abgeſprochen werden ſollen / neque ſolus Imperator, ſed conſilio Procerum Imperii tamquam Parium Curiæ, vigore des Fürſtenrechts / in prædictis cauſis concludit. Limnæus, *Tom. 1. l. P. lib. 2. cap. 9.* Et Goldaſtus rerum Imperii peritiſſimus, *lib.* 2. in tractatu ſuo de Senioratu ita ſcribit *Ius Principum, quod vulgo appellatur* das Fürſtenrecht / *ex quo Rex vel Imperator tenebatur, controverſos Regni & Imperii Principatus & Comitatus cum Paribus Curiæ cognoſcere ac dijudicare, non ſolum in prima & ſecunda Francorum familia in uſu fuit, verum etiam ævo multùm poſteriori, & ſubſecutis noſtris ſub Cæſaribus.* Apparet hoc etiam ex Imperatoris Sigiſmundi literis ad Conradum Electorem Moguntinum, de anno 1426. In his enim, de controverſia inter Bavariæ Principes ut ferret ſententiam rogatus, cauſas cur precibus non ſatisfacere valeret, haſce allegavit: Nun ſein wir mit andern der Chriſtenheit geſchäfften ſo fern und ſo treflich beladen / daß wir zu ſolcher entſcheidung zwiſchen ihnen nicht füglichen mögen zeit und weile haben / und auch daß wir deſſen nicht woll mögen' außwarten / und nemlich auch darum / daß uns das nicht gebühret / nach dem wir auch meinen recht zu demſelben Niederlanden zu haben und in unſer eigen ſach nicht richter geſein mögen. Und weil die ſache des Heil. Reichs treffendliche Lehen anrühret / ſo haben wir Fürſten / Graffen und Herren Rähte darüber gehabt / und meinen / das billig ſei / daß dieſelbe Sache vor des Reichsmannen außgetragen werde.

LXII.

LXII. Conſiderantibus autem, quidnam Reipublicæ noſtræ utilius: per ſolum Cæſarem, aut ipſum & Principes ſimul cauſas Principum dijudicari? haud difficile liquet, optimè convenire & populi moribus & integræ reipublicæ noſtræ ſtatui, has lites per Imperatorem & Pares Curiæ decidi. Neque verè in Regno legitimo, & ubi reipublicæ ſumma non debet eſſe penes unum Regem, melior ratio judiciorum poſſet inveniri. Qui enim rectiùs caveris optimatum libertati, quam ſi cauſæ, illorum famam vitam dignitatem & maxima bona attinentes, non niſi in optimatum concilio decidantur? Cum itaque Germania noſtra non ſit reſpublica monarchica, ſed in partem Summæ Poteſtatis veniant Ordines Imperii, manifeſtum fit, cauſas Ordinum, quæ quidem vita & dignitatem vel bona potiſſima attinet, non eſſe in alio judicio decidendas, quàm ubi ipſimet Proceres Imperii præſentes, aut ſint ipſimet, ad minimum aut ſaltim id conſtituerint. Atque hoc etiam probare videtur Ampliſſ. Dn. Præſes; Diſp. ſua de Judiciis Reip. Germ. his verbis: *Itaq; aut antiquus & ab omnibus retro ſeculis uſitatus mos Principum cauſas Regis & Parium judicio committendi fuerit obſervandus: aut vero tribunal aliquod in hunc uſum communi reipublicæ auctoritate fuerit inſtituendum. Communi inquam: Neq; enim temere permittendum, tantæ ut cauſæ, vel citra Regis vel citra Ordinum mentem & ſententiam judicentur; utpote quum ad reipublicæ ſummam pertineant, ſumma autem iſthac penes illos conjunctim ſit, niſi fallimur.*

LXIII. TRANSIMVS jam ad alia Comitiorum negotia. Cum ad eam ætatem olim juvenes in republica noſtrâ pervenirent, quæ armis tractandis eſſet idonea, in plenis conventibus ea arma ipſis tradebantur. Tacitus l. de Moribus Germ. c. 13. *Arma ſumere non ante cuiquam mo-*

ris, quam civitas ſuffecturum probaverit. Tum in ipſo concilio vel Principum aliquis, vel pater, vel propinquus, ſcuto frameaq; juvenum ornant. Hæc apud illos toga; hic primus juventæ honos. Antehac domus pars videbatur, mox reipublicæ. Atque hæc ratio armandi juvenes per multa ſecule duravit. Quapropter de Friderico I Imperatore fortiſſimo adhuc hiſtoriæ teſtantur, quod filium ſuum Henricum in plenis Comitiis armis induerit.

LXIV. Hoc vero inſtitutum, univerſæ ſalutare fuiſſe Germaniæ, multùmque ad virtutem bellicam profuiſſe, tuto equidem auſim affirmare. Dum enim civitas non ante quemquam armis induebat, quàm ſe tanto honore dignum geſſiſſet, & virtute commeruiſſet, omnes ad egregium aliquod facinus pro republica præſtandum, virtutemque jam inde à juvenili ætate colendam, mirifice inſtigabat. Sane ad æmulationem (quæ, ut cum Paterculo loquar, *ingenia alit, & nunc invidia nunc admiratio imitationem accendit*) quid efficacius inſtitui potuiſſet; Certè nullâ re magis reliquos juvenes, qui nondum hoc honore digni judicabantur, & armigeri duntaxat erant reliquorum, ad imitationem fortius virorum facta inſtigare potuerunt; quàm ſi præmium, quod ſuis conſanguineis jam dari viderent, ob ſimilem reipublicæ navatam operam, mox etiam ſibi datum iri promitterent. Hodie mos ille in Germania planè exolevit. Etſi hiſce etiam temporibus in Principum aut Ducum aulis illi qui in ſervitio nobili educati fuere, ſimulatque tractandis armis idonei habentur, colapho ſolent primum excipi, ac mox gladio armari. Quod quidem à Romanis potiùs, qui hoc modo mancipia ſua libertati reddebant, ad nos devenit quàm ex antiquo Germanico ritu fortaſſe promenavit. Sane aliquanto ſervilius, minime autem generoſæ Germaniæ nobilitatis indoli conveniens cui videatur.

LXV.

LXV. PERVENIMUS jam ad poteſtatem legiſlatoriam. Videamus itaque, cuinam illa in Imperio noſtro competat. Multi, inter quos etiam Reinkingius, ſtrenuus forte nimium Cæſareæ poteſtatis aſſertor, omnem legum ferendarum poteſtatem uni tribuunt Imperatori; ipſumque ex plenitudine poteſtatis leges condere atque abrogare poſſe, aſſeverant. Sed hi, dum eandem ex legibus Romanis noſtro Imperatori tribuunt poteſtatem quæ Cæſarum fuit Romanorum, & fallunt alios & ipſimet admodum falluntur. Non enim ex iſtis legibus Regum noſtrorum auctoritas eſt æſtimanda. Hæ ſcilicet conditæ ſunt in monarchia: at in noſtro Imperio nunquam ea obtinuit, ſed ſtatus mixtus perpetuò fuit obſervatus; uti Ampliſſ. Dn. Præſes aliique viri celberrimi ſcriptis ſuis clarè oſtenderunt. Imò præfuerunt Reges Germani olim ſuadendi magis quam jubendi poteſtate, teſte Tacito *de Morib. German.* Non itaque fit veriſimile, rem in qua plurimum momenti ſitum, & quæ totam mutare rempublicam poterat, uni eſſe commiſſam Regi. Contrarium potius (leges nempe ab univerſis Ordinibus in plenis Comitiis fuiſſe ſemper conditas & adhuc hodie eſſe condendas) ex variis Imperij monumentis apparet. Ut autem res fiat clarior, eam paulo altiùs ex hiſtoriis deducemus.

LXVI. Igitur omnes olim Leges, quas Franci vel ſibi ipſis vel aliis populis ſibi ſubjectis, Alemannis, Ripuariis, Friſiis, Bajoariis, Langobardis & Saxonibus tulerunt, latæ fuerunt in conventibus populorum; nulla earum eſt lata à ſolis Regibus. Indicant id liquidò ipſæ Legum inſcriptiones, quæ etiam num ſuperſunt. Id quod ab Ampliſſ. Dn. Præſide *libro de Origine Juris* paſſim eſt obſervatum. Fertur quoque Caroli Magni nomine diploma:

in quo hæc verba legere eſt : *Ego Carolus qui Deo favente curam regni gero , & Romanorum Imperator exiſto , conſilio Principum regni noſtri, Epiſcoporum , Ducum , Marchionum ac Comitum , rogatu verò tam liberorum quam ſervarum , in plurimo generali conventu in diverſis locis regni noſtri habito, diſcuſſi , prout melius & juſtius cunctis videbatur , primùm de lege ſanctarum Eccleſiarum &c. deinde prout cunctis placuit prudentioribus regni noſtri , legem Saxonicam, Noricorum, Suevorum, Francorum, Ripuariorum, Salicorum, ſicut mos & poteſtas Imperatorum eſt , & omnium meorum anteceſſorum ſemper fuit , diſtinxi, diſtinctam ſub autoritate regia & Imperatoris ſtabilivi, non ex mea adinventione vel corde prolatam, ſed communi conſilio à me renovatam & auctam in melius, ſicut patres & prædeceſſores mei feciſſe perhibentur* ; Et paulo poſt. *Ego veſtri decreti & petitionis voluntarius extiti :. vos quaſi patres & fratres audivi , nunc quæſo, ut meæ petitionis & intentionis , non ſolum adjutores, ſed & benevoli factores fieri velitis. Nec quod indecens aut intolerabile ſit quæro , ſed quod tota Gallia & univerſi Principes potius concedere quam negare debent.* Hæc verba ſunt illius diplomatis. Verum nos illius fide nequaquam nitimur. Eſt enim ſuppoſititium totum illud de Aquisgranenſium urbe quod fertur Carolinum Privilegium. Id quod itidem cum ab aliis , tùm in *Aſſertione Juris Moguntini* jam eſt ab Ampliſſimo D. Præſide monitum.

LXVII. Non aliam poteſtatem etiam filius Caroli Magni Ludovicus ſibi arrogavit , ceu ex deſcriptione vitæ ejus colligere licet , ubi hæc inveniuntur. *Qua hyeme Imperator in eodem palatio* (Aquiſgrani) *conventum publicum populi ſui celebravit , & capitula quædam legibus addidit, in quibus cauſæ forenſes claudicare videbantur* ; *qua hactenus*

nus veluti pernecessariæ videbantur. Similiter anno 820 Lotharius imperator leges quaſdam de percuſſoribus clericorum in Comitiis tulit: quarum clauſula ita apud Goldaſt. Tom. 2. Conſtit Imper. legitur. *Aistulphus Moguntinenſis Archiepiſcopus dixit, ſi Principibus placuerit aliiſq; fidelibus ſuis, rogemus, ut collaudetur, & ſubſcribatur. Et collaudatum & ſubſcriptum eſt, tam à Principe quam à cæteris omnibus.* Idem ab aliis ejus ævi Francorum Regibus, ut & ſequentibus eſſe factum, hiſtoriæ illorum temporum nos docent.

LXIIX. Hinc autem manifeſto apparet, ſaltim tempore Francorum Regum non alibi latas leges quàm in Concilio totius populi. Perpetuò vero etiam à ſequentibus Imperatoribus uſque ad ipſum Ferdinandum II fuiſſe id obſervatum, cuivis res Germaniæ geſtas inſpicienti, non difficulter liquet. Imo ipſe ille Ferdinandus Secundus, quamquam fortaſſe contrarium interdum fuerit auſus, verbis id ipſum confiteri haud dubitavit, leges nempe in Comitiis eſſe condendas. Ita enim legatis Circuli Franconici anno 1629 28 Auguſti reſpondit. Es erinnern ſich ihre Keyſerl. Majeſt. daß in den jenigen Sachen / da man newe Geſetze und conſtitutiones auffrichten wolle / dem in Reich herkommen nach / ſolches auff gemeinen Reichsverſamlungen conſtituiret werden ſolte. Item cum ElectorSaxonius literis de dato 28 April. anno 1629 ad Cæſarem datis, multis rationibus oſtenderet, Religionis negotium, ab exorti diſſidii primordio, in Comitiis Imperii publicis tractari ſolitum, ac proinde totam ferventem eo tempore Edicti Cæſarii cauſam, illuc eſſe rejiciendam; juſſu Imperatoris reſponderunt Conſiliarii aulici: Newe Geſetze können ihre Keyſ. Mayſt. nicht machen ohne conſens der ſämbtlichen ReichsStände / man verſire aber dißmahl nicht in termi-

nis legis ferendæ, ſondern juſtitiæ adminiſtrandæ. *Thomas Manlius in Epiſtola Iconiſmo Aquilæ Rom. annexa.*

LXIX. Porrò ex ipſis Receſſibus liquidò apparet, leges generales Imperii, expreſſo Statuum conſenſu eſſe condendas. Receſſu enim de anno 1495 in principio ita legitur. Mit zeitigem ewer / der Churfürſten / Fürſten / und gemeiner verſamlung / auff unſerm und des Reichstag zu Wormbs auffzurichten / und zu halten / fürgenommen und geordnet. Et de anno 1512 in principio Uns mit des H. Reichs Ständen / und ſie mit uns nachfolgende articul und meinung / als ein Chriſtlich corpus und verſamlung / gegen und mit einander vereiniget verpflichtet und vertragen. Fridericus I pridem ante legem de incendiariis ita concluſit. *Actum Nürenberg in præſentia Principum, conſilio & conſenſu eorundem.* Hinc etiam fit, ut Imperi non Imperatoris Receſſus dicantur ſed Reichsabſcheide / gemeiner Reichsverſchluß / aut Receſſus Imperatoris ac Imperii. Unſer und des Reichs Ordnung / Conſtitutionen und ſatzungen / unſer und gemeiner Stände Abſcheid. Receſſu de anno 1564. §. 13. & de anno 1597. § 50. ac paſſim alibi.

LXX. Hodiè imo Imperatores in ſingulis Capitulationibus ſuis jurare tenentur, ſe nullas condere leges aut mutare velle abſque expreſſo Statuum conſenſu. Formula communiter talis eſt. Wir ſollen und wollen auch / deß H. Reichs Ordnung und Geſetze / confirmiren / erneweren / und wo Noht dieſelben / mit Raht unſer und deß H. Reichs Churfürſten Fürſten und andern Ständen beſſern / wie das zu jederzeit des Reichs gelegenheit erfordern wird. Noviſſime hac de re Inſtr. P. art 8 §. ita de omnibus Ordinibus Imperii decretum eſt. *Gaudeant ſine contradictione jure ſuffragii in omnibus deliberationibus ſuper negotiis Imperii; præſertim ubi leges ferendæ vel interpretandæ &c. Nihil horum*

aut

aut quicquam ſimile poſthac unquam fiat vel admittatur niſi de Comitiali liberoq́ omnium Imperii Statuum ſuffragio & conſenſu.

LXXI. Hinc liquet: non aliam poteſtatem Cæſaris eſſe in lege ferenda, quam quæ in conventionibus unius partis contrahentium. Cum verò contrahentium in contractibus ineundis arbitrium hoc ſit, ut alter alterum invitum obligare non poſſit, ſed utriuſque requiratur conſenſus; conſequens eſt, non poſſe Imperatores, ex plenitudine poteſtatis (hæc enim in Comitiis Imperii revera nulla eſt) Ordinibus invitis quicquam ſtatuere, ſed ad valorem legis, omnium aut certe plurimorum requiri conſenſum. Eòque Receſſus Imperii noſtri, ſeu leges in Comitiis latas, Senatuſconſulta potius dicenda eſſe quam Edicta; & quidem talia Senatuſconſulta, ad quæ requiritur non ſolum unius vel alterius Status conſenſus deliberatio & præſentia, ſed plurimorum. Et verò quemadmodum Imperator, ſi poſtulatis ejus Ordines certis de cauſis aſſentiri recuſent, non habet quod eos inobedientiæ accuſet Ita ſi iidem Ordines, antiquas leges, aut in totum abrogare, aut ex parte mutare, & alias novas ferre, è re Imperij eſſe putent, in eoq̀ue unanimiter conſentiant, ac conſtanter perſeverent; Imperatorem illis reluctari temere non poſſe, ſed conſenſum ſuum quadamtenus neceſſariò præbere oportere, aut Ordinibus, non obſtante ejus diſſenſu, concludendi ac decernendi eſſe facultatem; videtur ſine cujuſdam injuria poſſe aſſeverari. Tale quid jam anno 1544 accidit, quod decretum Wormatienſe invito, & per legatum ſuum contra proteſtante Cæſare, alio Decreto ſublatum eſt; *Sleid. l. 4. Hiſt.* Quod poſterius decretum in tantum valuit, ut etiam ſigillo ſuo id approbare Cæſar propemodum invitus fuerit coactus, *Receſſus Imperii de anno 1544. § 36.*

LXXII. PRÆTEREA ad pacis negotia ſpectat etiam jus cudendæ monetæ. Nulla videlicet reſpublica omnium rerum ſufficientiâ à natura eſt donata, ſed quælibet eget multis quæ aliunde comparare neceſſe habeat, multis vero viciſſim abundat, quæ magis ſibi utilibus commutare cupiat. Hinc jam olim recte dixit Ariſtoteles lib. 1. Pol. c. 6. *Permutatio, ut in omnibus rebus, cœpta eſt primum ex eo quod ſecundum naturam eſt; quod homines alia quidem plura alia vero pauciora quam ſatis ſit habeant.* Quia verò res quæ permutantur, haud raro ita comparatæ ſunt, ut de loco in locum commodè tranſportari nequeant, nec ſemper homines cum quibus permutare alii volunt iis rebus indigeant, quas permutare conſtituerunt, nec ſingulæ res ſingulas præciſe metiantur, permutatio autem minime difficilis reddenda aut impedienda, conſilio ſapientum & auctoritate ſuperiorum introducta eſt alia permutandi ratio quæ fit mediante nummo. Vnde & Ariſtoteles *l. 5. Eth. c. 8.* ait: *In permutationem futuram, ſi forte re aliqua nunc non egeamus, tunc ejus nobis facultatem & copiam fore cum egebimus, veluti ſponſor nummus intercedit.*

LXXIII. Quo autem negotiantibus de integritate nummi plenè cautum ſit, non ſanè vulgaris aliqua auctoritas ſufficit ad notam imprimendam, ſed planè magna, ut ſcrupulus omnis de ejus valore nobis eximatur. Hinc patet, notam illam publica auctoritate ſolum plerumque ſaltim imprimendam eſſe; ut ſit nempe ſignum iſthoc bonitatis & valoris nummi indubitatum quoddam & omni exceptione majus teſtimonium. Aliàs ſane contrahentes raro ſecuri forent; cum tamen nummi omnis tanquam pignoris & ſponſoris propria functio ſit, ut contrahentes ſecuros faciat. Hæc & ſimilia perpendens Carolus Magnus Occidentalis Imperii reſtaurator, nullibi

niſi

niſi in regio ſuo palatio, monetam, hac expreſſa lege, quam nobis Anſegiſus *lib. 3. c.* 13. tradit, cudere juſſit. *De falſis monetis, quia in diverſis locis contra edictum fiunt, volumus, ut nullo alia loco moneta cudatur, niſi in palatio noſtro; niſi iterum à nobis aliter fuerit obſervatum.* Caroli poſterorum unus & alter, præſertim Craſſus noſter, circa rem monetariam non pari fuerunt prudentia; ideoque & aliis monetæ condendæ jus conceſſerunt; perquam paucis tamen. At nimia liberalitate Ottonum, cum plerisque mox Epiſcopis, inde & cum Ducibus, jus hoc nummorum communicatum eſſe, oſtendit Ampliſſ. Dominus Præſes *in Diſp. ſua de Re Nummaria in Rep. quavis rectè conſtituenda.*

LXXIV. Verum non ſtetit intra hoſce terminos ſequentium Cæſarum profuſa liberalitas, ſed ex poteſtate plane Regia, promiſcuam pene licentiam, vel fecerunt, vel fieri paſſi ſunt. Non enim Comites Imperii tantùm plurimi, ſed etiam Principibus ſubjectæ civitates, imo Nobiles ac Doctores nonnulli, vel Imperatorum aut Principum dono, vel præſcriptione multorum annorum, hoc jus nacti ſunt. Vt hodie quorumdam auctoritatem in nummis ſignandis ſequi teneamur, quibus ne quidem in contractu aliquo fidem tutam temere adhibeas. Quantas autem hæc res Imperio noſtro dederit difficultates, neminem vel hiſtoriarum ſuperficietenus gnarum facile fugiet.

LXXV. Diu vero eſt quod huic malo remedia ſunt quæſita, atque ea de re multis in Comitiis, ſed lento aut potius nullo ſucceſſu, eſt actum. Tandem autem Ferdinandi I tempore feliciùs ceſſit, editaque eſt de re monetaria nova conſtitutio Auguſtæ Vindelicorum, anno 1559: quæ ſequentibus aliquot Conſtitutionibus partim

correcta, partim adaucta. Ne tamen cuiquam jus etiam ſuum quæſitum auferretur, ita res temperata eſt; ut quibus conceſſum jus cudendæ monetæ, ſi proprias fodinas auri argenti & æris non habeant, eo jure non domi ſuæ, ſed tribus aut quatuor duntaxat locis à Circulo deſignatis utantur, atque ibi ab ipſo Circulo conſtituantur præfecti monetales, qui nomine Circuli omnia rectè curent. Quia vero nec ita ſatis cautum eſſet rei monetariæ, aut quia forſan leges hac de re latæ parum obſervarentur, conſtitutum eſt in *ultimâ Capitulatione* §. 33. Leopoldi, Imperatorem ad proxima Comitia rem debere afferre, & omni ope anniti, ut communi conſilio Electorum & Principum Imperii, gravamina rei monetariæ ſopiantur; quod ſe etiam facturum ibidem promiſit. Und nach deme im Reich viel beſchwerungen und mangel der Müntz halber bißhero geweſen/und noch ſind / wollen wir dieſelben zum förderlichſten mit Rath / der Churfürſten Fürſten und Ständen des Reichs zuvor kommen / und in beſtändige Ordnung und Weſen zuſtellen müglichſten fleiß fürwenden / auch zu dem End die jenigen Mittel / ſo in anno 1603. und auff vorigen Reichstagen / durch Churfürſten und Stände des Reich in gemein bedacht / in gute obacht nehmen / und was ferner zutregliches zu abwendung ſolcher lang gewehrten Unrichtigkeit auff dem prorogirten nechſtkünfftigen Reichstag vor gut befunden werden möchte / zu mahlen nichts unterlaſſen. Et in eadem *Capitul.* §. 34. optimus Imperator promiſit, ſe nemini abſque conſenſu Electorum Jus monetæ vel concedere. Wir ſollen und wöllen auch hinfüro / ohne vorwiſſen und abſonderliche einwilligung und conſens der Sieben Churfürſten / niemands / wes Stands oder Weſens der ſeye / mit Müntzfreyheiten und Müntzſtätten begaben und begnädigen / etc.

LXXVI. Quanta porrò hodie ſit poteſtas Imperato-

peratoris circa rem monetariam ex ſupra allatis apparet. Certe intantum nunc circa hanc rem reſtricta eſt Cæſaris auctoritas, ut ne circa minimam quidem monetam gantze und halbe Batzen / Pfenning und Heller / ſolus Imperator quicquam ſtatuere poſſit. Vti ex *Receſſu Imperii de anno 1624 § 26.* R. A. des reichtages zu Augſpurg *de anno* 1551. §. 36. *circa finem apparet.* Mit Churfürſten / Fürſten / und Ständen / ferner alhie verglichen / angeſtellet und verfaſſet.

LXXVII. COETERUM hactenus de rebus in Imperio noſtro ad pacis tempora ſpectantibus. Sequuntur jam res belli. Eſſe enim quidem adhuc alia Imperii negotia, quæ more recepto; aut vigore Inſtrumenti Pacis & Capitulationum, non à ſolo Imperatore, ſed ab omnibus in Comitiis Ordinibus ſint decidenda; non imus infitias. Verum hæc omnia hoc Exercitio Academico exequi, non patitur ratio noſtri inſtituti. Videantur illa in Inſtrumento Pacis & Capitul. nec non Limnæi de Iure Publico, atque ad Capit. & ad Aur. Bullam commentariis, Libro item cui Tit. Die Grundfeſte deß Heil. Röm. Reichs. Pergimus jam ad negotia belli.

LXXIIX. Admodum ergò accurate Philoſophus noſter Atiſtoteles *Pol. 7. c. 14.* vitam humanam diviſit in negotium & otium, Bellum & Pacem. Hanc autem prævalere tanquam rem nobiliorem, utpote ad quam conſervandam aut recuperandam negotia belli ſemper ſint dirigenda, idem oſtendit *Pol. 7. cap. 2.* Nomen enim ipſum pacis dulce, res vero jucundiſſima & planè ſalutaris eſt: nihil e contra bello, malorum omnium compendio, funeſtius excogitari poteſt. Hinc ſanè omni ope annitendum, ut pax ubique in republica conſervetur.

LXXIX. Verùm quoniam ea ſæpè incidunt tempora, ut pax obtineri in republica, ſalva regiminis eſſentia,

non poſſit, non tantum ad pacis, ſed etiam ad belli negotia debet hæc eſſe inſtructa. Nam qui (proh dolor!) perverſi ſunt hominum mores, vix caveri poterit, ne una aliam injuriâ afficiat civitatem; at cum inter illas nullus adſit judex qui litem in judicio dirimat, neceſſariò res Marti erit committenda, & bellum ſuſcipiendum. Ea enim malitia eſt hominum, ut qui potentiâ valent ſæpe vim aliis faciant, quam niſi repellere vi poſſis, ſuccumbere te neceſſum eſt violentæ exterorum libidini. Hinc illa demum reſpublica bene ſeſe habet, quæ non tantùm pacis ſed belli etiam artibus atque idoneis adminiculis inſtructa eſt; quæ hac laborat parte, quamvis pacis artibus floreat feliciter, reapſe tamen miſera eſt, patens videlicet injuriæ externæ. Quod conſiderans ſecratiſſimus Imperator Juſtinianus, in *proœmio Inſtit.* dicit: *Imperatoriam majeſtatem non ſolùm armis decoratam ſed etiam legibus oportet eſſe armatam; ut utrumque tempus & bellorum & pacis rectè poſſit gubernari.* Sciitè etiam Accurſius leges & legiones duo mundi brachia appellat. Et Lipſius *de Civ. Doctr. lib. 5. cap. 2.* inquit *Nulla res vitam aut tranquillum uſum habet ſine militia. Patria, libertas, atque adeo ipſi Reges, latent ſub præſidio bellicæ virtutis.*

LXXX. Suſcipere autem bellum poſſunt omnes reſpublicæ modò ſuperiorem non recognoſcant. Quæ enim ſuperiorem agnoſcunt, ſi quas petitiones ſe habere putent, jure expertiri & poſſunt & debent; habent ſcilicet qui judicet ipſos. Quod etiam jure gentium certum eſt; ubi jure agi poteſt. Nempe ab armis eſſe abſtinendum. *Nihil enim ferinum magis aut belluinum eſt, quàm ut ab alio velit quis & audeat, ſive aperta vi ſive ſubdola, extorquere, quod ſola rationis auctoritate poſſit ac debeat evincere, & in deficientis rationis locum vim ſubſtituere.*

deni-

denique in armis, in quibus nil niſi vis eſſe poteſt, jus ipſum collocare. Ut eleganter diſſerit *Antonius Faber in Epiſtola ante Conſult. de Ducat Montiſ. pro Duce Sabaudiæ.*

LXXXI. Non aliter itaque, niſi ubi ſuperior nullus adſit, ac juſtiſſimâ de causâ ſuſcipiendum eſt bellum; idque hoc unico fine, ut pax & juſtitia quæratur ac quæſita conſervetur, gerendum. R. A zu Nürnberg *de anno 1542.* §. 10. Id etiam in primis eſt tenendum, ne avaritiæ aut ambitionis causâ ſuſcipiantur bella; adeoque nunquam Princeps ſe implicet bello niſi juſto. Enimvero à causâ eventus belli plerumque dependet. Eoque rectè Lucanus l. 7. inquit:

Cauſa jubet Superos melior ſperare ſecundos.

Et Propertius *Eleg. 7.*

Frangit & attollit vires in milite cauſa.
Quæ niſi juſta ſubeſt, excutit arma pudor.

LXXXII. Cæterùm non eſt noſtri jam inſtituti, dicere: quando & à quibus legitime bella ſuſcipiantur; ut nec eſt hujus loci diſceptare, quanam de cauſa illud ſit gerendum. Id tantummodo facit ad ſcopum noſtrum, ut videamus, ſi forſan (quod tamen Deus clementer avertat) bellum nomine totius Imperii ſit gerendum, an id ſolus Imperator propriâ auctoritate indicere ac gerere poſſit? an verò conſenſum Electorum & Principum adhibere teneatur?

LXXXIII. Ab antiquiſſimis ſanè temporibus licet obſervare, nunquam Germaniæ Proceres Regibus ſuis plenam indicendi gerendive belli poteſtatem conceſſiſſe: ſed ſi fortaſſis Patria ab externo hoſte fuit petita, aut ipſa illatam ſibi injuriam vindicare neceſſe habuit, id conſilio & conſenſu omnium Ordinum fuit peragendum. Ita cum anno 760 Rex Pipinus Vaſario Duci Aquitanorum bellum

lum inferre conaretur, conſilium iniit cum ſuis Francis,&ex illorum conſenſu id ſuſcepit. Regino *lib. 2. anno 909. Ludovicus Pius, ſuccedente aſtate, accito populi ſui generali conventu, retulit eis, ſibi delatum rumorem: quod quadam Vaſconum pars, jam pridem in deditionem ſuſcepta, nunc deditione mutata in rebellionem aſſurgeret, quorum reprimendam pervicaciam publica utilitas poſtularet.* Hactenus Regino. *Hanc Regis voluntatem omnes laudibus proſequuntur, nec talia in ſubditis contemnenda, ſed potius ſeveriſſime punienda teſtantur.* Verba hæc ſunt in Pithoei Annal. quæ huc adſcribere placuit. *Henricus I in Quedlinburg Curiam ſuam celebravit.* Ibidem, *Principibus convocatis, ipſiſque ſingulis & univerſis in idipſum conſentibus, Poloniam & Bohemiam, cateraſque Slavorum adjacentes regiones, quia nondum Chriſti fidem receperant, debellare diſpoſuit.* Sigfridus Presbyter Miſnenſis *in Chronico lib. 2.* De Friderico I cumprimis notatu dignum eſt, quod Vngaris bellum indicere, ipſoſque ad monarchiæ apicem reducere noluerit; ſed cum aſſenſum ſuper hoc Principum, quibuſdam de cauſis latentibus, habere non poſſet, ad effectum tunc perducere ea, quæ volvebat mente, non valens, in tempora opportuniora diſtulit. *Otho Friſing. lib. 2. de geſtis Frid. 1. cap 6.* Sub imperio adhuc Caroli V communi Statuum conſenſu bellum in Regem Galliæ decernitur. R. A. zu Speyer / *anno 1544* §. *4.* Idem factum contra civitatem Magdeburgenſem. R. A. zu Augſpurg / *anno 1551.* §. *20.* Sub Maximiliano II contra Johannem Fridericum Ducem Saxoniæ expeditio Gothana eſt ſuſcepta, omnium Statuum conſenſu, R. A. zu Regenſpurg / *anno 1567.* §. *42.* Patet hinc, olim penes Imperatores noſtros ſolos non fuiſſe poteſtatem belli indicendi gerendive, totius quidem Imperii auſpiciis & ductu, ſed potius ſimul penes univerſos Imperi Principes in Comitiis.

LXXXIV

LXXXIV. Hodie vigore *art. 8. §. 2. Inſtrum. Pacis Cæſar. Suecici* nullum aliter bellum ſuſcipiendum, quàm prævio Comitiali liberoque omnium Imperii Statuum ſuffragio & conſenſu. Et noviſſimè Imperator noſter Leopoldus §. *13. Cap ſuæ* juratò promiſit, ſe nullum bellum intra vel extra fines Imperii ſuſcipere velle, niſi de omnium Ordinum, aut minimum Electorum conſilio ac conſenſu. Wir ſollen und wollen auch uns darzu die Zeit bemelter unſerer Regierung gegen den benachbahrten / und anſtoſſenden Chriſtlichen Gemühtern / fridlich halten / kein Gezänck / Vehde / noch Krieg / in / oder auſſerhalb des Reichs von deſſelben wegen / unter keinerley vorwand / wie der auch ſeye / ohne der Churfürſten Fürſten und Ständen / oder zum wenigſten der ſämptlichen Churfürſten / vorwiſſen raht und einwilligung / anfangem oder vornehmen / noch ohne jetzt gedachten conſens, einiges Kriegs-Volck ins Reich führen / oder führen laſſen.

LXXXV. Hinc etiam milites conſcribuntur nomine Imperatoris & Statuum, ſive Imperatoris & Imperii R. A. zu Nürngerg *de anno 1522* §. *11.* Vnd ſollen ſolche Knecht förderlichſt / von wegen unſer und gemeiner Reichs Ständ angenommen / hinab gen Wien geſchicket werden. Et R. A. zu Regenſpurg *de ann 1598.* § *9.* So viel Kriegs-Volck zu Roß und Fuß / als weit ſich ſolch Gelt ohne gefähr erſtrecken würd / allendhalben im Reich / wo die am beſten zu bekommen / in unſerm und des Heiligen Reichs namen werben / und auff unſere verantwortung zu Krig wider den Türcken in Anzug zubringen ſolten etc.

LXXXVI. Similiter Imperatori ſoli non eſt facultas, declarandi aliquem generalem belli Ducem; ſed illud ipſum quoque fit & fieri debet communi Ordinum ſuffragio. Ita Albertus, Comes Palatinus Rheni, & utriuſ-

que Bavariæ Dux, anno 1500 Imperatoris Electorum ac Ducum conſenſu generalis ac ſummus belli Dux creatus eſt. R. A. des Reichstages zu Auſpurg / *anno 1500 tit 51.* So iſt der Hochgeborne Fürſt / Albrecht / Pfaltz-Graff beym Rhein / und Hertzog in Ober und nieder Bayern / unſer lieber Schwager / von dieſer Verſamlung / zu einem gemeinen Hauptman des Heiligen Reichs erwehlt. Idem confirmatur R. A. zu Augſpurg / *de anno 1530. §. 120* Hinc fit ut juramentum non Imperatori, ſed ipſi & Imperio, hoc eſt ſimul etiam Statibus, præſtare teneantur. R. A. zu Regenſburg/ *anno 1541. §. 55.* & paſſim alibi in R. A. Item reliqui quoque belli munia obeuntes, & totus exercitus, ſeu milites omnes, juramentum præſtant Imperio. R. A. zu Augſpurg *de anno 1500. tit. 55. & 57.*

LXXXVII. Non quidem negare poſſumus, conſtitutionem ſummi Ducis militaris, ab Ordinibus, liberâ voluntate, interdum Cæſari, ſub certis conditionibus, fuiſſe conceſſam. Vt anno 1541, anno 1552, item anno 1598 & ſæpiùs deinceps factum. Cæſarem quoque ipſum pro ſe ac liberis ſuis hoc officium, tantum propriè Imperatorium, impetraſſe ab Ordinibus, *ex receſſu Imperii de anno 1557* apparet. Sed id Ordinum juri præjudicare minime poteſt. Conceſſerunt enim tum temporis ſpecialiter Imperatori hanc eligendi Ducis poteſtatem, rationibus multis extra ordinem communem moti; an autem & aliàs idem Cæſari permittere velint, in illorum adhuc eſt arbitrio. Non enim conſequens videtur: quia tum hæc ipſi poteſtas fuit ab Ordinibus relicta, hodie quoque ſine ſpeciali Principum conceſſione hoc jus ipſi competere. Contrarium potiùs fit veriſimile, quia Olim expreſſo conſenſu Ordinum hæc poteſtas Imperatori conceſſa, idem adhuc fieri debere.

LXXXIIX.

LXXXIIX. Stipendium quoque ab Imperatoribus & Statibus ſimul, tam officiarijs quam gregariis militibus concedi, evincit §. *30. Receſſ. Imper. VVormat. de anno 1521.* Aliquando tamen hoc à ſolis Statibus eſſe factum, ex §. *109.* R. A. *de anno 1530.* fit manifeſtum. Fürter haben ſich Churfürſten Fürſten und Stände der Beſoldung und unterhaltung ihres Kriegsvolcks zu Roß und Fuß / damit gleichheit gehalten / und keiner vorm andern überſteigert werde / folgender maß vereiniget und verglichen. Occaſione autem ſtipendii nonnihil dicemus etiam de Collectis Imperii generalibus. Cuinam nempe in Imperio collectæ generalis indictio, Reichs Steur / Reichs anlage / Reichs hülffe / competat.

LXXXIX. COLLECTÆ Imperii generales in Imperio Germanico, non à ſolo Imperatore imponuntur. Nec à reſervatâ ſupremâ ac ſemper atque perpetuo apud Imperatorem reſidente poteſtate deſcendunt, uti fabulantur quidam, quibus fortaſſis favor neſcio quis magis quàm patriæ libertas cordi eſt: ſed ab univerſis Ordinibus in plenis Comitiis; aut, ſi extrema neceſſitas hanc moram non patiatur, ad minimùm Electorum conſilio & conſenſu, vigore *Inſtrum Pac. art.* 18. §. *2.* ac *Capit. Imp.* indici debent. Ordinarie autem ad Comitia hoc negotii genus referendum eſſe, non ſemel Status Imperatorem admonuerunt, Factum id videlicet eſt in Comitiis anno 1697 Ratisbonæ, in quibus Legatus Palatinus Neoburgicus, Brandenburgicus, Brunſvicenſis & Epiſcopus Wurceburgenſis, obnixe rogarunt, Die Stände mit ſolcher extraordinare und Kriegßhülffe zuverſchonen. Item repetitum in Comitiis Ratiſponenſibus anno 1603, quando ſollicite plurimi, tam in Electorali quam Principum ſenatu, Status, extraordinarium hunc modum omittendum impoſterùm poſcerunt.

Aaaa 2 XC. Vn-

hæcque non minima pars libertatis Ordinum huc uſque fuit: quam ut ſartam tectam ſibi reſervarent, ſæpe acceptis reverſalibus ſibi proſpexerunt. Imò in tantum hac in re adſtricta eſt Imperatoris poteſtas, ut, ſi Ordines Imperii in Collectam, certis terminis ſolvendam, conſenſerint, Cæſar ſolus, & propria auctoritate, ne terminum quidem ſolutionis mutare & coarctare poſſit, ſed ubi neceſſitas id exigere videtur, adhibendus ſit Ordinum conſenſus. Prout factum anno 1567: quemadmodum ex ejuſdem anni Receſſ. § 20 videre licet.

XCII. Nec tamen & illud nobis ultimò prætereundum eſt, quod Imperator, ſicut tributo onerare Ordines in ipſius poteſtate non eſt, ita nec à tributo, communi Ordinum conſenſu imperato, immunitatem, uni alterive, in reliquorum præjudicium concedere poſſit; ſed ſi Ordines quidem in Imperio exiſtant, quibus certis de cauſis immunitas ſive omninò ſive ex parte concedenda videatur, communi Ordinem placito id fieri debeat. Ita anno 1542 Civitatibus Goſlar / Mülhauſen / Northauſen / Wangen & Zell im Hammerſzbach communi Ordinum conſenſu tributum fuit remiſſum. R. A. zu Speier *anno.* 1542. § 97. Verum nimis diu forſan hiſce immorati ſumus, revertamur jam in viam.

XCIII. HOSPITATIONES militum, die Einquartirung / non aliter quoque fieri debent, quam Comitiali liberoque omnium Imperii Statuum ſuffragio & conſenſu. *Art. 8. §. 2. ſupra nominati Inſtr. Pacis Cæſ. Suec.* Nec nova munimenta intra Statuum ditiones exſtrui nomine publico veterave firmari poſſunt, niſi conſilio ac conſenſu omnium Ordinum, *eod. §. dicti inſtr. Pacis.* Bello acquiſita non Imperatori ſed Imperio accreſcunt, niſi alter inter Imperatorem & Status convenerit. Ordnung des Regiments zu Augſpurg *anno 1500. Tit.* Wo dem Reich Glück und Sieg zu-

 ſtünden.

ſtünden. Und ob uns Gott der Allmächtig Glück und Sieg/ als wir hoffen und bitten / verliehe / das der Haupteman / ſo verordnet werden ſoll / mit des Reichs Volck / etwas erobern/ oder gewinnen / oder das ſich jemands an das Reich ergeben/ und ſich dem Reiche Zinßbar machen wird / daſſelbig alles ſol dem Reiche zuſtehen / und dem verordneten Reichs Raht getrewlich überantwortet werden. *It.* R. A. zu Speyer *anno 1542* §. 38. Denique ſi pax facienda aut ſtabilienda, hoc non à delegatis aliquot ſeparatim, ſed potiùs ab univerſis in conventu Proceribus fieri debet. *Sleid. l 24.* Quin hoc etiam in nuperrimo Inſtrumento Pacis Cæſareo Suecico diſerte cautum, pacem non aliter faciendam, quàm Comitiali liberóque omnium Imperii Statuum ſuffragio ac conſenſu.

XCIV. NEC bellum tantummodò nullum poteſt Imperator noſter abſque conſenſu Ordinum genere: ſed etiam fœdus nullum cum aliis inire, ſive illi ſub Imperio ſint, ſive exteri & alterius quam Germanicæ nationis, citra Statuum Imperii aſſenſum, ipſi permiſſum. Handhabung deß Friedens / Rechtens / und Ordnungen zu Wormbs *anno 1495.* auffgerichtet. *Tit.* die Königliche Mayeſtet ſol keinen Krieg anfahen. Hinc cum Maximilianus, inſciis & inconſultis Statibus Imperii, fœdus cum Pontifice Romano & Regibus Franciæ ac Arragoniæ contra Venetos iniſſet, & à Statibus Imperii anno 1509 in Comitiis Wormatienſibus auxilium peteret, illi præſtare recuſarunt, quod citra eorum præſcitum ac conſenſum, contra Imperii recepta jura & conſuetudinem, ad fœdus & bellum acceſſiſſet. Ne autem iterum & ſæpiùs ad eundem lapidem impingeretur, & Imperator de rebus tam arduis, à quibus ſalus vel damnum reipublicæ dependet, ſolus pro arbitrio diſponere poſſet, Electores Capitulationi inſeruerunt,

runt, ne unquam poſt hac Imperator, inconſultis Electoribus, fœdus nomine Imperii pangat. *Capitul. Caroli V. Ferd. aliorumq.* Verùm vigore *Inſtrumenti Pacis* Imperator non tantum Electorum conſenſum ad fœdus faciendum adhibere tenetur, ſed id agendum Comitiali liberoque omnium Statuum Imperii ſuffragio. Atque hoc etiam hodiernus noſter Auguſtiſſimus Imperator ſe facturum juravit, niſi tamen publica ſalus & utilitas aliud exigat; tunc nimirum Electorum conſenſum adhibere ſufficit. §. *10. Capit Leopoldi.*

XCV. VLTIMO loco nonnihil adhuc etiam de Legatis dicemus; & quidem videbimus, penes quem in Imperio poteſtas mittendi Legatos, Imperii quidem nomimine, conſiſtat: atque hoc argumento abſoluto, finem diſputationi noſtræ imponemus. Vix autem eſt, ut fœdera ici, bella indici, in concordiam iterum coiri, aut ulla reipublicæ cum exteris negotia expediri ſive interventu Legatorum poſſint. Raro enim conducit reipublicæ & Statui communi, ut Magnates & Principes ipſimet de negotiis reipublicæ tractent, & familiari utantur converſatione, quia nempe facillime levi etiam de cauſa aut novum odium poteſt exoriri, aut acceptum vulnus recrudeſcere, vel unus alterve nimis familiariter ſeſe gerens alteri contemtui eſſe. Intereſt etiam reipublicæ, ne vires ſubditorum enerventur, aut nimiis ſumptibus Principum æraria exhauriantur. Fieret autem talis profuſio, ſi Principes ipſi ſemper in conventibus illis diuturnis coràm ſeſe ſiſterent: etſi olim cum frugalius viveretur, aliud obtinuerit.

XCVI. Non quidem negamus, id quod ex hiſtorijs patet, ſæpè unico belligerantium Ducum colloquio, milite ab utraque parte jam in procinctu & acie ſtante, pacem

pacem fuiſſe initam, imò uno die ſæpe ab ipſis Principibus deciſum, quod perſolos miniſtros & Legatos pluribus annis fieri non potuit. Verùm rara hæc ſunt, nec hodie forſan expectari facilè potuerint. Docet ſanè experientia, dum ad componendas controverſias ipſimem Principes convenerunt, ita ſæpe eſſe exaſperatos ipſorum animos, ut poſtea nunquam reconciliari quiverint, Vtilius itaque rebuſpublicis videtur, ne ipſimet Principes niſi raiò, acturi quidem de rebus nonnihil odioſis aut difficilibus, conveniant, ſed mittantur Legati, qui nomine illorum res peragant.

XCVII. Hæc autem poteſtas mittendi Legatos in unaquaque republicâ Summæ Poteſtati debetur. Qua verò hæc in Imperio noſtro ſoli Imperatori non competit, ſed præcipue in Comitiis conſiſtit, etiam poteſtatem mittendo Legatos penes illa eſſe neceſſum eſt. Sermo autem nobis eſt de negotiis ad univerſum Imperium ſpectantibus. Nam in particularibus negotiis non Imperatori modò, ſed etiam cuilibet Ordinum jura mittendorum Legatorum competere, in propatulo eſt. Qui proinde etiam in Comitiis ubi de republica Imperii agitur, Legatorum nomine indigitantur, & in Receſſibus vocantur Rähte / Botſchafften und Geſanten. R. A. zu Augſpurg *de anno* 1500. *Tit.* 45. *& paſſim alib.*

XCIIX. At in re communi & totum Imperium concernente Legati, non niſi omnium Ordinum & totius Imperii auctoritate, mitti poſſunt. R. A. zu Regensburg. *anno* 1594. §. 43. Ita cum Legatio ad componendas in Belgio turbas decreta eſſet, inſtructio non à ſolo Imperatore, ſed ſimul à deputatis ad id ex ordinum numero, vi mandati à toto Imperio ſuſcepti, concipi debuit. Sic enim

enim ſcribitur. R. A. auff den Reichstag zu Regensburg. *anno 1594 §. 45.* Seind auch darauff erbietig mit zuziehung obberührter von Churfürſten Fürſten und Ständen *deputirter* / auff die angedeute mittel und weg / das unſerige dabey Väterlich und treulich zu thun und anzuwenden / auch mit denſelben zugezogenen Churfürſten Fürſten und Ständen / krafft gemeiner Reichßverſamlung auffgetragenen gewalts / fürderlich zur berahtſchlagung greiffen / wie und worauff die *instructiones* der *Pacification* und friedens *tractation* zurichten &c. Eademque inſtructio cum de novo corrigenda, & ſub limam revocanda eſſet, non ex ſolius Imperatoris, ſed Deputatorum quoque arbitrio id faciendum fuiti. R. A. zu Regensburg *anno 1603 §. 30.* Atque hoc antiquiſſimis reipublicæ noſtræ moribus conveniens eſſe, teſtatur Lehmannus *Chron. Spir. lib. lib. 2. c. 39.*

XCIX. Veluti autem nullos, de re communi Legatos Imperator ſolus mittere poteſt; ita nec miſſos privatim ſolus audire ſolet, ſed audiri illi debent in Comitiis ab univerſis Imperii proceribus. Lehmannus *Chron. Spir. lib. 7. cap. 124.* Hätten aber die Legaten bey der Käyſ. Mayeſt. und Ständen ſämbtlich zuſchaffen / ſo pflegen ſie ihre *credentz* abgeſondert an beyde Orth / als zu Käyſerl. Mayeſt. Hoff / und dann zum Maintziſchen Cantzley übergeben / und darauff benennen die Käyſerlichen Mayeſtät den Ständen eine Stund / wann ſie bey ihre Mayeſtät entweder Perſöhnlich oder durch ein Außſchuß *pro negotii qualitate & Legati dignitate* in Ihr Mayeſtät *palatio* die zu hören erſcheinen ſollen.

C. TANTVM DE nobiliſſimo hoc themate; non quidem pro materiæ dignitate, ſed ingenii & virium facultate

cultate temporiſque ratione, diſſeruiſſe ſufficiat. Trinuni Deo, Omnipotenti & ſoli ſapienti, ſit laus & gloria in omnem æternitatem. Faxit idem ſummus rerum Arbiter, ut hæc, & impoſterum mea omnia, in ſuam vergant gloriam, patriæque, ſi quod inde ad eam derivari poteſt, emolumentum. Tu vero, Lector benevole, ſi quid in hac materia humani paſſi ſumus, aut forſan aliena nimis diſputationi noſtræ inſeruimus, multaque huc pertinentia omiſimus, hæc juvenili ætati, à qua hæc exercitii Academici gratiâ ſunt profecta, condona.

EXER.

EXERCITATIO NONA
DE
COMITIIS IMPERII GERMANICI
HABITA IX MAII cIↄ Iↄc LXVI

RESPONDENTE

ARNOLDO HENRICO Engelbrecht.

CIrcumſpicienti quid cumprimis hominum ſocietates conſervet, ſit manifeſtum; amicitiam & concordiam efficere, ut non tantùm privatorum congreſſiones querelis ſint vacuæ, ſed etiam integræ reſpublicæ ſecundo vitæ curſu perfruantur, contraque omnes improborum inſultus firmæ perſiſtant ac immotæ. *Videtur amicitia*, inquit Ariſtoteles *lib. 8. Ethic. cap. 1. civitates continere: majorique quàm juſtitia latoribus legum curæ eſſe. Nam & concordiam, quæ amicitiæ ſimillima ac genuina eſt, ſummoperè expetunt, & ſeditionem ei inimicam omni ſtudio ejiciunt atque exterminant.* E contrario nulla capitalior peſtis ad ſubvertendas reſpublicas excogitari poteſt quàm civilis diſcordia & inimicitia. Quando enim internis motibus concutiuntur, itaque nulla ratione poſſunt componi, ſæpiùs fieri videas, ut exterorum auxilia implorentur, quæ quamprimum adſunt ſæpenumero reſpublica tam ab interno quam externo hoſte affligitur, & quamdiu his fluctibus jactatur ne momentum quidem ab interitu libera eſſe poteſt. Chriſt. Forſtner. *in Not. ad lib. 5. Annal. Corn. Tacit. p. 725. 726. & ſeq.*

 Quod

Quod ſanè optime perſpectum habuit Carolus etiam IV Imperator, dum ſtatim *in proœmio Aureæ Bullæ* ſequentia aureis literis digna verba ſummo cum fervore poſuit. *Omne Regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur : nam Principes ejus facti ſunt ſocii furum : ob quod Dominus miſcuit in medio eorum ſpiritum vertiginis, ut palpent in meridie ſicut in tenebris, & candelabra eorum movit de loco ſuo, ut cæci ſint & duces cæcorum : & qui ambulant in tenebris offendunt, & cæci mente ſcelera perpetrant, quæ in diviſionem contingunt &c.*

II. Igitur non eſt quod ulla reſpublica ſibi tranquillitatem promittat, niſi cives omnia juribus amicitiæ metiantur. Quod ſane meliori ratione ab illis haut poſſe diſci arbitror, quàm ſi crebrò conveniant, atque de iis quæ ad ſalutem reipublicæ pertinent conjunctis viribus deliberent. Hoc videtur eſſe quod ſapientiſſimus. Legislator Deus O. M. in ſua republica condendâ obſervavit. Voluit enim, ut Moyſes ſæpiùs per tubæ ſonitum populum Iſraëliticum convocaret, & cum eo de maximis negotiis ageret. Fatemur tamen, factam illam convocationem non deliberandi cauſſa ſed potius audiendi mandata divina: utpote cum ſolius Dei tum fuerit omnia conſtituere. At vero omnino ea de cauſâ, uti apud aliam gentem, ita etiam noſtros Germanos, ſenatum generalem omnium Imperii Ordinum convocari, ab antiquiſſimis temporibus fuit receptum; in quo Imperator de illis omnibus quæ ad communem civium ſalutem ac totius Imperii utilitatem ſpectant, informari ſolet.

III. QVAMVIS autem hoc ipſum in noſtrâ & multis aliis rebuspublicis ab antiquiſſimâ retrò memoriâ obtinuerit; tamen hodierna experientia teſtatur, multos dari populos, apud quos ejusmodi conventus publici plane non ſunt in uſu. Ne itaque hujus rei cauſa ignoretur, mihi incum-

cumbere exiſtimo, ut rem ex principiis deducam; verumque Comitiorum fundamentum pro modulo ingenii exponam. Initiò itaque ex Ariſtoteles *lib. VIII Ethic. cap. 7.* ponendum eſt: amicitiam, quam antea reſpublicas continere diximus, eſſe duplicem, æqualium & inæqualium. Etſi enim omnis amicitia in æqualitate conſiſtere dicitur, tamen ratione perſonarum quam rectiſſime ita dividi poteſt. Amicitia æqualium ſeu ἐν ἰσότητι eſt benevolentia mutua non latens, ob amabile quoddam, quâ ſe æquales dignitate moribus & ætate complectuntur. Amicitia inæqualium ſeu κατ᾽ ὑπεροχὴν eſt benevolentia mutua non latens, quâ ſe inæquales bonis fortunæ, dignitate, potentia & virtute conplectuntur. Ita inter patrem & filium, inter ſeniorem & juniorem, Principem inter & ſubditos eſt proprie dicta amicitia: quorum tamen unum altero uſque quaque præſtantiorem eſſe, nemini ignotum. Quoniam autem ſecundùm eundem Ariſtotelem *lib 8 Ethic. c 8.* in quolibet amicitiæ genere æqualitas & ſimilitudo potiſſimum eſt momentum, hoc principii loco ponimus, quò major eſt æqualitas in amicitia eò etiam major honorum communio, & quo major eſt inæqualitas eò minor bonorum communio, Nam à gradibus amicitiæ dependent gradus communionis bonorum, & vice verſa à gradibus communionis bonorum dependent gradus amicitiæ. Hæc ſi velimus ad amicitiam civilem applicare, priùs nobis explicandum erit, quid veniat nomine bonorum civilium, de quibus alicujus reipublicæ membra vi generalis illius amicitiæ participare debent, Cumprimis autem bona hæc civilia conſiſtunt in tribus illis quæ Ariſtoteles *lib. 4. Politic. cap 14.* cujuslibet reipublicæ partes conſtituit. Prima eſt τὸ βουλευόμενον περὶ τῶν κοινῶν, pars quæ definit ea quæ ſummam reipublicæ concernunt; alte-

 ra

τὰ τὸ περὶ τὰς ἀρχὰς quæ circa magiſtratus verſatur: tertia τὸ δικάζον pars judiciaria Iam abſq; ullâ difficultate principium antea allatum ad uſum hoc modo transferre licebit. Quo major eſt civium in aliquâ republica æqualitas, eò major quoque erit bonorum civilium communio; & quò major eſt inæqualitas, eò minor erit communio bonorum civilium jam recenſitorum. Inter hæc bona quàm maxime eminet primum: eſtque revera ipſa ſumma poteſtas quæ aliàs κυρία ἀρχὴ, δύναμις καὶ ἀρχὴ πολιτικὴ, ἄκρα ἐξουσία, docente Bodino *lib. 1. de rep. cap 8*, Græcis nuncupatur. Prout ergo cives ratione æqualitatis vel inæqualitatis differunt, ita in hac vel illa republicâ major vel minor hujus etiam boni civilis cernitur communio.

IV. Hiſce fundamentis præſuppoſitis facilè patet, quænam reſpublicæ Comitia admittant, quænam reſpuant. In illo videlicet ſtatu, ubi omnes aliquid de ſumma reipublicæ participant, quin conventus publici obtineant dubitatione haut eget. Quia enim inter illos maxima eſt ſimilitudo, ſequitur, quod non minor inter eos amicitia intercedat, nec minor etiam bonorum civilium communio. Hac de cauſa inplerisque Græciæ rebuſpublicis penes concionem, hoc eſt βουλὴν, ex omni populo pro civium magnitudine collectam, ſumma de omnibus vel majoribus ad rempublicam pertinentibus rebus deliberandi & decernendi fuit auctoritas. Plutarchus *in Solone*. Simili modo ex illa republicâ in quâ τὸ κύριον eſt penes paucos, eoſque vel virtuoſos vel nobiles vel divites Comitia quævis neutiquam ſunt tollenda. Quoniam enim inter illos non eſt magna inæqualitas, jus illius amicitiæ exquirere videtur, ut ad deliberationes publicas admittantur. Exemplum ſit reſpublica Veneta: in quâ ſumma poteſtas eſt penes ſolos nobiles, qui in Concilio magno

gno, ut vocatur, omnes & ſinguli fuerunt ſuffragia de illis quæ reipublicæ emolumentum concernunt: uti nos docuit Ampliſſ. Dn. Præſes *in Diſſertationibus de præcipuis univerſi orbis Rebuspubl.* In ea autem formâ regiminis in quâ unus ſummâ majeſtate pollet nulla Comitia celebrantur. Quia enim unus ille præſtantiſſima virtute vel magna potentiâ reliquos, non ſingulos duntaxat ſed univerſos, plurimum antecellit, hoc bono civili ſolus meritò vult eſſe inſtructus. Reperiuntur quidem regna μοναρχικὰ, in quibus Comitia haberi videas; ſed in multis non niſi conſilii cauſâ aut etiam dicis gratiâ hoc fieri ſolet. Sicuti enim haut raro accidit, ut, quando rerumpublicarum formæ convertuntur, ob vitandam invidiam umbra duntaxat relinquatur & ſimulacrum ejus quod adimitur: ita quoque regna ex Democratiis & Oligarchiis orta permittunt comitia, quæ tamen nullius ſunt auctoritatis. Tale quid Romanæ reipublicæ contigit, cum abrogato ſtatu Democratico iterum ad unum ſumma rerum perveniſſet. Conveniebat nempe multitudo ad publicas deliberationes, uti conſtat ex Suetonio, quando de Auguſto p. 103. ita refert: *Comitiorum quoque priſtinum jus reduxit, ac multiplici pœna coërcito ambitu, & Scaptenſibus tribulibus ſuis die Comitiorum, ne quid à quoquam Candidato deſiderarent, ſingula millia nummûm à ſe dividebat.* Attamen ſpecioſo ac plauſibili libertatis nomine relicto; omnia ad nutum Principis agebantur. Chriſtophorus Forſtnerus *in Not. ad Taciti lib. 1. Annal. p. 22.* Talia fere ſunt hodiè Comitia Regni Galliæ; in quibus Regi quidvis tantùm non pro lubitu ſtatuendi eſt poteſtas. Olim enim quidem Comitia etiam illa Galliæ in majori fuerunt dignitate; ſed à temporibus Ludovici XI. decrevit ſenſim magis magiſque Ordinum poteſtas, eoque

exin-

exinde rariſſima atque ea exiguæ auctoritatis, in Gallia Comitia fuerunt. Videatur Franc. Hotomanni *Franco Gallia c.* 27.

V. Sic igitur manifeſtò liquet, regna planè abſoluta, quæ Ariſtoteli πα βασιλικὰ dicuntur, Comitia averſari. Quando verò regia poteſtas vel cum paucis vel cum toto populo communicatur, tum res haud pauló aliter ſe habet. Si nimirum regius ſtatus miſtus eſt cum forma populari, populus multum valet. Teſtatur hoc Regnum Sueciæ: in quo ad morem veteris reipublicæ Germaniæ etiam agriculæ conveniunt, & de ſummis negotiis deliberant, Quando regnum miſtum eſt cum Ariſtocratia, ibi Optimates præter Regem multùm poſſunt. Hoc noſtra Reſpublica Romano Germanica confirmat: in qua ſumma poteſtas ſic eſt diviſa, ut Ordines una cum Imperatore de iis quæ ad τό κύειον pertinent, non ut magiſtratus ſed ut partes principales publici regiminis, deliberent. Sicuti hoc expreſsè aſſeritur In der Ordnung des Regiments *Anno* 1500, *Tit.* von den zwanzigen. *In* R. A *de Anno* 1559. §. damit dan hinfûro. R. A. *de Anno* 1570. § weiters nachdem auch.

VI. HISCE præmiſſis, jam ratio ordinis poſtulat, ut ſive ulteriori mora noſtram tractationem aggrediamur. Quæ tamen commode inſtitui haut poterit, niſi priùs exponamus, quâ methodo in hoc argumento verſari velimus, nec non Comitiorum definitionem eorundemque deviſionem in medium afferamus. De methodo tamen non eſt quod multùm ſimus ſoliciti, cum Ampliſſ. Dn. Præſes in *libro de civili prudentia cap.* 10. plenâ manu perſequatur omnia quæ illi attendenda ſunt, cui tractationem politicam inſtituere conſilium eſt. Quamobrem ſecuti illum, primò agemus de Comitiorum cauſa efficiente;

poſtea

poſtea de cauſa materiali; deinde ea quoque perſequemur, quæ cauſæ formalis & ſimul finalis contemplatio nobis ſuppeditabit. Jam ad definitionem. Et ſi autem variæ à variis Comitiorum deſcriptiones afferri ſoleant, tamen ſequemur nos cumprimis Martinum Rumelinum. Ille *Diſſ. 3. part. 2. ad A. B.* ita: *Comitia ſunt conventus totius corporis Imperii, aut certæ partis, ad aliquid deliberandum decernendumve reipublicæ cauſa inſtitui.* Ex qua definitione apparet, Comitia reipublicæ Romano-Germanicæ eſſe in duplici differentia: nempe alia univerſalia alia particularia. Cum enim totum Imperii corpus ad deliberationes publicas congregatur, Vniverſalia; quando vero partes ad ſciſcendum decernendumve aliquid reipublicæ cauſa conveniunt, Particularia dicuntur celebrari.

VII. ORDINE jam invento ſtatim initium facimus à CAVSA EFFICIENTE: cujus cum non eadem ſit ratio, rectè vulgo in principalem & inſtrumentalem dividi ſolet. Principalis eſt à qua maxime actus aliquis aut opus aliquod peragitur. Inſtrumentalis eſt, qua principalis cauſa utitur ad producendum effectum tanquam inſtrumento. illam Cæſar & Ordines Imperii in Comitiis conſtituunt, hanc eorundem legati. Hæc cauſa principalis rurſus duplici modo poteſt conſiderari. Aut enim habet jus tantummodo ſtandi in Comitiis, aut præterea gaudet poteſtate Imperii Ordines convocandi. Illud Cæſari & Ordinibus competit, hoc Cæſari, ita tamen ut prius in indictionem conſentiant Electores Imperii. Sane ſi hiſtoriarum monumenta inſpiciamus, clareſcit, veteris ævi Imperatores abſque ullius aſſenſu Ordines convocaſſe. Sic enim Eginhard. *in Vita Caroli Magni* ſcribit: *Congregatis ſolenniter de toto regno Francorum primoribus, cunctorum conſilio, conſortem ſibi totius Regni & Imperia-*

lis nominis heredem Ludovicum filium conſtituit. Manifeſtius hoc elucet ex Sigefridi Presbyteri Miſnenſis *lib.* 2. *Epitom. Anno* 1302. Qui ita ait: *Facta pace inter Regem Romanum Albertum & Archiepiſcopos ſupra dictos, quos idem Rex multum humiliaverat, ſtatim ipſe Rex facto edicto omnibus Principibus præcepit, ut ad curiam ſuam in feſto Sebaſtiani Martyris Merſeburgi celebrandum convenirent.* Simile quid in Friderici III *Reformatione Anno* 1242. *inſtituta* habetur ibi: Darumb / inſonderheit her zu uns zukommen gebohten und geheiſſen haben. Cum autem fuiſſet obſervatum, priſcos aliquot Cæſares non magnâ ſæpe neceſſitate motos Comitia indixiſſe, Electores ex re fore arbitrati ſunt, ſi hanc Imperatoris poteſtatem nonnihil limitarent, Hac fini à Carolo V. Imperium jam capesſente poſtulatum eſt, ut ad hanc legem ſe obſtingeret: nulla Comitia impoſterum abſque Electorum conſenſu celebratum iri. Cui ſanctioni etiam Imperator tum temporis non contraxit, ſed ſe ad illam jurejurando obligavit. Sleidan. *lib.* 1. *de Statu Religion,* Ex hoc ſane tempore Imperatores nulla Comitia irrequiſito Electorum conſenſu temere indixerunt. Quod ipſa nonnullorum Imperii Receſſuum procemia ſatis demonſtrant. *R. I. de Anno* 1576. §. Als haben wir *R. I. de Anno* 1541. § darzu haben wir. Quamvis autem conſenſus Electorum ad Statuum congregationem Cæſari neceſſariò expectandus ſit, tamen non magni eſt negotii, cum per literas aut legatos ab Electorum unoquoque impetrare. Quin hodie, ſicubi videant tale negotium inſtare, quod generalem omnium Ordinum convocationem requirat, Imperatorem ad indicenda Comitia benevolè ipſimet Electores adhortari ſolent. Vti hoc poteſt colligi ex *Receſſ. Imp. de Anno* 1555. § Vnd ſo abermahls. Vide *Capitulationem Ferdinandi IV Articul.* 14, & *Capitulat. Leopoldi I Artic.* 17.

IIX. Quando itaque ſummum reipublicæ periculum imminet, aut alia inevitabilis neceſſitas jubet, ut præſenti malo mutuis conſiliis obviam eatur, hactenus reipublicæ ſatis benè eſt conſultum, ſi ſummo capite gaudeat. Ceterùm quando Imperator vel extra fines Germaniæ commoratur, aut fato functus eſt, videri poſſet eo tempore deliberationes publicas ceſſare, quoniam nullus adeſt qui earundem curam ſuſtineat. Verùm & his caſibus exſurgentibus reipublicæ quam prudentiſſimè per leges fundamentales eſt proſpectum. Quando enim Cæſar deceſſit, cura Imperii ad Electores Palatinum & Saxonicum, ſecundùm diſpoſitionem A. B. *Artic. V.* transfertur; atque ſic hi convocare Ordines Imperii nulla ratione impediuntur. Si verò Imperator peregrè abeſt; aut Reſpublica habet Regem Romanorum, aut non habet. Illo ſtatu non eſt dubitandum, eidem jus convocandi Ordines competere. Hoc autem, poteſtas illa ad binos Electores iterum devolvitur. Quamvis enim *Tit. V* Aurea Bulla abſentiæ Imperatoris expreſſam non faciat mentionem, tamen optima ratione ad hunc quoque caſum extendi poſſe, rectè exiſtimant Buxtorffius *ad d. Tit. A. B.* Martinus Rumelinus *Diſſert. IV. part. 1. ad A. B.* Et de Palatino quidem res facilior eſt propter privilegium à pluribus Imperotoribus confirmatum, quod apertè abſentiæ includit caſum. So ein Römiſcher Käyſer oder König über Berg oder aus dem Reich iſt / ſeiner Liebden und einem jedem Pfaltz-Graben der Churfürſt iſt / die verſehung und verwaltung deſſelben gebühret und zuſtehet / wie wir dann daſſelbe auch ſeine heraebrachte Freyheit und *privilegium* hiervon *confirmiret* und beſtetiget. Exſtat apud Marq. Freherum *ad Petrum de Andlo lib. 2. cap. 10.* & Joh. Limnæum *Tom. 1. Jur. publ. l. 3. c. 12. n. 36.*

IX. INDICATIS iis qui jus indicendi Comitia habent, meritò nos tranſimus ad illos qui ad ea vocari ſolent. Et hi quidem Status Imperii Reichſtände appellantur. De iis autem ut plenè omnia conſtent, prius explicandum fuerit, quis in genere CIVIS nomen commereatur. Dicitur autem ſecundum Ariſtolelem *lib. 3. Polit. cap.* 1. civis cui in illa civitate, cujus eſt civis, poteſtas eſt fungendi magiſtratu vel deliberativo vel judiciali. Hac verò definitione poſitâ, obſcurum quoque nemini eſſe poteſt, quinam in noſtra republica maxime cives nominandi ſint. Scilicet illi, qui poteſtatem habent judicandi de iis quæ ad τὸ κύϱιον vel ſummam reipubliæ pertinent. Hoc ſane jus ſuffragiorum adeo eſt proprium verorum civium alicujus civitatis, ut eorum eſſentiam unicè conſtituat. Adeoque quiſquis eâ poteſtate non pollet, civis propriè non dicendus eſt. Neque hic attendendum, an quis jure ſit civis an injuriâ, nec an jure vel injuriâ hac poteſtate ſit privatus. Simpliciter nempe aſſerimus, illum qui ſuo jure deliberationibus περὶ τȣ κυϱίȣ intereſt, eſſe reapſe in civium cenſu. His verò ſolidis fundamentis, quæ Ampliſſimus Dn. Præſes *in Diſputatione de Germanici Imperii civibus*, nobis ſuppeditat, præmiſſis, abſque ulla hæſitatione dicimus, illos ad Imperii Comitia neceſſariò vocandos eſſe, qui ſunt veri & genuini cives & Ordines Imperii; hoc eſt, quibus reapſe competit jus deliberandi de illis quæ ad ſummam majeſtatem reipublicæ Germanicæ ſpectant.

X. Ex his verò non poterit non, rectè rem intelligentibus illicò patere; illos totâ errare viâ, qui exiſtimant, veram notam Civis ac Ordinis eſſe, matriculæ vel albo Ordinum inſeri, aut collectiones ærario Imperii immeditatè exſolvere poſſe. Et vero primò multæ reſpu-

reſpublicæ dantur in quibus civium numerus non eſt deſcriptus. Ita & in noſtro Imperio Sigiſmundus Imperator Anno 1431. primùm curavit Ordines in matriculam referri; ante illius ſane tempora nullum veſtigium alicujus albi in antiquis monumentis apparet; & ſic non niſi abſurde dicendum eſſet, ante Sigiſmundum rempublicam noſtram planè civibus caruiſſe. Deinde quod collectiones Imperii attinet, uſu venire ſolet, ut illi etiam de bonis ſuis in publicum aliquid conferant qui ſunt meri ſubditi: quod ipſum *theſis. 9. dict. Diſſ.* exempli Poloniæ olim devictæ ſatis probat.

XI. Quia autem jam expoſitum eſt, quæ ſit vera nota civis ac Ordinis Reipublicæ: ulteriùs nobis progrediendum eſſet & qui ad verorum civium cenſum ſemper pertinuerint oſtendendum. Sed hæc res ita difficilis eſt, ut nihil certi hic ſtatuere poſſimus. Nam Reſpublica noſtra plurimas paſſa eſt mutationes; nec præterea ullum monumentum extat, ex quo verus civium numerus, qui quovis tempore fuerit, poſſit innoteſcere. Circumferuntur quidem nonnullæ Ordinum tabulæ, quibus illi in quaterniones ſunt diviſi, ſed continent putida & anilia commenta. Sub Sigiſmundo & ſequentibus Imperatoribus actum fuit, ut tandem certa Ordinum matricula conficeretur: ſed licet aliquid circa hoc negotium definitum fuerit, tamen haut levis incertitudo manſit. Cum enim bella Turcica & Bohemica tum temporis ingruerent, eaque autoritate publicâ eſſent gerenda, plurimi id egerunt ut ampliſſimus Ordinum numerus conſtitueretur. Haut ineptè enim colligerunt, diviſo in plures publico tributo onera reddi multùm tolerabiliora. Atque ſic apparet, ex illâ quoque Ordinum deſcriptione nihil certi colligi poſſe. Hoc ipſum cum Status Imperii tum temporis animadverterent,

noluerunt hanc rem craſſis occultatam & circumfuſam tenebris diutiùs latere. Quamobrem Anno 1521 majori diligentiâ priſcos errores correxerunt, & matriculam confecerunt accuratiorem. Sed quod nec illa omnem rem conficiat, clare oſtendit Ampl. Dn. Præſ, *d. l. Theſi 49.*

XII. Quamvis autem, uti dictum, nec hodie omnino certi quicquam hac de re affirmare poſſimus, tamen illud conſtat, Ordines Imperii in tres claſſes eſſe diviſos: in Electores, Principes & Vrbes Imperiales. Jacob. Lampadius *Tractat. de Rep. Rom. German. parte III. cap. 3. num. 23.* Electores ſunt vel Eccleſiaſtici vel Seculares, Principes iterum vel ſacri vel politici. Illius claſſis ſunt Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Abbatiſſæ, Magiſtri Ordinum militarium ſacrorum, quotquot eorum territorium ab Imperio immediate dependens poſſident. Ad alteram pertinent Archiduces, Duces, Principes, Marchiones, Comites & Barones. Ultimo loco ſunt Civitates, quæ proximè Imperio ſubſunt & territoria Imperii obtinent. Quod adeo verum eſt, ut hodie jus civitatis abſque territorio conſiſtere haut poſſit Reinkingk *Tract. de Regim. Sec. & Eccleſ. lib. 1. Claſſ. V. c. 10. n. 26.* Lubens quidem fateor, hoc ipſum à multis propterea in controverſiam vocari, quod Status Imperii non feudatariæ poſſeſſionis dignitas, ſed perſonæ celſitudo ſit; non glebæ pretium, ſed ſummi principis præmium Zach. Victor *de cauſ. exempt. Imp. concluſ. 28.* Attamen, ut nunc ſunt Imperii mores, ſoli illi, qui provincias Imperio immediatè ſubjectas poſſident jus ſuffragandi in Comitiis habent. Et vero convenit hoc cum noviſſimâ Imperii ſanctione: quæ obnixè inculcat, neminem niſi feudo regali inſtructum ad Senatum Principum admittendum eſſe

R. A.

R. A. *de anno 1654.* §. Uber dieſes haben wir. Interfruère quidem ſemel iterumq; illis deliberationibus novi quidam Principes, ſed reliqui conqueſti ſunt, ſibi æquari illos, qui nihil aut parùm bonorum immediatorum in Imperio ſibi hactenus conparaverant. Limnæus *Tom. V. Iur. publ. In Addit ad lib.* 11. *cap. 7. n. 79.* Auctor der Grundfeſte des heiligen Römiſchen Reichs *parte* 11 *cap. 5.*

XIII. Recenſitis *ὡς ἐν παρόδῳ* Imperii Ordinibus, ſtatim ſe nobilis offert quæſtio: An Eccleſiaſtici Proceres ad Comitia vocari poſſint, illi qui à Pontifice Romano pallium nondum acceperunt aut ab eodem non confirmati ſunt? Quæſtio hæc, ſi paulo accuratiùs perpenditur, videtur omnino affirmanda eſſe. Status enim ſacri hoc jus exercent non ut Archiepiſcopi, Epiſcopi, aut Prælati, ſed quatenus ſunt Principes & cives Imperii, quo nomine illos indigitari non ex uno loco A. B. conſtat, ex *cap.* I. *pr. cap. 2. & cap. 3.* Et quamvis in Concordatis Nationis Germanicæ quæ Fridericus III com Nicolao Quinto iniit, cautum ſit, ne Imperator ulli Eccleſiaſtico Ordini regalia conferat, Priusquam â Pontifice fuerit inveſtitus; quod tamen hoc non obſtante Imperatori liceat Archiepiſcopis & Epiſcopis ante confirmationem Papalem jura civium largiri, omni dubio caret. Siquidem Concordatis illis non obligantur ſucceſſores, quatenus Cæſaris & totius Imperii juri contrariantur. Arnoldus Engelbrecht Cancellarius, avus meus piæ memoriæ *Differt. de Jurisdictione theſi 67.* Adde Buxtorff. *ad A. B. theſ.* 18.

XIV. Hæc res occaſionem præbuit inſigni illi injuriæ, quâ Archiepiſcopi & Epiſcopi Auguſtanæ Confeſſioni addicti ſuperiori ſeculo affecti ſunt. Cum enim Pontificis jugum planè excuterent, Ordines plerique Pontificii illos Vatiniano pene odio fuere proſecuti; idque

quæ unicè egerunt ut omnibus regalibus privarentur. Lis hæc diu, & non abſque ſummo fervore, utrinque fuit agitata, donec tandem in R. A. *de Anno 1555.* §. Und nach dem conſtitutum eſt: ut à Clerus à Catholicis ad Proteſtantium ſacra abiens ab Epiſcopatibus, & conſequenter omnibus juribus quæ illis ſunt annexa, removeatur. Licet autem hæc Ferdinandi I Conſtitutio, quæ der Geiſtliche Vorbehalt nuncupari ſolet, in vim legis non tranſierit, ut acccuratè oſtendit Lampadius *d. Tr. part. 3. c. 11. n. 15. 16. & ſeqq.* magis prolixe autem libello ſingulari, quem vernacula lingua ficto Scipionis Aretini nomine edidit: tamen hoc operata eſt, ut Epiſcopi Proteſtantes à jure Comitiorum per intervallum temporis haut exiguum fuerint excluſi. Uti hoc apparet ex *Tranſactionis Pragenſ. de Anno 1635.* §. Anlangend die *ſeſſiones* und *Vota*. Quæ res cum acerrimas contentiones & diffidia capitalia in Imperio gigneret, pace inter Germaniam & Regnum Sueciæ Oſnabrugis Anno 1648. facta, ſtatutum fuit, ut Archiepiſcopi & Epiſcopi Auguſtanæ Confeſſioni addicti, ſi qui fuerint, rurſus ad Comitia admitterentur, loco tamen à reliquis ſeparato ſedentes *Inſtr. Pac. Caſar. Suec. Artic. V.* §. *6.* Quod ipſum à Ferdinando III in proximis Comitiis de Anno 1655 fuiſſe obſervatum, & notum aliàs & teſtatur Auctor der Grundfeſte *part. 1. cap. 5.*

XV. Antequam porrò hinc abeamus, paucis diſpiciendum erit: an Sede vacante Archiepiſcopi vel Epiſcopi locus etiam in Comitiis ſit vacuus, an vero Capitulum interea eundem occupet? Doctores Juris Canonici nonnullos textus adducere ſolent, ex quibus poſterius evincere conantur. Credunt autem, huic rei quam maximè ſubſervire regulas vulgatas: Poteſtas Epiſcopalis reſidet penes Capitulum; In omnibus, in quibus non præjudicatur Epiſcopo,

copo. Capitulum poteſt ſupplere vicem Epiſcopi. *Cap. Hîs quæ. X. de Majorit & obedient.* Et vero hinc quàm plurimi actus reſpondent, quos Capitulum Sede vacante exercere poteſt. Ita inſtituit præſentatos ſi ſint indonei, *cap. 1. de inſtitut. in 6to.* præbendas confert, *c. unic. in pr. ne ſe de vocant. aliq. in nov. in 6to.* dat literas dimiſſorias: facit ſtatuta pertinentia ad totam diœceſin, *c. fin. de Conſt. in 6to.* Ungepaur *ad Tit. X. Ne ſede vacante.* Sed quod jure Comitiorum Capitulum gaudeat, ex allegatis textibus vix probari poteſt. Licet etiam regulæ ſupra adductæ ſuâ non careant veritate, perquam tamen difficile eſt, jus aliquod ſingulare exinde, idque maximi momenti, velle aſtruere. Quando autem leges Imperii in auxilium vocamus, res eſt multò expeditior; nam ex ſubſcriptionibus apparet, Capitula plus una vice in deliberationibus Imperii locum inveniſſe. Ita Probſt Dechand und Capitul des Thumſtiffts Freyſingen. *R. I. Anni 1559.* Dechand und Capitul des Stiffts Halberſtadt. *R. I. Anni 1570.* Sed de his ſatis.

XVI. Poſtquam verò de Principibus Eccleſiaſticis fuit actum, jam feſtino ad SECULARES. Notandum autem eſt, quod omnes, qui quidem Imperii Germanici finibus continentur, & territorium aliquod ab Imperio obtinent, ad Comitia vocari debeant. Quod ſi autem in minorennitate adhuc ſint conſtituti, eorum tutores hoc officio defungi ſolent. Æquiſſimum ſanè eſt, ut alius illius vices ſuſtineat qui negotia ad ſe pertinentia propter lubricam ætatem ipſe adminiſtrare nequit. Hinc R. A *de Anno 1594* ſubſcripſit Fridericus Wilhelmus Hertzog zu Sachſen / in Vormundſchafft / und der Chur-Sachſen Adminiſtrator; nec non *Receſſui Imperii de Anno 1654* Maria Anna Vidua Electoris Bavariæ, nomine filii Ferdinandi

Mariæ ſubſcripſit. Majorennes facti propriâ auctoritate deliberationibus publicis interſunt. Quod ipſum quoque illis ante petitam intra annum inveſtituram licere, multis exemplis commonſtrat Limnæus *Tom. 3. Jur. publ. lib. 9. c. 1. n. 52.*

XVII. Non præterea incommodè hîc quæritur: an Reges Bohæmiæ in Comitiis Imperii ſeſſionis & ſententiæ dicendæ jus habeant. Certe ſi perpetuam rerum Germanicarum hiſtoriam ob oculos ponamus, patet, illos ad Ordinum conventus diu ſatis vocatos fuiſſe. Nam Anno 1156; Vladislaum Regem in Comitiis Ratisbonæ celebratis ſeſſionem atque ſuffragium obiiſſe, teſtatur Güntherus *in Ligurino lib. 5. in princ.* Cui etiam reſpondet decretum Friderici I. apud Goldaſtum *Tom. 1. Conſt. Imp. p. 288.* Cum Anno 1387. conventus generalis à Wenceslao Mergenthemi in Franconia haberetur, Regis Bohæmiæ legati iſthuc quoque miſſi ſunt. Lehmannus *lib. 7. Chron. Spirenſ. c. 68.* In Comitiis Anno 1461 à Friderico III Egræ habitis Georgius Rex Bohæmiæ cum Cæſare & reliquis Statibus Imperii de ſalute reipublicæ conſultavit, Zacharias Theobaldus *in tract. de bello Huſſitico part. 3. Anno 1461.* Poſtquam autem Rex Bohæmiæ Anno 1468 à Collegio Electorali fuit excluſus, jus Comitiorum videtur hoc regnum perdidiſſe. Huic autem excluſioni cauſam dederat Vladislaus Rex: qui cum eſſet Polonus & noviter ad regnum Bohæmiæ abſque Cæſaris auctoritate aſſumtus, ab arcanis Reipublicæ fuit remotus. Ex hoc tempore Reges Bohæmiæ Comitiis non interfuiſſe, exiſtimat Carpzovius *ad Legem Reg. Germ. Cap. V. ſect. 9.* Sed Melchior Goldaſtus *libr. de Regno Bohemiæ* teſtatur Carolus V. ad Comitia Wormatiæ habita Ferdinandum fratrem Bohæmiæ Regem citaſſe, eundemque ibi per legatos

legatos comparuiſſe; quod etiam Anno 1530 factum eſſe memorat. Ex quibus apparet, valde dubium eſſe, quamdiu Regnum Bohæmiæ jus Comitiorum retinuerit. Sed quicquid hujus rei ſit, hodie ad Comitia non vocatur, neque voto aut ſeſſione in illis fruitur. Facit huc reſponſum Ferdinandi I Regis Bohæmiæ ad Carolum V in Comitiis Auguſtinis Anno 1548 celebratis, ubi inter alia ita loquitur Ferdinandus: Zu dem daß ein König zu Böhmen zu einigem Reichstage nicht beſchrieben würde/ noch weder Stand noch Stimme im Reichsraht hette. Hoc reſponſum recitat Arumæus *Tract. de Comitiis c. 4. n. 58.* Non propterea tamen exiſtimandum eſt, Regem Bohæmiæ nulla ratione eſſe Statum Imperii. Quum enim in eo vera Status nota conſiſtat, ut quis de maximis graviſſimiſque Sacri Imperii negotiis jus habeat ſimul deliberandi, ſupereſt adhuc illi Regno Bohæmiæ jus deliberandi conſtituendique ea quæ ad eligendum ſummum Imperii caput pertinent. Quæ deliberatio non ſane levis ſed maximi eſt momenti. Ideoque hac etiam in re non poſſumus non ſequi Ampl. Dn. Præſid. *in libr. de Finibus Imperii c. 29.*

XIIX. Vti autem de Rege Bohæmiæ ita etiam de Nobilibus immediatis ſolet controverti, an ſint Status Imperii votumque & ſeſſionem in Comitiis habeant. Et verò, ſi priſtini temporis memoriam recolimus, antiquiſſimâ Imperii tempeſtate ſolere eos Comitiis Imperii intereſſe, videtur extra controverſiam collocandum eſſe. Imò admodum eſt veroſimile, adhuc Carolo IVto Imperatore illos in publicis Imperii Comitiis locum aliquem inter reliquos Status habuiſſe. Apparet ſanè hoc ex tenore Aureæ Bullæ. Mit gutem Raht unſer und des H. Reichs Churfürſten / Fürſten / Graben / Freiherrn / Rittern/

 Knechten/

Knechten und Ständen *In pr. Reformationis Friderici III de Anno 1442.* ibi: Freiherrn / Rittern / Knechte und Stäte. Videatur *Bulla Sigiſmundi Imp. apud Goldaſtam Tom. I. Conſt. Imp p. 398.* Fortaſſis autem illa priſtina formula manſerat, re ipſa pridem ceſſante. Certiſſimum enim eſt, ultimis temporibus rariùs illos & tandem nunquam ad Comitia veniſſe. Quo autem tempore hanc dignitatem amiſerint, difficile eſt pronunciatu. Interim ſi Maximiliani I. & ſeqq. Imperatorum conſtitutiones inſpicimus, in illis Nobilium nullam fieri mentionem animadvertimus. Quî autem factum ſit, ut à jure Comitiorum fuerint excluſi, certò ſorte definiri nequit. Quin Limnæus *Tom. 2. Iur. publici l. 1. c. 3. n. 25.* illos ridet, qui hujus rei cauſam indagare volunt, atque omne illud à libera Imperatoris voluntate dependere exiſtimat. Attamen illorum opinio longe eſt ſimilior vero, qui ordinem Equeſtrem hac dignitate idcirco privatum eſſe arbitrantur, quod ipſe publicis collectis Imperio ſuccurrere detrectaverit. Hæc enim ratio habetur in *Conſilio Ludovici Grempii & Hieronymi* zum Lamb von der Erbaren Reichsſtätte Stand und Stimme/ quod cum ſeorſim pridem fuiſſet editum, poſt inſertum eſt à Beſoldo *Theſauro Practico voce* Reichsſtandt. Adde eundem Beſoldum *in diſcurſu de Ordine Equeſtri.* Quamvis autem hodiè certiſſimi juris ſit, Nobiles Immediatos Comitiorum non eſſe participes, Hippolitus tamen à Treisbach in dem unvorgreiflichen bedencken über etzliche fragen der freyen Reichs Ritterſchafft in Schwaben Francken und Rheinſtrom Stand und ſeſſion betreffend / hujus Ordinis honoratiſſimi patrocinium ſuſcepit. Sed ejus argumenta benè emedullavit Limnæus *Tom. 4. Iur. public. in Addit. ad lib. 6. cap. 3. num 10.* & in *Annot. ad Capit. Carol. V. p. 222.* ubi

ubi rem omnem prolixè perſequitur. Et tantùm quidem de Comitiorum cauſa efficiente.

XIX. CAVSAM porro efficientem ſtatim excipit CAVSA MATERIALIS quam in noſtra tractatione conſtituunt res illæ quæ ſub deliberationem cadunt. Iam verè ex iis quæ ſupra ſunt allata liquet, illas res cum primis in deliberationem venire, quæ ad *τὸ κύριον* ſive ſummam reipublicæ pertinent. Licet autem hodierni ſcriptores Politici hoc ipſum variis rebus determinare ſoleant, nos tamen ſequemur communem doctorem Ariſtotelem, qui *lib. 4. Politic. c. 14.* tres partes eſſe recte docet, in quibus ſumma reipublicæ conſiſtit; primam, quæ poteſtatem habet deliberandi de arduis civitatis negotiis; ſecundam in magiſtratibus, tertiam quæ in judiciis conſiſtit. His veſtigiis verò inſiſtentes, Comitiorum cauſam materialem ſecundum tres illas partes explicabimus. In primo igitur membro conſideranda veniunt negotia maximi momenti, quæ ab Ariſtotele *lib. 1. Rhetor. c. 4* ex parte enumerantur. Nos melioris ordinis gratiâ diſpeſcemus ea, in negotia quæ intra limites ipſius ſocietatis terminantur & quæ exteros reſpiciunt. Illa ſunt legumlatio, & deliberatio de tributis colligendis, qùo loco de nummis cudendis nonnulla addemus. Hæc ſunt bellum & pax, cuſtodia regionis, importanda & exportanda, & deniq; fœdera.

XX. Sed inter ea quæ intra limites ſocietatis civilis terminanrur primas ſibi partes vendicat LEGVMLATIO, unde hæc facultas Ariſtoteli prudenter *ἀρχιτεκτονικὴ lib. 6 Ethic. c. 8.* appellatur. Videtur autem duplici ratione objectum conſultationum Leges conſtituere poſſe. Deliberatur enim vel de legibus latis vel de legibus ferendis. Leges jam latæ ſunt vel publicæ vel privatæ; illæ ſtatum reipublicæ hæ ſingulorum negotia privata reſpiciunt. Le-

ea quæ jam conſtituta ſunt & in uſum reipublicæ tranſierunt contrariis decretis poſſint limitari, non dubitamus. Confirmant hoc Imperii Receſſus; ex quorum inſpectione diſcimus, anteriores conſtitutiones pro ſtatu & utilitate reipublicæ ſæpiùs fuiſſe immutatas. Erklärung des Landfriedens zu Augſpurg *Anno* 1500 auffgerichtet *Tit.* von auffgerichteten Landfrieden *ibi:* Etliche geendert. R. A. zu Augſpurg *Anno* 1555. § Und wiwol.

XXI. Haud diſſimili ratione Cæſar & Ordines Imperii circa leges privatas verſantur, Quando enim eas aliquâ obſcuritate laborare animadvertunt, illarum mentem uberius explanant. Hinc eſt, quod in Comitiis *Anno* 1557. *Spiræ habitis* §. Ferner promittant, ſe forte interpretes Ordinationis Cameræ, ſi forte judices aut aſſeſſores illius ſententiam in omnibus plenè percipere nequeant. Si leges in deſuetudinem fortaſſis abiere, Cæſar & Status Imperii dant operam, ut major illis auctoritas concilietur. Hoc ſatis apparet ex *proœmio Ordinat. Cameræ de Anno* 1555. R. A. zu Augſburg *Anno* 1500. *Tit.* Von überflüſſigkeit der Kleider und andern. Quod leges catenus etiam præbeant materiam publicis Imperii deliberationibus, quatenus jam promulgatæ aut receptæ pro utilitate reipublicæ ſint mutandæ aut planè refigendæ, declarant Receſſus Imperii, in quibus à jure communi & conſtitutionibus anteà latis paſſim receditur. *Reformat. Politic. ſub Receſſ. de Anno* 1548. & 1577. *Tit.* Von der Pupillen oder Minderjärigen Kinder *Tutorn* und Vormündern R. A. zu Augſpurg *Anno* 1548. §. Als auch in des H. R. Reichs hiebevor. Quia etiam conſuetudo non minùs ſpecies juris eſt, quam jus ſcriptum, facilè apparet, neque illam in Comitiis debere negligi. Hinc fieri videas, ut laudabiles Imperii & ſingulorum locorum conſuetudines confirmentur. Die Ordnung der

Notar-

quod expendi non poteſt niſi oculis in ſcopum directis, & mediis omnibus adſcopum tanquam ad regulam certiſſimam examinatis. Ita diſſerit Ampliſſimus Dn. Præſes *cap. 8. lib. de Civili prud.* Quia autem finis cujuslibet reipublicæ eſt vel internus, vel externus, leges,ceu media ad utrumque finem, accuratè erunt componendæ. Eſt autem finis externus in Imperii republicâ vera civilis felicitas: quæ in eo conſiſtit, ut cives operentur ſecundùm virtutem & rerum ſufficientia ſint inſtructi. Finis internus, ut in omnibus actibus civilibus, heic reapſe idem quid eſt cum causâ formali, conſiſtitque in eo,ut Cæſar & Ordines in rectam miſtionem Summæ poteſtatis partium unanimiter conſpirent.

XXIV. Ex dictis facilè fit manifeſtum, quem ſcopum noſtri Proceres in hac parte deliberationis ſibi habeant propoſitum. Quia ſcilicet reſpublica Imperii intendit veram felicitatem, huc primò omnes conatus inflectunt, ut leges bonæ & ſimpliciter juſtæ condantur; hoc eſt, tales quæ directè virtutum actus jubent, vetant vero actus vitiorum Harum ingentem cumulum in Imperii Conſtitutionibus illi reperire licet, qui eas paulo accuratiùs penſitare haut gravabitur. R. A zu Trier und Cölln *Anno* 1512. *Tit.* Von Gotteslęſteren. §. Deßgleichen. *Reformation* guter Policey zu Augſpurg *Anno* 1548. auffgerichtet. *Tit.* Vom zutrincken. *& Tit.* Von unordentlicher köſtligkeit der Kleidung. Deinde haut minor cura conſervando publico Statui impenditur. Cum verò Imperii reſpublica ex Monarchia & Ariſtocratia ſit compoſita, deliberationes quoque eò diriguntur,ut harmonia quæ & inter ipſos Ordines, & inter Imperatorem & Ordines eſt, ſalutaribus legibus ſtabiliatur. Quod quomodo fiat, jam erit nonnihil & ſaltim παχυλῶς diſpiciendum. Igitur Ariſtocratiam maxime tuetur ac conſervat, ſi caveatur, ne

unus in civitate honoribus, opibus, ac potentia uſque adeo excellat, ut cæteris civibus poſſit eſſe formidabilis. Tale remedium ſuppeditat Ariſtoteles *lib. V. Politic. c. 8. Commune autem eſt*, ait, *& in populo, & in paucorum dominatu, & in principatu, & in omni republica, neque augere valde quempiam præter juſtam menſuram: ſed potius parvos & diuturnos honores tribuere, quam brevi magnos.* Hac in re ſane circumſpectè Veneti agunt, dum nemini ex ſuo genere manum militarem temere concredunt; aut licet concredant, tamen alas tàm indigenæ quam peregrini ducis adeo arctè circumcidunit, ut illi altiùs quam Senatus velit, evolare non poſſint. Hoc cum & Imperii reipublicæ conducat, Cæſar & Status Imperii cum aliqua curâ omnia illa circumſpiciunt, quæ alicujus auctoritatem ita augere poſſint, ut reliquis metuendus ſit. Hac quidem de cauſa inviſæ ſunt artes ad æmulationem alterius extructæ, & munimenta quæ prædonibus & pacis publicæ turbatoribus receptacula præbere poſſunt. R. A. zu Regenſpurg *Anni* 1567. §. Wiewol wir nun nach ſolcher R. A. zu Regenſpurg *Anni* 1567. §. Dieweil uns den. Erklärung des Landfriedens *Tit.* Wieder der Ganerben Schloß. Cum etiam alicujus Principis auctoritas facilè metuenda ſumat incrementa, ſi cum exteris rebuſpublicis aut potentibus vicinis fœdere jungatur, huic etiam rei in Comitiis Imperii certi limites præſcribuntur. Enata hinc eſt Maximiliani I conſtitutio, quæ ejuſmodi fœdera abſque Imperii auctoritate facta irrita pronunciat. R. A. zu Wormbs *Anni* 1495. *Tit* Die Königliche. Quanquam hæc lex non ea qua par fuit ſanctitate fuerit obſervata, tandemque per tranſactionem Oſnabruggenſem certâ ſub conditione abrogata ſit. *Inſt. Pac. Cæſar. Suec. Art. 8. §. Gaudeant.* Quoniam verò reſpublicâ Imperii, uti jam monitum, non ſolum

lùm ſtatus Ariſtocraticus ſed etiam Monarchicus quadamtenus obtinet, hinc neceſſe eſt, ut in conſultationibus Imperii hujus quoque ratio habeatur. Creditur autem prudenter optimè illi conſuli; ſi Imperatori ſumma quædam jura ſoli reſerventur. Quod etiam factum eſſe probatur ex *A. B. Art. V.* Ordnung des Regimentes *Anni 1542.* zu Wormbs §. Und behalten uns bevor. R. A. zu Speyer *Anno 1542.* §. Hierumb und dieweil.

XXV. Præter has porrò leges ſunt etiam aliæ, quæ ſingulorum negotia privata dirigunt; de his vero quin in publicis Imperii conventibus deliberetur, nulla ratio nos dubitare ſinit. Notandum autem eſt, quod in illarum promulgatione ad ſcopum reipublicæ non ſemper eâ quidem ratione quâ fit in legibus quæ ad ſtatum pertinent reſpiciatur. Quod fit, quia negotia illa priora omni fere tempore ſunt eadem, nec pro diverſitate rerumpublicarum valdè mutantur. Interim negari non poteſt, privatorum actus nonnunquam civitatis regimen & ſtatum publicum attingere. Id quod ſi Legis lator viderit, officio ejus incumbit, ut illos accuratâ prudentia ſecundùm reipublicæ ſuæ ſcopum diſponat. Vide *caput 6. libri de civili prudentia.* Cæterùm ut conſtet - qua ratione Imperator & Ordines in Comitiis de legibus privatis condendis deliberent, obſervandum eſt; civitatem ex vicis, hos ex familiis, familias ex ſocietatibus primis, conjugali herili & paterna, compoſitas eſſe, atque ſingulas ſocietates peculiaribus juribus gaudere, nec abſque illis vel ad leve momentum conſiſtere poſſe. Hiſce autem præſuppoſitis aſſerimus, deliberationes circa hoc negotium illuc ſpectare, ut tales leges promulgantur, quæ vicum, familiam, deinde conjugalem herilem & paternam ſocietates conſervent, aut conſervare credantur. hoc ſi quis pernoſcere velit, inſpiciat

Imperii Receſſus, qui ingentum harum legum cumulum ſuppeditabunt.

XXVI. Quoniam porrò res noſtræ eò pervenerunt, ut è publico ærario non modò non nervi bellorum ſed nec pacis ſubſidia Imperatori aut Imperio amplius ſuppetant, meritò conquerente Julio Pflugio Epiſcopo Naumburg. in *Oratione de Ordinanda republica Germaniæ*, nulla fere Comitia celebrantur, in quibus non de CONTRIBVTIONIBVS agatur. Quæ cum Imperator non aliter quam prævio conſil.o & conſenſu Imperii Statuum imponere poſſit *Inſtr. Pac. Artic. 8. § Gaudeant* : jâm videbimus, quâ ratione de collectis Imperii conſultationes iniri ſoleant. Sunt autem contributiones duplicis generis. Aliæ ſunt Ordinariæ, alliæ Extraordinariæ. Ordinariæ ſunt; quæ ex legis proviſione certam, quotannis ſemel vel ſæpius etiam recurrentem, vel regularem habeant præſtationem, in ordinarios & quotidianos reipublicæ uſus & negotia impendendam, ex bonis quæ poſſeſſor in territorio magiſtratus collectantis poſidet. *l. fin. C. ſine cenſu vel reliquis &c.* Extraordinariæ ſunt, quæ ærario ordinariâ collatione conſtitutâ exhauſto, perſonis principaliter, contemplatione rerum quas poſſident, modò majores modò minores, indicuntur ob neceſſitatem publicam incidentem, idque ad tempus, donec neceſſitas illa ceſſaverit. Speidelius *in Speculo verbo* Steur Schatzunge. Collectiones Ordinariæ in Germanico Imperio ſunt der Anſchlag des Römerzüges. Licet enim ſingulis annis expeditio Romana non exerceatur, tamen obligationem perpetuam habet. Huc etiam referenda eſt contributio Statuum zu unterhaltung des Cammergerichts. Quæ ut initiò temporaria fuerit & extraordinaria viſa R. A. zu Speier *Anni 1544.* §. So viel das Reich belanget. R. A. zu Augſpurg *Anni 1548.* §. Dieweil auch

auch unſer Keyſerliche Cammergerichte : poſtea tamen perpetua facta eſt & ordinaria *Ordin. Cam. part.* 1. *Tit.* 42 *& ſeqq.* R. A. zu Augſpurg *Anni* 1566 §. Damit auch dieſe acht. R. A. zu Regenſpurg *Anno* 1654. §. Dieweil auch jährlich. Poſtquam itaque circa has collectas certi quid eſt conſtitutum, non ampliùs ſunt adæquatum objectum Comitiorum, ſed tantum illæ quæ dicuntur Extraordinariæ. Sunt autem hæ in duplici differentia ; vel enim ad negotia pacis , vel ad negotia belli ſpectant. Hujus generis eſt die Türckenſteur. Quæ ad pacis negotia pertinent , pro verietate utilitatis reipublicæ variæ eſſe poſſunt. Tales ſunt quæ legationibus impenduntur. R. A. zu Regenſpurg *Anno* 1598. §. Dieweil aber. Primò omnium autem attenditur , an talis reipublicæ neceſſitas immineat , quæ tributorum collectionem poſtulet ; quæ ſi appareat , communi ſuffragio collectio generalis decernitur. Vti videre eſt ex R. A. zu Nürnberg *Anni* 1524. §. Item als auch. R. A. zu Augſpurg *Anni* 1530. §. Demnach wir *& ſeq.* Quando bellicæ contributiones ſunt exſolvendæ , ante omnia deliberatur, an pecuniâ reipublicæ ſit ſuccurrendum an vero milite. Si animadvertatur Imperii rebus pecuniâ numeratâ magis conſuli , eadem etiam promittitur R. A. zu Augſpurg *Anni* 1548. §. Ferner haben wir aus R. A. zu Augſpurg *Anni* 1551 §. So haben wir *in fin. & ſeq. in pr.* Sin vero reipublicæ neceſſitas militem requirat , ad illum mittendum Ordines ſe obligant R. A. zu Regenſpurg *Anni* 1576. §. In ſelben R. A. zu Nürnberg *Anni* 1521 §. Item haben wir uns.

XXVII. Ad majeſtatis præterea jura quoque refertur poteſtas περὶ νόμισμα : circa MONETAM , uti docet Ariſtoteles quoq; 2. *Oecon.* 2. Sed Jus hoc monetæ duplici ratione poteſt conſiderari, nam vel eſt in communibus legibus nummariis, & ad Comitia pertinet, Jacob. Lampad. *Tract.*

de Rep. Rom. Germ. part. 3. cap. 14 num. 18. vel in concedendo alicui cudendæ monetæ jure conſiſtit. Poſterior hæc poteſtas Cæſaris & Electorum eſt. *Capit. Rudolphi Imp.* §. Wir ſollen und wollen auch hinfüro ohn vorwiſſen der ſechs Churfürſten. Prout autem jus monetæ Comitiorum objectum conſtituit, variis modis inter Cæſarem & Status Imperii de illo conſultationes inſtituuntur. Hoc ut eò rectiùs appareat, primò notandum eſt, quod nummus ſit inſtrumentum commerciorum, ſine quibus reſpublica diu durare non poteſt. Quo poſito ſequitur, nummi materiam debere eſſe talem, quæ placeat iis, cum quibus commercia exercemus ſive peregrinis ſive civibus. Quoniam verò metallum eſt talis materia, curari debet, ut nummi quàm maximè ex auro argento & ære cudantur. Hæc enim metalla omnibus gentibus maximè ſunt accepta, inque eo habentur precio, ut reliqua quæ hic parvi æſtimentur. Heic autem benè obſervandum eſt, quod nummi ex ære parciùs ſunt cudendi, aut ſi aliquando miſtio metallorum inſtituatur, illa legibus determinari debeat. Hæc uti ipſa natura & cujuſcunque reipublicæ ſalus poſtulat, ita ſummo ſtudio in Comitiis Imperii ſæpiùs fuiſſe obſervata, conſtat ex legibus quas hunc in finem videmus eſſe promulgatas. R. A. zu Auſpurg *Anni 1500.* §. Weiter & paſſim. Keyſers *Ferdinandi* Newe Müntzordnung. *Anni 1559.* Antequam autem porrò oſtendamus, quâ curâ hoc negotium à Statibus pertractetur, lubet locum elegantiſſimum ex Ariſtotelis *lib. 1. Polit. c. 6* adducere, qui rem multùm illuſtrare poterit. *Primùm quidem ſimpliciter eſt definitum magnitudine & pondere, poſtremo autem nota impreſſa ut liberet ipſos cura menſurandi. Nota enim eſt quantitatis indicium.* Hoc obſervato, non eſt obſcurum, pretium ſeu quantitatem, quam character exprimit, conſtituere bonâ ex parte nummi eſſentiam. Quia autem hoc pretium num-

nummus non habet vi naturali materiæ & ſubſtantiæ ſuæ, neceſſe eſt, ut illud eidem à Majeſtate pro utilitate reipublicæ ſimul imprimatur. Ad hæc principia ſi quis leges Imperii velit examinare, ille ultro fatebitur, quàm prudentiſſimè ſe noſtros Proceres in juſtis nummorum preciis determinandis geſſiſſe. Keyſers *Ferdinandi* Newe Müntzordnung *Anni* 1559. R. A. zu Speyer *Anni* 1570.

XXVIII. Pertractatis verò iis quæ intra civilem ſocietatem terminantur, jam ad ea quoque accedimus, quæ extra illam finitimos vel exteros reſpiciunt. Inter ea autem primum locum obtinet JUS BELLI GERENDI. Quod licet inter ſumma Majeſtatis regalia referatur Joh. Bodin *lib.* 1. *de Rep. cap.* 10. Anton Coler. *de Jure Imperii Germ. ſect.* 28. Imperator tamen abſque Ordinum conſenſu circa illud nihil diſponere poteſt. Elucet verò hoc ex Imperii Conſtitutionibus, in quibus expreſſe hac in parte Imperatoris poteſtas limitatur. Handhabung des Friedens zu Wormbs *Anni* 1495 *Tit.* Die Königliche Majeſtät ſol keinen Krieg anfahen. Et *Inſtr. Pac. d. Artic.* 8. §. *Gaudeant.* Vid. Limn. *in Annot. ad Capit. Caroli V. p.* 185. ubi ab antiquiſſimis temporibus hoc ita obſervatum fuiſſe, demonſtrat. Quando igitur Ordines à Cæſare ad bellum decernendum inſtigantur, potiſſimùm illi provident, an reipublicæ neceſſitas exigat, ut arma corripiantur: quo ſatis perſpecto, communi demum ſuffragio Imperatoris voto reſpondent. R. A. zu Regenſpurg *Anni* 1527. §. darauff alſo. R. A. zu Speyer *Anni* 1542. §. Und dieweil nun dieſer anſchlag/ *ibi*, nothwendig und Chriſtlich vorgenommen. Poſtquam autem de cauſæ juſtitia Ordines certiores facti ſunt, ſtatim de nervo & apparatu belligerendi ſolent eſſe ſolliciti. Militares enim expenſæ & hoſtium incurſiones multâ egent diligentiâ; & non poſſunt circa pecuniam hæc agi, fatente Juſti-

niano

niano *in Novell. 8. cap. 10. §. 2.* Igitur ſummoperè laboratur, quâ ratione tantum pecuniæ & commeatus à ſingulis Ordinum poſſit in unum conferri, quod bello alendo ſufficiat R. A. zu Augſpurg *Anni 1548* §. Ferner haben die R. A. zu Regenſpurg. *Anni 1557.* §. So haben. R. A. zu Regenſpurg *Anni 1641.* §. Anreichend die auffrichtung gewiſſer *magazin.* Nec in hoc acquieſcunt Ordines, ſed præterea dant operam; ut milite pedeſtri vel equeſtri aut utroque à Statibus, ratione bonorum quæ poſſident, Imperio ſuccuratur, Quemadmodum ſuperioris quoq; anni experientia edocuit, cum pro libertate & finibus tuendis bellum contra Turcam ſuſciperetur. Cum etiam militaris ſineduce turba ſit corpus ſine ſpiritu (ut vere dicit Perdiccas apud Curtium *lib. 10.*) Imperator & Ordines in hoc etiam multùm ſunt occupati, ut duces ſummâ Prudentia, nec minori rei militaris peritiâ & auctoritate inſtructi exercitui præficiantur. R. A. zu Regenſpurg *Anni 1557* §. Als dann ferner. R. A. zu Regenſpurg *Anni 1541* §. Und die weil uns. R. A. zu Augſpurg *Anni 1500. Tit.* Deß Reichshauptman betreffend.

XXIX. Jus belli verò ſtatim excipit poteſtas PACEM PANGENDI. Finis enim belli pax eſt; ut habet quoq; Ariſtoteles 7, *Polit. cap. 15*, ac propterea bellum geritur, ut in pace iterum degatur. Ariſtot. *X. Ethic. cap. 7*, Hugo Grot. *de I. B. & Pac. cap. lib.* 1. Quemadmodum autem jus belli inter Imperatorem & Ordines eſt diviſum, ita etiam pax non alter eſt decernenda, quàm prævio Comitiali liberoque omnium Imperii Statuum ſuffragio & conſenſu R. A. zu Trier und Cölln *Anno 1512.* §. Item ob uns. *Inſtr. Pac. d. Art* Quando itaque Cæſar Ordinum conſilio & opera in hoc negotio utitur, deliberari ſolet, primò ante omnia pax ſit ſancienda, & deinde quibus conditionibus

incun-

in cunda. Illud in Conventibus Imperii accuratè perpendi, ex prooemio R. A. zu Regenſpurg *Anni 1641* quodammodo cognoſcimus: hoc non minori ſolertia tractari, colligi poteſt ex eodem R. A. zu Regenſpurg *Anni 1641* §. Nach dem aber. Non incommode autem huc quoque refertur *CVSTODIA REGIONIS*: nam pacis tempore reſpublica bene conſtituta ad bellum ſuſcipiendum parata eſſe debet. Nec permittendum eſt, ut milites compreſſis, quod ajunt, manibus ſedeant; nihil enim agendo male agere diſcunt, militareſque ſeditiones plerumque ex otio abundantia & ſolitorum munerum intermiſſione oriri ſolent. *Chriſt. Forſtner. ad Tacit. lib.* 1. *Annal. p. 87.* Quia vero regionis cuſtodia tum in novis munimentis exſtruendis, tum in veteribus firmandis, tum in milite præſidiario alendo conſiſtit; facile patet, in Comitiis hæc membra præcipuè in diſceptationem vocari. Vti conſtat quoq; ex *Inſtr. Pac. Artic. 8.* §. *Gaudeant.*

XXX. Jam porrò nos ordo ducit ad importanda & exportanda, ſeu COMMERCIA quæ cum exteris inſtituuntur; quæ tanti fecit Ariſtoteles, ut inter præcipua publicarum deliberationum objecta collocaverit. Verba ejus ita habent: *Ad annonam quod attinet, quanta illius copia & cujusgeneris civitati ſufficiant intelligendum: & quæ illic naſcantur, quæque aliunde importentur, quarumque rerum aut exportatione egeant aut invectione, ut cum illis populis pacta conventioneſque fiant.* Hæc ſi attendamus fit manifeſtum, quònam is reſpicere debeat, qui de his deliberationes inſtituere velit. Certe naturâ ità comparatum eſſe cernimus, ut ubique terrarum non earundem rem copia haberi queat. Sed huic regioni illa Sæpe deeſſe, quæ alibi affatim reperiuntur. Etenim

Hic ſegetes, illic veniunt felicius uvæ,

Arborei fœtus alibi atque injuſſa vireſcunt
Germania ——

Vt canit Virgilius *lib.* 1. *Georg. Et aut plerumque quod alteri ſupereſt alteri deeſt*, uti ait ICtus Paulus *in l.* 1 *pr. ff de Contrab. emt.* Quâ de cauſâ Summa Majeſtas curare debet, ut illa, quibus reſpublica abundat exportentur, ea verò, quorum inopiam patitur, viciſſim invehantur. In his verò commerciis cumprimis reipublicæ ſaluti parendum eſſe, nemo non prudens ſuaſerit. Ideoque eadem Summa Poteſtas optimè ſuæ reipublicæ conſulit, ſi inter ea, quæ ad vitam commodè tranſigendam & luxurioſam faciunt, nec non inter ſufficientia & ſuperflua, accuratum obſervet diſcrimen. An autem hæc omnia à Cæſare aut Ordinibus in conſultationibus Imperii obſerventur, ego nec dixerim nec negaverim. Interim quod nonnulla Comitia ſaluberrimis deliberationibus ad hoc negotium attenentibus non caruerint, ipſæ Imperii conſtitutiones ſatis oſtendunt. Policey Ordnung zu Franckfurt *Anni* 1577. *Tit.* 21. *Tit.* 22. R. A. zu Augſpurg *Anni* 1551 §. So haben wir uns auch. R. A. zu Regenſpurg *Anno* 1594. §. Dieweil auch durch.

XXXI. Quoniam poſtremò inter res quæ cum exteris intercedunt, FOEDERA collocavimus, jam videbimus an illa quoque Comitialis ſint deliberationis objectum. Si ſanè ad priſtini temporis memoriam oculos reflectamus, apparet, Imperatores ad fœdera cum exteris pangenda ſemper Ordinum aſſenſum in plenis Comitiis requiſiviſſe. Handhabung des Friedens Rechtens und der Ordnung zu Worbmis *Anno* 1495 *Tit.* Die Königliche Majeſtät. Quamvis autem hæc conſtitutio ſub Maximiliano I in generali Ordinum conventu fuerit promulgata, illâ tamen neglectâ, ipſemet ille Imperator, inconſultis Statibus

fœdus

fœdus cum Pontifice Romano & Regibus Franciæ & Arragoniæ contra Venetos iniit. *Hulder. Mutius l. 30. Chron. Germ. apud Piſtor. Tom. 2. German. Scriptor. 314.* Quod cum Ordines Imperii & cumprimis Electores male haberet, placuit illis, Carolum V admonere, ne ulla fœdera abſque eorum conſenſu cum exteris iniret. Vti hoc licet colligere ex *Capit. Caroli V. Artic. 7.* Hoc ipſo autem cum Electorum poteſtatem multum creſcere, ſuam vero decreſcere, reliqui Status & Ordines exiſtimarent, Anno 1648, Oſnaburgis, hanc Majeſtatis partem ſibi quoque communicari poſtularunt. Neque verò plane nihil egerunt; ſed ſaltim eò res rediit, ut expreſſâ lege fuerit ſancitum, ne ulla fœdera impoſterum atque Comitiali liberoque omnium ordinum ſuffragio & conſenſu ſancirentur. *Inſtr. Pac. Artic. 8. §. Gaudeat.* Hinc verò etiam in *Capit. Ferdinandi IV* ita legimus: **Keine verbündnis oder einigung mit frembden** *nationen*, **auch ſonſten im Reich machen / wir haben den zuvorhero der Churfürſten Fürſten und Stände bewilligung hierzu erlanget.** *Artic.* VII. Idem etiam in *Capitul. Leopoldi* I *Artic.* X habetur.

XXXII. Atque hæc ſunt illa quæ ad Senatum pertinent. Sequuntur jam reliquæ duæ Reipublicæ partes, Magiſtratus & Judicia. Inter MAGISTRATVS autem noſtri Imperii procul dubio primum locum ſibi vendicant Vicarii Imperii, quorum alter, nempe Comes Palatinus, in partibus Rheni & Sueviæ, & iis terris quæ jure utuntur Franconico, ratione Principatus ſeu Comitatus Palatini; alter Dux Saxoniæ in iis locis ubi Saxonica jura vigent, Imperatores vices ſuſtinet. Secundum locum obtinent Archi-Cancellarii Imperii, ſuntque tres Electores Eccleſiaſtici, qui dignitatem hanc per electionem Capituli accipiunt. De horum origine & uſu præclara habet.

bet Lehmannus *lib. 2. Chron. Spir. cap. 7. p. 69* Haud diſſimilis ratio eſt Electorum Secularium : qui nec ab Imperatore nec ab Imperio conſtituuntur , ſed hæreditario jure dignitatem ſuam accipiunt. Vide Ampliſſimi Dn. Præſid. *diſp. de Septemv. ſeu. Elector. Imp Germ. th. 34.* Tertio ab his ſunt loco Electorum Vicarii ſeu Sub Officiarii, ſuntque hodie Comes de Hohenzollrn , ViceCamerarius , Vice Pincerna de Limburg , Subdapifer de Walenburg, & ViceMareſchallus de Papenheim *Aur. Bull. Artic. 4. & 27.* Cumque Palatinus Rheni inſtitutum octavum Electoratũ cum officio ArchiTheſaurarii nunc exerceat, ejus SubVicarialem dignitatem familiæ Comitum de Synzendorff conceſſit , exque iis Anno 1653. conſenſu Imperatoris & Electorum , de officio iſthoc inveſtivit fratres Georgium Ludovicum Cameræ Imperialis Aulicæ tum Præſidem , & Johannem Joachimum Conſiliarium Imperii aulicum , de Synzendorff. Dietrichs *ad Art. 27. A. B. p. 313.* Deinde ſe offerunt Gubernatores Circulorum Die Kraiß Oberſten : de quorum officio in Comitiis ſæpiùs actum eſſe indicant R. A zu Augſpurg *Anno 1555* § Und auff den fall. R. A. zu Regenſpurg *anno 1654* § Und wann der Krais Oberſte. R. A. zu Augſpurg *anno* 1581 § Und zu noch mehrer. R. A. zu Franckfurt *anno* 1596 §. Demnach und damit dann. His ſuccedunt illi qui tempore belli duces declarantur : quod non à ſolo Imperatore , ſed communi omnium Ordinum ſuffragio fieri ſolet. R. A. zu Augſpurg *anno 1500 Tit.* deß Reichs Hauptman betreffendt. Reuter beſtallung zu Speyer *anno* 1170 §. *Item* der Oberſte.

XXXIV. JUDICIORUM porrò in hac republica non eadem ſemper fuit ratio. Olim enim temporibus Regum Francorum judiciis præfuerunt partim Concilium omnium Ordinum , partim Rex ipſe , partim à Regibus

bus conſtituti varii Duces & Graviones ſeu Comites cum Scabini aſſeſſoribus, partim Epiſcopi, partim denique Legati ſeu, uti illa tempeſtate vocabantur, Miſſi regii. In ipſo Regio palatio fuere cauſæ judicatæ partis per ipſum Regem partim per Comitem Palatii. Ad hunc nempe deferebantur lites, quæ vel alibi non decidi potuerant per provocationem partim, vel quæ circa ipſum Palatium Regium aut in aula naſcebantur. Res verò majoris momenti arbitrio Comitis Palatii fuerunt exemtæ. Nam Regum cauſæ, pertinentes ad reipublicæ adminiſtrationem, agitabantur in publicis Regni Comitiis; Principium verò controverſiæ in Parium Principum concilio coràm Rege aut Cæſare dijudicabantur. Videatur Ampliſſimi Dn. præſidis *Diſſertatio de Iudiciis Regni Germanici*: ubi ille omnes mutationes quæ circa rationem judiciorum contigerunt, accurate perſequitur.

XXXIV. Hodie in noſtrâ Republica ſunt duo ſuprema tribunalia. Alterum vocatur Cameræ Judicium, das Käyſerliche Cammergerichte / alterum audit Conſilium Aulico Imperatorium ſive der Reichs Hoffrath. Illud à Maximiliano I Imperatore eſt omnium Statuum conſilio Anno 1495 inſtitutum, ut eſſet ſupremum juſtitiæ domicilium, ſingulare Imperii civium perfugium, atque adeò extremum juris aſylum, das Oberſte und letzte Gerichte. R. A. zu Auſpurg / *anno 1530* § Dieweil nun Unſer. Vt autem conſtet, quomodo de hoc judicio in Imperii Comitiis etiamnum deliberetur, ad hæc tria capita erit reſpiciendum: I ad perſonas judicantes, II ad res quæ veniunt in conſultationem & perſonas judicio ſubjectas, III ad modum procedendi. In hoc ſane multum operæ â Cæſare & Imperii Statibus collocari, teſtatur Ordin. Cam. paſſim. Iſtud non minori diligentia tractari, apparet ex *Ord. Camer.*

 Tit. 27.

pitulatione concipienda : de modo & ordine in declarando uno & altero ſtatu in bannum Imperii , præter eum qui aliàs in conſtitutionibus Imperii deſcriptus eſt , tenendo : redintegrandis circulis : renovanda matricula : reducendis Statibus exemtis : moderatione & remiſſione Imperii collectarum : Reformatione Politica & juſtitia ! taxa ſportularum in judicio Camerali : Ordinariis Deputatis ad modum & utilitatem Reipublicæ rite formandis : legitimo munere Directorum in Imperii collegiis : & ſimilibus negotiis , quæ hic expediri nequiverunt , ex communi Statuum conſenſu agatur & ſtatuatur. Et paulò pòſt : *De indaganda aliqua ratione & modo &c.* Hæc autem quomodo in proximis Comitiis fuerint pertractata, fuſè explicat *Auctor* der Grundfeſte des Heil. Römiſchen Reichs *part.c.3* Licet verò Status Imperii multa indeciſa reliquerint, tamen illa omnia Comitiorum objectum conſtituere non eſt quod dubitemus. Verùm de ijs quæ ad materialem cauſam attinent fortaſſe plus ſatis.

XXXVI. Accedimus itaque ad CAUSAM FORMALEM Comitiorum , quæ in modo deliberandi conſiſtit. Illorum vero quæ ad modum illum pertinent alia magis ſunt eſſentialia , alia quaſi accidentalia , quæ nimirum ad Comitia , in quantum ſunt talia , *non pertinent , ſolent tamen comitari. Antequam autem illa explicemus , nonnulla de tempore & loco Comitiorum erunt præmittenda. TEMPUS quod attinet : olim in Imperio aut Regno Francorum Comitia generalia quotannis fuere celebrata. Memoratu digna ſunt hac de re verba Hincmari Archiepiſcopi Remenſis, Viri ut dignitate ſummi ita rerum Regni Francici ſuo ævo peritiſſimi. Habentur autem illa *Epiſt, 14.c.29.p.29. p. 211 : Conſuetudo*, ait, *tum temporis talis erat. ut non ſæpius ſed bis in anno placita duo tenerentur. Unum quando ordinabantur ſtatus totius Regni ad anni vertentis ſpatium ; quod ordinatum nullus eventus rerum niſi ſumma ne-*

neceſ-

teſſit.us, quæ ſimiliter toti Regno incumbebat, mutabat. Et cap. 30: *Cæterum autem propter dona generaliter danda aliud placitum cum Senioribus tantum & præcipuis conſiliariis habebatur, in quo jam futuri anni ſtatus tractari incipiebatur, ſi forte talia aliqua ſe præmonſtrabant, pro quibus neceſſe erat præmeditando ordinare.* Si quæ interea in republica emergebant, quæ omnium Ordinum conſilio erant expedienda, nec moram patiebantur, extra Ordinem Comitia fuerunt indicta. Vti hoc etiam diu pôſt fuiſſe obſervatum, videre eſt auß dem Königlichem Landfriede zu Wormbs *anno 1495. tit.* Von der überfahrer des friedens enthaltung. Quia verò hujuſmodi negotiorum numerus indies, ut ſolet, creſcebat quondã & conventus annui ingentem vim pecuniæ abſumſere, horum loco aliquam diu Conventus Regimenti nomine inſtitutus eſt. Regimento autem pôſt exſpirante Anno 1512 de novo Comitia introducta ſunt R. A. zu Trier und Cölln *anno 1512* §. *Item* haben wir und die Stände. donec reſtituto â Carolo V Regimento iterum illa tollerentur. Ordnung des Landfriedes zu Wormbs / *anno 1512. tit.* Von des Regiments macht wieder die Friedbrecher. Nihilominus ubi de rebus magni momenti agendum fuit, extra ordinem Status convocare, in more manſit. Quod tamẽ ne juſto ſæpius fieret, in ſequentium Imperatorum Capitulationibus fuit præcautum. Hac autem proviſione an opus fuerit, fortaſſe dubites. Siquidem experientia docuit, ſumma reipublicæ neceſſitate cogente, hoc imprimis ſeculo, Ordinum convocationem ſæpius fuiſſe neglectam. Id quod proinde nonnullorum reprehenſionem incurrit: quam etiam ſuam fecit Hippolitus à Lapide *Diſſert. de Ratione Status part. c. 2. cap 3.*

XXXVII. Hæc verò res, quantum conjicere eſt, cauſam dedit legi Oſnabrugis promulgatæ, quâ cautum, ut toties Ordinem conveniant, quoties id publica utilitas aut neceſſitas

ceſſitas poſtulaverit *Artic. 5.* §. *Gaudeant.* Quamvis autem hâc conſtitutione majorem Comitiorum frequentiam introducere fortaſſe Status Imperii intenderint, reipublicæ tamen ſaluti per illam videatur omni ex parte haut eſſe ſatisfactum. Fieri nempe facilè poteſt, ut, quando Comitia celebranda ſunt, hæc vel illa pars prætendat, nullam utilitatem aut neceſſitatem deliberationis publicæ inſtitutionem ſuadere. Hoc ſanè permovit Deputatorum legatos, cum ante paucos annos Francofurti ad Mœnum Capitulatio Leopoldi I Auguſtiſſimi noſtri Imperatoris (quem Deus nobis diu ſoſpitet) conficeretur, ut hoc monitum Electorum collegio exhibuerint. Daß der zukünfftige Römiſche Käyſer zum wenigſten alle ſechs Jahr/ und ſonſten ſo offt es die Nothdurfft Sicherheit und Ruheſtandt des Reichs erfodert mit wiſſen und willen derer Churfürſten/ einen allgemeinen Reichtag ohne auffſchub und verlengerung ausſchreiben und halten ſolle. Exſtat apud *Auctorem* der Grundfeſte *part.* I. *cap. 3.* Facit huc etiam particula aliqua des Craystags Abſchieds zu Lüneburg / *anno 1652 7. Novembr.* quam refert Limnæus *Tomo Vto Iuris public. in Addit. ad libr. 9. cap. 1. n. 29.*

XXXIIX. Quoniam porrò etiam de LOCO habendorum Comitiorum pauca tradere conſilium eſt, primum veniat in medium antiqua ejus ratio. Notandum videlicet eſt, quod priſci Imperatores noſtri Roncaliis (qui eſt locus amœniſſimus ad Padum ſitus) ſub dio latiſſimis in campis curiam regni Italici olim habuerint. Uti hoc liquet cum aliunde tùm ex aliquot authenticis dictis Codicis, quæ ibi ſunt promulgatæ. *Auth Habita C ne filius pro patre,* ut & ex *Conſtitutione Lotharii quæ extat 2 Feud. 52.* Moris quoque fuit, in urbibus tales conventus inſtitui. Ita ſanè & durante Imperio vetere Romano, Conſtantino III

placuit Arelatum Goldaſt. *Tom.* 3. *Conſt. Imp. p.* 1 Sic & Carolo Magno Moguntia, Friderico III Francofurtum Lehm. *lib.* 5. *Chron. Spir. c.* 78. *p.* 582. Hodie in *A. B. Art.* 28. cautum extat, ut is qui in Regem Romanorum electus eſt, primam ſuam Regalem curiam Norimbergæ habeat. Quia verò ipſemet Carolus hujus ſanctionis auctor illam exceptionem, *niſi legitimum obſtiterit impedimentum*, admiſerit, Imperatores contra illam legem non peccant, qui alibi quàm Norimbergæ primitùs Imperialem curiam celebrant. Et verò notiſſimum eſt, juſtas rationes hactenus plerumque impediviſſe, quo minus ſcripta illa lex obſervari potuerit. Hinc Carolus etiam V, cur Norimbergæ prima non inſtituerit Comitia, non levem cauſam dedit, Dieweil er der ſterblicher Lufft halber den Reichstag zu Nürnberg nicht habe halten wollen / habe er ſolchen gen Wormbs angeſetzet / R. A. zu Wormbs *in pr.* Non leviores facti ſui rationes reddunt Maximilianus Imp. R. A. zu Augſpurg / *anno* 1566. §. Wiewol dann / & Ferdinandus III R. A. zu Regenſpurg / *anno* 1641. §. Damit wir. Extra hunc autem caſum, Imperator quorſum velit Status convocare poteſt, modò locus intra limites Germaniæ ſitus ſit; ceu illud Carolo V præſcriptum legimus in ejus *Capitulat. Artic.* 12. Hujus autem rei ratio facilè dari poteſt, ſi modò perpendamus majores ſumtus requirere itinera ad externa loca quàm ad propinqua in Imperio, nec eſſe ex re ordinum ut à ditionibus ſuis longiùs ſecedant. Imo nec ex dignitate & libertate eſt imperii, uti Conventus Ordinum extra limites ejus in ſolo alieno, nec ſatis liberæ ſententiarum idoneo inſtituantur: præſertim cum in Germania loca quamplurima ad id aptiſſima reperiantur.

XXXIX. Præter hæc porrò illud quoque diſquiſitionem meretur; an electio loci ab Imperatoris arbitrio depen-

dependeat, an Electorum, an utrorumque? Si ea quæ jam dicta ſunt recolamus, cogimur pronunciare, Imperatorem ſimpliciter quidem hic abſolutum non eſſe, ſed adſtringi nominare locum vel ſecundùm legem vel ſecundum commoditatem Imperii. Quod lege ipſius poteſtas limitetur, videre eſt ex *A. B. Artic. 28.* ubi prima Comitia Norimbergæ celebranda conſtitutum eſt. Quod commoditas Imperii non minùs attendi debeat, docet, R. A. zu Wormbs / *anno 1521.* §. Und ſol obgemeldt. Vide Limn. *in Not. ad capit. Caroli V. Artic. 12. p. 195.* Patet vero idipſum etiam ex iis quæ theſi præcedente jam ſunt allata. Hodie, poſtquam Capitulatio Leopoldi I legibus Imperii acceſſit, extra controverſiam eſt, à ſolo Imperatore neque locum ubi Comitia haberi debeant neque tempus determinari poſſe. Ita enim verba Capitulationis habent *Artic. 17.* und ſonderlich keinen Reichstag auſſerhalb des Reichs Teutſcher *nation*, auch ehe und bevor wir darzu umb der ſieben Churfürſten *conſens* und verwilligung durch ſonderbahre ſchikung angehalten / und uns mit denſelben ſo wol der zeit als mahlſtat verglichen / oder ſie von ſelbſten des Reichs anliegen halber uns darum unterthänig angelanget und erinnert / vornehmen oder ausſchreiben.

XL. Cæterum præmiſſa illâ tractatione, proximum fuerit ipſam COMITIORVM FORMAM penitùs conſiderare. Primùm igitur Imperator, habito Electorum conſilio, literis ad ſingulos Ordines miſſis edicit, quis dies & locus Comitiorum futurus ſit. Literis illis Cæſareis redditis Principum & Statuum officium eſt, comparitione ſua Imperatori obſequium, laboranti patriæ auxilium, ſuppreſſis verò conſilium exhibere. Vbi fortaſſe quiſpiam quæ-tat, utrum ſit conducibilius, ſi Principes ipſi adſint, an ſi eorum Legati compareant. Quamvis autem multa per-

ſonalem comparitionem haud injuria improbent, idque cumprimis ut æmulatio Principum, & immenſi ſumptus, quæ noſtri temporis eſt luxuria, evitentur; ſi tamen nihil tale fuerit metuendum, optimè poterit reipublicæ conſuli ipſorummet Principum præſentiâ. Hac enim ratione, non tantùm ſumma deliberationibus auctoritas conciliatur, ſed etiam negotia promtiùs expediuntur. Contra ſi Legatis vices ſuas Principes demandent, plærumque in conſultando lente proceditur, inprimis ſi quæſtiones novæ veniant decidendæ, nunciique abſolutis mandatis non ſint inſtructi. Legati enim tunc animis merito ſunt ſuſpenſis, metuuntque ne quicquam approbant quod à Dominorum voluntate abhorreat. Reinking *de Regim. ſecul. & Eccleſ. lib.*|1. *Claſſ. V. c. 8. n.* 41. Olim in Regno Francorum ipſi Principes advenere, nec ulli licuit abſque juſta & urgenti cauſa legatum ſubſtituere; unde factum eſt, ut non plures quam duo vel tres legati tunc Comitiis interfuerint. Lehmannus *lib. 2, Chron. Spir. c.* 37. Verùm ab hoc laudabili more ſequentibus temporibus, idque iis quas diximus de cauſſis, cumprimis ex quo luxus invaluit, non cum exiguo reipublicæ detrimento fuit receſſum. Hodieque cuilibet Statuum integrum eſt, velitne perſonaliter accedere, an alium vice ſua ablegare. Lamp. *d. tr. part. 3. c. 8. n. 3.* Quin à temporibus Maximiliani Imperatoris, imò jam ante, Ordines hanc poteſtatem ſibi ſumſere, ut neque ipſi comparuerint, nec Legatos miſerint. Quo caſu tamen ea quæ in Comitiis decreta ſunt non aliter obſervare tenentur, ac ſi ipſi præſentes fuiſſent, uti liquet ex R. A. zu Trier und Cölln. *Anni* 1512. §. Es ſolln auch. & ex clauſulis quæ literis Cæſareis quibus ad Comitia vocantur Status annecti ſolent. Talis clauſula extat apud Arumæum *d. tr. c. 5. n.* 41. Quando autem extrema

trema reipublicæ neceſſitas exigit, ut ipſi Ordines præſentes ſint, nil impedit, quo minus Imperator illos ad perſonalem comparitionem ſeriò adhortetur. Ita Ferdinandus Rex Romanorum Anno 1555, tum per literas tùm miſſis internunciis Principes hortatus eſt, ut ipſi ad Comitia venirent, nec rem per Legatos agerent; ſic enim cauſæ magnitudinem poſtulare. Sleid. *de Statu religion. l. 25. p. 766.* Idem confirmare videntur S. A. zu Wormbs *Anni* 1545. §. Und ſeind R. A. zu Augſpurg. *Anni.* 1546. §. Dieweil wir. Si tamen prægnans & juſta cauſa præſentiam & comparitionem perſonalem impediverit, licitè etiam in extrema reipublicæ neceſſitate poterunt ſaltim nonnulli emanere. Neque vel id eſt vehementer noxium, modò legati fuerint undequaque rectè inſtructi, aut cùm plenâ agendi potentia advenerint.

XLI. Quando porrò jam Status vel eorum Legati locum Comitiorum acceſſerunt, nihil prius habere debent, quàm ut prævia mandatorum oblatione ſibi aditum ad Imperatoriam Majeſtatem concedi petant. Cui voto ſi annuatur, ad palatium Cæſareum ſe conferunt, & obſervatis conſuetis ſolennitatibus Imperatori pro benevolâ ad Comitia vocatione gratias agunt, fidemque & mutuum auxilium in futuris deliberationibus promittunt. Legati verò cumprimis tenentur Dominorum ſuorum abſentiæ rationes reddere. R. A. zu Trier und Cölln *1621.* §. Es ſollen auch die Churfürſten, Quod ubi factum eſt, Mareſchallum Imperii Comitem de Papenheim de adventu ſuo certiorem facere debent: quo id quod ſui eſt officii commode præſtare is queat. Incumbit autem illi, ut hoſpitia deſignet ac nomina adſcribat, rei annonariiæ curam habeat, & denique nocturnas vigilum excubias, proſpiciat. Uti tradit Sixtus Sommer, quondam Vicemareſchalli de Papenheim ſubſti-

tutus, in ſingulari ſcripto de officio Vicemareſchalli, quod integrum Carpzovius inſeruit operi *de Leg. Reg. Germ. c. 16. ſect. 6. num. 28.* Adde Rumelinum *ad Aur. Bull. part. 2. Diſſ. 3. th. 14.* Denique illis incumbit, ut nomina ſua apud Cancellariam Electoris Moguntini profiteantur, eidemque mandata ſua, ſeu literas fidei, quas vulgo Credentiales vocant, exhibeant Reinkingk, *de Reg. ſec. & Eccleſ. l. 1. Claſſ. V c. 8. num. 52.* Et quamvis Auctor des berichts / wie es auff Reichsverſambl: gehalt. exiſtimet, quod Civitatum deputati ab exhibitione mandati ſint immunes; aliud tamen uſu nunc obſervari, recte docet Philipus Knischild *Tr. de jurib. & privil. civ. imper. lib. 2. c. 12. num. 126.* Id quod etiam convenit. cum R. A zu Worbs *Anno 1545.* §. Dem allen nach. R. A. zu Regenſpurg *Anno 1546.* §. Dieweil wir aber.

XLII. Atque hactenus de Statuum adventu. Proximum jam erit ut de propoſitione & conſultatione agamus. Jus proponendi ſolus Cæſar habet, nec cum reliquis Statibus idipſum communicat. Quamvis autem in literis evocatoriis certus dies denominetur; quo conſultationum initium fieri debeat, experientia tamen docet, tantas ſæpenumero moras necti, ut Status Imperii vitandorum ſumtuum cauſa fuerint permoti ſerius comparere. Hac autem in re, priſco jamque tunc Taciti ætate ſueto libertatis vitio, cum noſtram rempublicam proceres Imperii valde laborare viderent, nuperrimè conſultatum fuit, qua ratione certum idque breve temporis ſpatium inveniri poſſit, intra quod deliberationum capita Ordinibus proponantur. Hactenus tamen remedio non dedit locum morbus pridem inveteratus. Hinc cum Anno 1654. à Ferdinando III glorioſiſſimæ memoriæ Imperatore Status Imperii Ratisbonam vocarentur, integrum trimeſtre fere præteriit, antequam propoſitio fuerit inſtituta. Hujus rei cauſa quodammodo

modo colligi poteſt ex R. A. *Anni* 1654. § Nach dem ſich aber. Sed luculentiùs apparet ex Auctore der Grundfeſte *art.* 1. *cap.* 1 qui exactis illorum Comitiorum veram rationem diligenter indagavit. Cum verò Cæſareæ Majeſtati materiam Comitiorum exponere placet, ſolet Vicemareſchallo injungi, ut Statibus Imperii & abſentium Legatis horam audiendæ propoſitioni deſtinatam denunciet. Quod ubi ab eo præſtitum eſt, condicto tempore in palatio Imperatoris omnes comparent. Et cum nihil magis Chriſtianos deceat, quàm ut omnia cum invocatione Spiritus S. incipiant, monente Apoſtolo Paulo *ad Coloſſ.* 3. *verſ.* 17. ſub initium quoque deliberationum tam arduarum Status omnes qui præſentes ſunt, unâ cum abſentium legatis, Cæſarem in templum comitantur, ibique pro felici conſiliorum augurio preces ad Deum fundunt. Peractis ſacris Imperator ſolenni pompa cum Electoribus Principibus & Ordinibus in curiam pergit, tumque Cæſar aut ejus Commiſſarius in locum eminentiorem concedit, Electores paulò depreſſiori circumſident. Deinde alia ſubſellia uno gradu Electorum inferiora inveniuntur, in quibus Principes eorumque qui abſunt Legati, ſeſſiones ſuas capiunt. Civitatum vero Imperialium Legati extra limites auguſtiſſimorum horum collegiorum peculiarem locum occupant. Quæ omnia rectè atque ex uſu recepto refert Auctor der Grundfeſte *part.* 2 *cap.* 2.

XLIII. Cæterum hic ſtatim ſeſe plurimæ lites offerunt; quando videlicet non ſine vehementi animorum contentione Principes nonnulli de ſeſſionibus inter ſe controvertunt. Quantum nempe ad Electores, tam Eccleſiaſticos quam Politicos attinet, ſeſſuræ quæſtionem dudum finiit & determinavit *A. B. Art.* 3. & 4. Inter Principes verò quammultos, non omnes tamen, ſuperſunt graviſſimæ diſceptationes.

Negari

cap. 2. & Carpzovium *de leg. Germann. c.* 10. *ſect.* 7 aliasque legere haud erit absque pretio operæ.

XLIV. Quando jam porrò in curiam ventum eſt, omnesque Ordines ſeſſiones ſuas tenent, Imperator per aliquem ex claſſe Principum Statibus gratiam agit pro obſequio præſtito; & ſimul petit, ut illa diligenter percipiant quæ mox propoſiturus ſit, Quo facto Secretarius, aut alius cui hoc à Cæſare eſt demandatum, materiam tractationis jam tum in ſcripturam redactum publicè prælegit. Recitata dein propoſitione ipſemet Cæſar Status hortari ſolet, ut de propoſitis capitibus ſedulò deliberent. Quo peracto Electores, Principes, Ordines & Legati conſurgunt, & paululum collocuti, ut plurimùm per Moguntinum vel ejus Cancellarium, gratias agunt Cæſari pro curâ & affectione paternâ erga Imperium, ſimulque promittunt, ſe nihil in conſultando prætermiſſuros quod ad ſalutem & dignitatem Imperii pertinere viſum fuerit. Ut autem de rebus propoſitis rectiùs deliberare, & ſententias ſuas in medium afferre poſſint, copiam recitatæ propoſitionis ſibi edi eâ quâ decet reverentiâ petunt. Quâ imperatâ, Imperator de throno ſurgit, eodemque quo ingreſſus eſt comitatu ad palatium ſuum revertitur. Tob. Paurmeiſter *Tr. de Jurisdictione. lib.* 2. *cap.* 2. Lehm. *lib.* 7. *Chron. Spir. c.* 124.

XLV. His jam ita peractis, more receptum eſt, ex Cancellariâ Moguntinenſi Vice-Mareſchallo de Papenheim ſchedulam mitti, in qua Ordinibus horam inſtituendis deliberationibus præſtitutam denunciare jubetur. Si Elector Saxoniæ ipſe præſens eſt, hæc ſchedula ipſi exhibetur, à quo deinceps eam ViceMarſchallus accipit. Ille ut officio ſuo eſt perfunctus, Ordines ſtato tempore ad ferenda ſuffragia reverſi iterum in tres claſſes dividuntur.

 Lehm.

rmâ vice ſedet Elector Trevirenſis, ſecundâ Elector Colonienſis. Deinde Elector Bavariæ & Elector Brandenburgenſis ſuccedunt. A ſiniſtro Moguntini latere, poſt unum ex dictis Electoribus Eccleſiaſticis, Elector Saxoniæ & Palatinus conſpiciuntur. Hoc enim ita ab Electorum collegio in Comitiis Ratisbonenſibus Anno 1653. fuit determinatum; uti liquet ex decreto quod refert Speidelius *in Speculo ſub lit. F. pag. 1009.* Eodem autem ordine Legati abſentium ſedere ſolent. Si verò unus vel plures Electores ſint præſentes, cedunt illis remanentium Legati, etiamſi eorum Domini ſi adeſſent illos præcederent: uti apparet ex jam allegato decreto Comitiorum Ratisbonenſium. In votando aut ſententiæ dictione is ordo obſervatur, qui à Carolo IV. in A. B. *Artic.* 4. eſt præſcriptus; nempe ut Elector Moguntinus primò omnium à Trevirenſi votum requirat, deinde etiam à ſequentibus Electoribus. Quod quando factum eſt, Elector Moguntinus à Saxone interrogatus reliquis ſuum quoque votum addit. Gerlac. Buxtorff. *ad A. B. th. 59.* Quod ſi contingat, ut ſemel votis omnium exploratis neque omnes nec quatuor minimùm conſentiant, ſecundâ tertiâ & tot vicibus vota de novo exquiruntur, donec vel omnium vota conſpirent, quod hodie in puncto conceſſionis vel prorogationis vectigalium requiritur, vel majora rem decidant. Vide Auctorem der Grundfeſte/ *part.* 2. *c.* 4.

XLVII. Secundo loco qui eſt Senatus Principium, in duo, ut vocantur, ſcamma dividitur. Eccleſiaſticum die geiſtliche Banck/ & Seculare die weltliche Banck. Olim in Comitiis Regni Francorum Epiſcopi & Prælati à Principibus ſecularibus planè ſeparati fuerunt, non minùs quam hodie in provincialibus conventibus Prælati ab Equeſtri Ordine ſeparatam curiam habent. Lubet in majo-

rem hujus rei lucem adſcribere verba Hincmari *Epiſt 14. c. 35. Seniorum*, inquit ; *ſuſceptacula ſit in duobus diviſa erat , ut primò omnes Epiſcopi , Abbates , vel hujuſmodi honorificentiores Clerici , abſque ulla Laicorum commixtione congregarentur. Similiter Comites vel hujuſmodi principes honorificabiliter à catera multitudine primo mane ſegregarentur. Cum ſeparati à caeteris eſſent , in eorum manebat poteſtate, quando ſimul vel quando ſeparati reſiderent : prout eos cauſa tractandæ qualitas docebat , ſive de ſpiritualibus, ſive de ſecularibus ; ſeu etiam commixtis.* Ex his colligi poteſt , Ordinem ſacrum à Principibus claſſe idcirco fuiſſe diſtinctum , quod plerumque Epiſcopi de negotiis ſacris, Principibus autem cum plebeis de profanis ſeorſim conſultarent , niſi gravitas cauſæ conſiliorum communicationem poſtularet. Poſtquam autem omnem poteſtatem circa religionem Pontifex à Comitiis ad ſuam ditionem pertraxit , Epiſcopi quibus dignitates & opes Principum ſecularium fuerunt conceſſæ , ad Comitia Imperii non amplius ut Epiſcopi ſed ut Principes ſeculares, ratione Ducatuum & Comitatuum, vocati ſunt. Atque ſic unâ curiâ cùm ſecularibus jungi cœperunt.

XLIIX. Ad ſcamnum porro illud ſpirituale pertinent hodiè etiam Archiduces Auſtriæ & Duces Burgundiæ. Quibus nempe ob eximiam præeminentiam , licet ſint Principes ſeculares, locus in hoc ſcammno fuit conceſſus, ſigillatim autem huc pertinent Archiepiſcopi & Epiſcopi qui non ſunt Electores, Abbatum item illi qui præ aliis Principali dignitate ſunt ornati, quos jam ætate Caroli Magni hujus juris participes fuiſſe ſolidè demonſtrat Ampliſſimus Dn. Præſes in *diſſertat. de Germ. Imp. Civibus th. 36.* & denique Magiſtri Ordinis Teutonici. Licet enim militia non ſacrum ſed profanum munus ſit , ideoque multi

juri

juri dubitent, an illi ad Laicos an ad Clericos referendi ſint, quoniam tamen hic ordo initiò propterea inſtitutus eſt, ut non tàm pro patriæ ſalute quàm honore & incremento Eccleſiæ pugnet; quoniam etiam hi Equites inſtituta nonnullorum Ordinum relgioſorum ſequuntur, uſu pridem jam invaluit, ut Eccleſiaſticis magis accenſeantur. Reink. *de Reg. ſecul. & Eccleſiaſt. lib. 3. claſſ. 2. cap. 3. n. 39. & ſeq.*

XLIX. De Archiepiſcopis Auguſtanæ confeſſioni addictis hic repetendum eſt quod ſupra *th.* 14. attigimus, Hi ſcil. aliquamdiu à Comitiis Imperii plane fuerunt excluſi; ſæpius etiam quidem proteſtati ſunt, ſed nihil effecerunt. Tandem per pacificationem Oſnabrugenſem res ita transacta eſt, ut non ſedeat in ſcamno ſpirituali, ſed ſeorſim aliquod ſcamnum medio loco inter Eccleſiaſticum & ſeculare obtineant. Cumque in inſtrumento Pacis illi Archiepiſcopatus in Principatus ſeculares ſint commutati, ſi excipias Archiepiſcopatum Magdeburgenſem (qui tamen poſt Reverendiſſ. Adminiſtratorem Dn. Auguſtum Ducem Saxoniæ pro Ducatu habebitur, *Inſtr. Pac. Artic.* 11 §, *Similiter*) Epiſcopatum Lübecenſem & Epiſcopatum Oſnabrugenſem alternative, *Inſtr. Pac. Artic.* 13. hinc factum eſt, ut poſſeſſores horum Archiepiſcopatuum & Epiſcopatuum jam ſedeant in ſcamno Principum ſecularium. In ſcamno autẽ intermedio fuerunt hactenus ſuffragia Archiepiſcopus Magdeburgenſis, Epiſcopus Lübecenſis & in hodiernis Comitiis Epiſcopus Oſnabrugenſis. Uti colligitur ex *Diar. Europ. part. 10. p. 33.* Ad ſcamnum denique ſeculare pertinent omnes Imperii Principes, Comites, & Barones.

L. Cæterùm in hoc Senatu Vice-Mareſchallus vi officii ſui vota colligit. Sunt autem illa valde inæqualia. Etenim Principes Eccleſiaſtici ac ſeculares, Prælati item dignitate Principali coruſcantes, & Magiſtri Ordinis Teutonici, vi-

ritim ſuffragia ferunt: Prælati autem non adſcripti Principibus non viritum ſed curiatim ſententias dicunt & hodie duo ſcamna conſtituunt. Unum eſt Svevicorum der Schwäbiſchen/ alterum Rhenanorum der Rheiniſchen Abte. Olim enim quidem Prælatus duo ſcamna habuiſſe, teſtatur Lehmannus *l. 7. Chron. Spirens. c. 120*, ſed illud ab uſu poſtea receſſit, licetque obſervare in multis Comitiis Prælatos unam duntaxat votum dediſſe. Wehner. in *Obſerv pract. verb.* Reichstag. Tandem verò in Comitiis Ratisbonenſibus Anno 1641, iterum illis fuit conceſſum, ut impoſterum in Senatu Principum Eccleſiaſticorum duo ſuffragia ferant. Limn. *Tom. V. Iur. publ. in Addit. ad lib 9. c. 1. n. 143.* Comitibus & Baronibus olim quidem duo tantùm vota competierunt, eòque in duas tribus die Wetterawiſche und Schwäbiſche Banck diviſi fuerunt. Jacob. Lambad. *d. l.* §. *10.* Sed pòſt in Comitiis Anno 1641. Comitibus Franconiæ peculiare votum conceſſum, uti conſtat ex decreto Cæſareo, quod recitat Limnæus *Tom. V. Iur publ. l. n. 143.* Quibus deinde in Comitiis Anni 1654. acceſſit nova Comitum Weſtphaliæ & inferioris Saxoniæ curia; atque ita hodie quatuor Comitum ſcamna numerantur: Svevicorum, Wetteravicorum, Francorum & Weſtphalorum, quæ alternatim vota ſua ad claſſem Principum ſecularium transferunt. Cur autem Weſtphalicæ & inferioris Saxoniæ Comites peculiare votum petierint, videre eſt apud Limnæum *Tom. V. Iur. publ. d. l. & cap. n. 143.*

LI. Hujus porrò Principum claſſis directorium olim ſolus Archiepiſcopus Salisburgenſis exercuit: poſtquam autem inter Archiepiſcopum Magdeburgenſem & Salisburgenſem, inter hunc item & Archiduces Auſtriæ lites de præcedentia motæ ſunt, tempore Caroli V inter Archiduces Auſtriæ & Salisburgenſem alternatio cæpit obtinere, quæ adhuc durat.

rat. Lehm. *lib. 7 Chron Spir. cap 124* Sic igitur Auſtriacus uno die primam ſeſſionem, Salisburgenſis altero die eandem tenere ſolet, & qui primum inter illos tenet locum jus ſimul dirigendi habet. Interim Archiducis partes in omnibus primæ ſunt, magnâque is utitur poteſtate quando directorium adminiſtrat. Hinc Salisburgenſes aliquando conqueſti ſunt, ſibi æquari Archiducem Auſtriæ, cum dirigendi facultatem precariò tantùm, ut quidem illi animo ægro tunc dixere, acceperit. Vide Auctor. der Grundfeſte/ *part. 2. c. 5.*

LII. Tertius poſtremò Senatus eſt Civitatum Imperialium der Freyen Reichs Stádte. Quo tempore autem illæ jus Comitiorum acceperint ex hiſtoriarum monumentis firmiter colligi vix poteſt. Chriſtophorus Lehmannus *lib. 4. Chron. Spir. c. 3.* probare conatur, jam ſeculo XI nonnullas civitates ejus auctoritatis ac dignitatis fuiſſe, ut Cæſares illas, non minus ac reliquos Imperii cives, ad Comitia vocaverint. Et ſanè jam tempore Friderici I Imperatoris conſules civitatum Italiæ publicis regni Comitiis interfuiſſe, docemur ex decretis Comitiorum ab eodem Imperatore ad Roncalias habitorum, quæ poſſunt videri apud Goldaſt. *Tom. 2. Conſt. Imper. p. 335.* Idem comprobat juramentum ejuſdem Friderici I Statibus Imperij præſtitum, quod ita habet: *In Chriſti nomine juro, non ſolum Principum ſed civitatum conſilio negotia confœderationes & collegia univerſitatis tractanda eſſe.* Verùm hæc teſtimonia manifeſtô de urbibus Italiæ loquuntur, quas jam dudum ad conventus Regni Italici vocatas fuiſſe certum eſt: Vrbes autem Germanicæ iſthâc ætate longè inferiori conditione fuerunt, ut optime docet idem Lehmannus *eodem capite.* Decimo quarto autem à nato Servatore ſeculo ad Comitia fuerunt Vrbes omnino admiſſæ, earumque conſenſus ad

conſti-

conſtituendum certum Imperii decretum cœpit implorari. Hinc in Caroli IV *A B. in fin. pr.* cæteris Imperii Statibus Vrbes annumerantur. Vide Ampliſſimi Dn. Præſidis *Diſſert. de Civibus Imperii th. 53.* Imo vero jam tum Friderico I Imperante, etiam Germaniæ nobiliſſimas quasdam urbes Comitiis interfuiſſe liquet ex iis, quæ narrat Radevicus & hunc ſecutus canit Guntherus.

LIII. An autem ab hoc uſque tempore Civitatibus Imperialibus ſemper votum deciſivum competierit, de eo non leves controverſiæ inter doctores fuerunt aliquamdiu agitatæ. Peucerus ſanè ſequutus, quantam videtur, Seldii ſententias, 5 *Chronic.* negavit illis decernendi facultatem, tantùmque jus in medium conſulendi reliquit. Contra Wehnerus cæcutire judicavit, qui de jure ſuffragii civitatum dubitant. Eandem ſententiam amplectantur Bruning : *de var univerſ ſpecieb. concl. 18.* Cluten. *Syllogererum quotidian. concl. 27. lit. C.* Ludov. Gremp. & Hieronymus zum Lamb *in conſil.* der Ehrbahren Frey und Reichs Städten *Seſſion* Standt und Stimme belangend/Knipſchild *de privil. civ. Imperial. lib. 2. cap. 2.* ut & conſultiſſ. Lampadius. Seculo decimoquinto cum de bello Huſſitico ageretur, civitatibns Imperialibus Sigiſmundus ſummopere favit : quod ſatis declarant verba ejuſdem Imperatoris *in Reformat. Eccleſ. de anno 1426.* ❧, 3. Und ihr wirdige Reichs Städte / ſo man alle Welt rechnet ſo ſeydt ihr doch Gleider die an dem Reich etc. Hoc tempore igitur quidem habuerunt Vrbes ſuffragii ferendi poteſtatem in Comitiis : ſed paulatim cœpit minui, donec plane illis fuit jus iſtud negatum. Cum primis ſanè temporibus Caroli V hac de re inter Principes & civitates acerrimè diſceptatum fuit : unde Imperator permotus eſt, illam controverſiam ad Cameram exactius diſceptandam rejicere. Lamp. *d. tr. part. 3. cap. 5. n.*

n 11. Hodie hæc res jure minoris eſt dubii, poſtquam pacificatio inter imperium & coronam Sueciæ facta eſt, Per illam nimirum fuit conſtitutum, ut votum deciſivum, tàm in univerſalibus quàm particularibus dietis, liberis Imperii civitatibus non minùs ac cæteris Statibus competat, ſicut ſonant verba *Inſtrumenti Pacis Artic. 8. §. tam. in Univerſalibus.* Voluerunt quidem Vrbes hæc etiam verba Inſtrumento illi pacis inſeri: *Quin & civitatibus Imperialibus tàm in univerſalibus quàm particularibus Imperii conventibus competens votum deciſivum, iidem citra controverſiam ulteriùs maneat & relinquatur, adeoque re & correlationes trium collegiorum unico dehinc actu ſimultaneè expediantur.* Sed reliqui Ordines ad id non potuerunt adduci: quamobrem illa verba manſere, quæ adhuc in *d. Art.* extant Vide Auctorem Der Grundfeſt / *p. 2. cap. 6.* Sed ne ſic quidem controverſiæ nunc ceſſant. In proximis enim Comitiis rurſus à parte Vrbium fuit petitum, ut & ipſæ ad relationes & correlationes admitterentur, uti liquet ex ſcripto quod duobus ſuperioribus collegiis tum temporis obtulerunt; ſed à Principum parte aculeato ſcripto Vrbium poſtulatum exceptum eſt: ſatis videlicet eſſe, ſi Civitates juris decidendi, exceptâ re & correferendi poteſtate, ſint participes. Bina illa ſcripta extant cùm alibi tùm etiam apud Auctorem der Grundfeſte *p. 2. cap. 6.* Qua ratione igitur Vrbibus Imperialibus votum deciſivum competat, parùm adhuc eſt exploratum.

LIV. Civitates nihilominus Imperiales hodie in duo ſcamna dividuntur, in die Rheiniſche und Schwäbiſche Banck. Illud occupant civitates ad Rhenum, Lybeca, nec non Wetteravicæ, Aſſatiæ in Landvogteia Hagenoënſi, Saxonicæ præterea & Thuringicæ. In hoc reſident Sveviçæ & Franconicæ civitates *Knipſchild. de priv. civ. Imp.*

d. c. n. 130. Directorium regulariter eſt penes illam civitatem in qua Comitia celebrantur; hæc nempe peculiari menſæ aſſidet, & alternatim Civitatum legatos interpellat. Quod dum fit, ſtatim cum civitatis Vlmenſis & Spirenſis Regiſtratoribus, quorum hic nomine Civitatum Rhenenſium ille nomine Svevicarum accedere ſolet, vota in protocollum referuntur: ex iisque commune ſuffragium conficitur. *Lehman. lib. 8. Chron. Spir. cap. 124.*

LV. Cum verò ſæpiùs dictum ſit, in ſingulis claſſibus ſecundùm majoritatem votorum concludi, forſan ex re fuerit, ſi de jure majoris numeri nonnulla afferamus. Tantæ autem hoc jus eſt dignitatis, tantæ utilitatis, ut illius ſententia non omni careat fundamento, qui exiſtimaverit, absq; eo ullam ſocietatem ſcopum ſibi propoſitum difficile obtinere poſſe. Ea nimirum eſt tam intellectus quam voluntatis humanæ imbecillitas, ut nulla concors deciſio in collegio aliquo unquam ſperari poſſit, niſi parte majore minor vincatur, *l. 17. §. 6. ff. de Recept. qui arbitr.* Hugo Grot. *de jue B. & P. l. 2 cap. 5. n.* 17. Quâ de causâ in Comitiis Imperii expreſſis legibus fuit cautum, ut diſcrepantibus in uno vel altero puncto vocis ad pluralitatem reſpectus habeatur. R. A. zu Trier und Cölln/ *Anno 1512.* §. Es ſollen auch die Churfürſten. R. A. zu Wormbs/ *Anno* 1521. §. Würde ſich. Accidit tamen quandoque, ut hæc regula locum habere non poſſit. In Imperio utique noſtro, lege publica exceptæ ſunt quædam cauſæ, de quibus ſic *Inſtrum. Pac. Artic. V* §. 19. *In cauſis Religionis, omnibus que aliis negotiis, ubi Status tanquam unum corpus conſiderari nequeunt, ut etiam Catholicis & Auguſtanæ confesſionis Statibus in duas partes euntibus, ſola amicabilis compoſitio lites dirimat, attenta votorum pluralitate.* Hujus autem legis ſumma æquitas vel ex eo clareſcit,

ſcit, quod numerus major tantummodo locum habere poſſit in negotiis ſocietatis, & illis quæ ab arbitrio humano dependent; à quo cenſu cum plane diverſa ſit ſaltim religionis ratio, mirum non eſt à regula majoris numeri cauſas religionis excludi. Sicuti nimirum omne gratiæ divinæ negotium nemini hominum in mentem venire poteſt, niſi Deo gratioſum hoc ſuum arbitrium revelante, ita nec de religioſo cultu, qui huic debetur, quicquam ſocietas humana poteſt conſtituere, & per conſequens nec major ejus numerus, ſi quis forte fuerit.

LVI. Porro autem in Conventu Osnabrugis habito fuit etiam quæſitum, an in contributionum materia attendi debeat majoritas votorum. Cum verò res illa non niſi acerrimis contentionibus tum involveretur, *d. Artic.* ita cautum fuit: *Quod verò ad pluralitatem votorum in materia collectarum attinet, cum res hæc in præſenti congreſſu decidi non potuerit, ad proxima Comitia remiſſa eſto.* Illis igitur Comitiis quidem hæc magni momenti quæſtio ſummo ſtudio ventilata fuit, ſed indeciſa remanſit. *Auctor* der Grundfeſte / *p. 3. cap. 7.* Senatui ſcilicet Electorum quodammodo placuit majoritas votorum in materia collectarum. Idem etiam in Senatu Principum à Catholicis fuit admiſſum. Sed Civitates planè in contrariâ ſententiâ fuerunt ob rationes quas adducit Limnæus *Tom. V. Iur. publ. l. 9. c. 1. n 182.* In Senatu porro Principum ab Evangelicis diſtinguendum eſſe arbitratum fuit, inter collegas voluntatis & neceſſarias. Hæc autem diſtinctio quamvis ab aliis plane rejecta ſit, quod tamen illa non omni careat fundamento ex ſequentibus haud obſcurè fortaſſis apparebit. Collectæ nempe regulariter ſunt quodammodo contra primam intentionem rerumpublicarum, nec ullus civis rerum ſuarum do-

minio ſeſe ita abdicat, ut vel Magiſtratui vel ſuo conſcivi in illis quicquam pro libitu diſponere liceat. Propterea nempe aliquis hujus vel illius reipublicæ civis eſſe ſolet, ut bona quæ poſſidet ſalva habeant, nec in illorum fruitione à quoquam impediatur. Vnico duntaxat caſu hæc regula exceptionem patitur, ſi nempe reipublicæ defenſio efflagitet, ut de ſuo etiam aliquid illuc quiſq; civium impendat. Tum nempe danda eſt opera, ut omnes intelligant, ſi ſalvi eſſe velint neceſſitati eſſe parendum. *Cic. 2. Offic. Gail. 1. Obſ. 17. & 2. Obſ. 52 & 53.* Quæ neceſſitas cum Imperii etiam Conſtitutionibus, & cum primis in Receſſu Executionis definita ſit, in libero hujus vel illius Ordinis arbitrio non eſt poſitum, num velit, tali caſu emergente, reipublicæ ſuccurrere, nec ne: ſed ad hoc quaſi naturaliter unusquiſque eſt obligatus. Quod ſi alia reipublicæ neceſſitas immmineat, etiamſi in Conſtitutionibus Imperii illa non ſit expreſſa tamen ſi ſit liquida clare & nullâ ratione dubia, civem ad id exſolvendum itidem compellit, absque quo reſpublica ſalva eſſe nequit. His itaque in caſibus, quin majoritas votorum locum habeat, non eſt quod nos quidem dubitemus. Non quidem amittunt refragantes libertatem voti ſui, ſed ideo vincuntur à reliquiis civium votis & ſuffragiis, quia ſumma reipublicæ neceſſitas tributum iſtud poſtulat, ad cujus ſolutionem ſeſe omnes cives eo ipſo obſtrinxerunt, quo in rempublicam illam cum reliquis civibus coiverunt, aut leges ejusdem agnoverunt. Quando vero aut nulla reipublicæ neceſſitas adeſt, aut illa valde eſt dubia, aut quando collectæ non in neceſſitatem reipublicæ ſed tantùm in neceſſitatem aut utilitatem petentis indicuntur, liberrimo cujuscunque Status arbitrio relinquitur, velitne aliquid erogare vel non. Talis ergo controverſia ſi in Imperio oriatur, non numero ſuffragiorum,

giorum, ſed amicabili compoſitione decidenda illa eſt. Per pluralitatem enim votorum nulli jus quæſitum auferri poteſt. *Waremund. ab Ehrenberg de ſubſid. & oner. ſubdit. c. 5. num 53: Zachar. Victor de cauſis exempt. Imperii concl. 5. Beſold de Aerario cap. 4. n. 2.*

LVII. Sed revertamur in viam. Poſtquam igitur unius vel alterius negotii concluſio in Statuum conſiliis ſecuta eſt, ſolent demum illæ quæ appellantur relationes & correlationes inſtitui. Hac fini ergo Electores, ut plurimùm eo in loco ubi propoſitio fieri ſolet, conveniunt, & Principum collegio per Cancellarium Electoris Moguntini ſententiam ſuam aperiunt. Finitâ autem relatione Directores Senatus Principum correlationem inſtituunt. Si in relatione & correlatione diſcrepantes ſententiæ inveniantur, utraque claſſis in peculiarem locum concedit, & ulteriùs de materia controverſa deliberat. Poſt hanc deliberationem iterum convenitur & à Directoria ſententia Principum Electorali Collegio refertur: hocque rurſus illi ſuam ſententiam exponit: idque tam diu fit, donec vel commune concluſum eliciatur, aut manifeſtò appareat hæc duo collegia nullâ ratione conciliari poſſe. Vtroque caſu Civitates Imperiales per Secretarium Cancellariæ Moguntinenſis ad commune buleuterium vocantur, ibique illa in quibus Electores & Principes conſentiunt vel diſſentiunt, exponantur; ſimulque petitur ut & ipſi ſuam mentem de hoc vel illo puncto aperiant, Huic admonitioni illæ morem gerentes, per Directorii Syndicum ſuam ſententiam explicari curant. Hoc quando factum eſt, ſtatim fit manifeſtum, an duobus ſuperioribus Collegiis Vrbes adſtipulentur, an verò diverſam ab illis opinionem amplectantur. Hæc Statuum ſive concors ſive diſcors ſen-

tentia per certos Deputatos Cæſareæ Majeſtati refertur. Ita tradunt Lehmannus *l. 7. Chron. Spier c. 124.* Limnæus *Tom. 3. Jur. publ l. 9. c. 1. num 166.* De Deputatis vide Auctorem der Grundfeſte *p. 2. c. 6.* ubi lites circa hoc negotium proxime agitatas diligenter exponit.

LIIX. Hoc porro commune Ordinum conſultum ſi Cæſari placet, fit decretum: ſin minus, hinc & inde replicatur, duplicatur, adductis ſententiam rationibus, donec altera pars alteri conſentiat. Si verò Cæſaris & Ordinum ſententiæ hac ratione non poſſint componi, nonnulli quidem exiſtimant, Imperatoris ſententiam prævalere oportere, eamqne Ordinibus legem conſtituere: Alii plani adverſi, non obſtante Cæſaris arbitrio, Statuum concluſionem ſortiri vim Comitialis decreti arbitrantur. Sed quoniam utrumque regiminis publici formæ adverſatur, neutrum videtur admittendum eſſe. Eòque fortaſſis approbanda fuerit Lampadij opinio. Ille enim *Tract. de rep Rom. Germ. part. 3. c 8. num 7* ita diſſerit. *Si convenire nequiverint, neque Cæſar ex plenitudine uti dicunt poteſtatis quicquam poteſt ſtatuere, neque Ordinum ſententia legis habet vigorem,*

LIX. Poſtquam verò omnia negotia quæ Cæſarea propoſitio continuit jam ſunt deciſa, Electoris Moguntini Directorio incumbit, ut omnes concluſiones, quas quidem publice ſcire intereſt, in formam alicujus Receſſus redigat. Hoc deinde Deputatis ex univerſo Senatu hunc in finem prælegitur, ut cognoſcant, in illa, quæ à Cancellariâ Moguntinenſi literis conſignata ſunt, omnium votis exactè reſpondeant. Huic autem actui hodie longe plures Deputati intereſſe ſolent ac olim fuit factum, uti hoc Auctor der Grundfeſte ex Actis Comitiorum Ratisbonenſium Anni 16 4 probat. Ex illa denique formulâ jam verus Imperii Receſſus conficitur, ejuſdem duo exemplaria pergameno in-

no inſcribuntur: quibus eo ordine ac modo Imperator & Status nomina & ſigilla apponunt, quà Lehmanno *l. 7. Chron Spir. c. 124.* & jam dicto Auctore deſcribitur. Vt Comitiale porro decretum in viridi ſit obſervantia, omneſque Ordines plenam illius habeant ſcientiam, jubet Imperator omnes denuo comparare; quo facto per Cancellarium Moguntinum Receſſus prælegitur, omneſque ad debitam legibus Imperii obſervantiam præſtandam ſedulo monentur. Deinde unum Receſſus autographum in des Reichshoff Cantzley / alterum in des Reichs-Cantzley apud Moguntinum deponitur, illiuſque tandem copia ſive exemplar Cameræ tranſmittitur, ut ſecundum eam proceſſus diregintur ac cauſæ litigantium decernantur. *Beſold. in Theſauro pract. verb.* Reichsabſchiedt.

LX. Et ſic etiam ad cauſam formalem quæ pertinent, expoſita ſunt. Tranſeamus nunc tandem ad CAVSAM FINALEM. Quemadmodum autem finis alius eſt remotus ſeu univerſalis, ad quem vel omnia vel multa quæ ad commune aliquod negotium faciunt, collimant, alius proximus ſeu particularis, qui plerumque univerſalem illum pro ſcopo habent, docente Ampliſſimo Dn. Præſide *cap. X. libr. de civ. prudentia*, duplicem etiam Comitiorum eſſe finem arbitramur: 1. exactam illorum deciſionem, quorum cauſa Ordines fuerunt convocati, atque hæc conſtituit finem proximum. 2. Salutem civium, ſeu, ut Græci loquuntur, εὐδαιμονίαν, ad quam ceu finem ultimum omnis deliberatio debet collimare, & efficere ut ſalim plerisque civibus bene ſit, vitamq; illi poſſint traducere in rerum ſufficientia & virtutum exercitio. Cumque duo ſint rerum civilium momenta, bellum & pax: *dividitur enim omnis vita in negotium & otium, & bellum & pacem* docente Philoſo-

loſopho *lib. 7. Pol. cap. 14. & proœm. Inſtit.* Status Imperii id ſimul curare debent, ut utrumque tempus ad communem tam imperantium quam parentium utilitatem rectè poſſit gubernari. Sicuti hoc etiam obſervantum fuiſſe, Receſſus Imperii debitâ diligentiâ evolventibus manifeſtò apparet.

LXI. ATQVE hactenus quidem præcipua quæ de Comitiis Vniverſalibus afferri potuerunt perſecuti ſumus, idque ita ut jam nihil ſupereſſe videatur, quod nos ulterius in illo quidem argumento detinere queat. Ideoque tandem in hac tractatione pedem figere licet. Quoniam verò ſuprâ Comitia in Vniverſalia & Particularia diſpeſcuimus, placet pauca etiam de hiſce poſtremis in medium afferre. Sunt autem PARTICVLARIA COMITIA, quando duntaxat pars Statuum conveniunt. *Lampad. d. l. n. 15.* Hæc verò etiam Comitia antiquiſſimis olim temporibus in uſu fuiſſe, teſtatur Hincmarus *Epiſt. 14. c. 29.* Guntherus *in Ligurino. lib. 8* ita canit:

> *Ergo ſacros tantum Patres Juriſq; peritos,*
> *Et de Primoribus paucos, quibus ipſe timorem*
> *Norat ineſſe Dei, tacitis Fridericus adaptans*
> *Colloquiis.*

Inter conventus autem particulares hodiè primum locum ſibi vendicant illi DEPVTATORVM qui appellantur. Qui ſunt duplicis generis. Alii enim in ipſis Comitiis ad negotia quæ ibi ſub manibus ſunt tractanda inſtituuntur; de quibus agit Auctor der Grundfeſte *part 2. c. 7.* Alii extra Comitia univerſalia indicuntur, qui ſtrictè Conventus Deputatorum *Deputation* Tage appellantur. Hi autem Deputatorum conventus decreto Auguſtano Anni 1555 eam ob cauſam inſtituti ſunt, ut motus graviores, quibus compeſcendis Circulorum vires non ſunt pares, in

illis

illis componerentur; Deinde ut illa negotia, quæ iit Comitiis univerſalibus explicari non potuerunt, à Cæſare & Ordinibus delectis illis expedirentur. R. A. zu Regenſpurg *Anno 1594.* §. Als wir den. Vt porrò hoc eo melius fieret, in aliquot Comitiis hæc cura certis Statibus demandata fuit, quos omnes nominat Beſoldus *in Theſaur. pract. ſub lit: D. n. 11.*

LXII. Cæterum hic numerus tamdiu placuit, donec inter Cæſarem alioſque & Regnum Sueciæ pax iniretur. Num enim ita fuit ſancitum. *In conventibus Deputatorum Imperii ordinarius numerus ex utriuſque religionis proceribus æquietur. De perſonis autem vel Statibus Imperii adjungendis, in Comitiis proximus ſtatuatur. Artic. V. § 18* Huic conſtitutioni enim illis in proximis Comitiis fuit aliqua ratione ſatisfactum, uti apparet ex R. A. zu Regenſpurg. §. Und dieweil. Sed nihilominus multæ difficultates manſere. Cum enim in dicto §. familiæ Altenburgenſis & Culmbacenſis ſpecialis mentio facta eſſet, domus Vinarienſis & Onolsbacenſis plus eſſe in Receſſu quàm fuiſſet in deliberationibus præmiſſis dixerunt, ſeque injuriâ ab Ordine Deputatorum excludi conqueſtæ ſunt. Id quod Acta Conventûs Deputatorum nuper Francofurti habiti plus ſatis Demonſtrant. *Auctor* der Grundfeſte *part. 3. c. 6.* Deinde Ordines A. C. addicti non ſolum paritatem in Collegio Electorali, ſed etiam conjunctionem ejusdem Collegii cum reliquis acriter urſerunt. Prius quod attinet, ita res fuit deciſa, ut in proximo conventu francofurtenſi tres Electores Proteſtantes alternatim quarto voto gauderent; ſed addit hac cautione ne in ullis Deputatorum Conventibus aut comitiis Electoralibus occaſione hujus transactionis ullum jus à Proteſtantibus prætenderetur;

uti hoc expreſſa Receſſus verba innuunt §. den zweyten Punct unſer Käyſerlichen *propoſition*. Poſteriorem controverſiam quod refert, etſi ſuper ea agitanda multum temporis perierit, tamen hactenus nondum ea fuit deciſa. Cui volupe eſt utriusque partis rationes pernoſcere, inſpiciat & perpendat reſponſum Collegii Electoralis ad Proteſtantium argumenta. Exſtat illud apud Limneum *Tom. V. Iur publ. in Addit. ad libr. 9. c. 1. n. 239.* Quò præterea ordine in his Conventibus omnia peragi ſoleant, cognoſci poteſt ex Speidelio *Spec. verb. Deputations* Tag.

LXIII. Inter Comitia particularia, ad quæ celebranda ex omnibus Ordinibus nonnulli ſeliguntur, haut immeritò denique referuntur VISITATORUM CAMERÆ, *Viſitations* Tâge. Hi Conventus conſtat ex delegatis Cæſaris & Ordinum, qui Spiram mittuntur, ut Cameram Imperialem inſpiciant corrigant ac reforment. *Ord. Cam. part. 2. Tit. 50.* in quâ viſitandi certa ratio ſelectis Statuum præſcribitur. Vide Denaiſum *in Ius Camer. verb. Viſitatio* § *322.* Leonhard Beckman *Diſſ. ad Ordin. Cam. th. 22. & ſeq.* Cumque hi Viſitatores ad cognoſcendas Cameræ corruptelas ſint conſtituti, ſolent quoque Reviſorum vice fungi, ſi reviſio actorum petita fuerit *Ord cam. p. 3. Tit 53.* Duravit hæc Cameræ viſitatio ſummo reipublicæ bono per multos annos: facilè enim fieri poteſt, ut illa etiam quæ ſunt optime inſtituta corrumpantur niſi ſedula inquiſitio accedat, & ſint quos Græci olim appellaverunt νομοφύλακας. Sed poſtquam Anno 1588 viſitandi Ordo Archiepiſcopum Magdeburgenſem tetigiſſet, qui tum erat Joachimus Erneſtus Marchio Brandenburgenſis Proteſtantium ſacris deditus, Catholici Status prætextu des geiſtlichen Vorbehalts & à voto ſeſſioneque in Comitiis & ab hoc munere illum

illum excluſerunt. Vnde factum eſt, ut Reviſiones & Viſitationes non fuerint aliquamdiu juſto tempore inſtitutæ. Myllerus *in Add. ad diſſ. A. B.* Martin, Rumelinus *part. 2, diſſ. 2. theſ. 20. lit A.* Huic autem malo tandem obviam itum eſt per Inſtrumentum Pacis. In quo nimirum omnes Archiepiſcopi & Epiſcopi A. C addicti non tantùm ad Comitia univerſalia, ſed etiam ad Conventus Deputatorum & Viſitatorum rurſus ſunt admiſſi *Art. 5. §. 6.* Deinde in proximis Comitiis ſatis accuratus modus viſitandi Cameram fuit inſtitutus R. A. zu Regenſpurg. *Anni 1654* §. Wie nun die überhäufften *reviſiones.* Quinam vero Status hodie Viſitatum Conventibus intereſſe debeant, ex ſchemate Receſſui eidem in calce adjecto cognoſci poteſt.

LXIV. Atque ita etiam egimus de Comitiis illis particularibus, ad quæ ex omnibus Ordinibus ſelecti quidam vocantur: ſequuntur jam Comitia illa, AD QVÆ CERTÆ CLASSIS ORDINES tantummodo congregantur. Ejusmodi verò ſunt conventus Electorum. Qui duorum ſunt generum: alii nimirum pro eligendo Rege vel Imperatore Romanorum celebrantur, & vulgò Wahltäge appellantur: quibus certa forma à Carolo IV in *A. B. Artic. 4.* eſt præſcripta. Vide & Onuphrium Pamvinium *in peculiari libro de Comitiis Imperatoriis.* Rumelinum *ad A. B. part. 1. diſſ. 3.* Lampadium *d. tr. part. 3 c 2,* alios: qui omnia quæ huc ſpectant exactè pertractarunt. Alii diverſi Conventus Electorales pro ſalute & incolumitate Imperii haberi ſolent, & vulgò Churfürſten oder *Collegial* Täge nominantur. *A B. Artic. 12* In hiſce autem Electorum Conventibus ardua & graviſſima Imperii negotia tractari, conſtat ex fraterna Ele-

ctorum unione, cujus mentionem fecit Goldaſtus in Politiſchen Reichshändeln *part. 8. c. 3.* Sunt autem & illa duplicis generis, alia primariò concernunt Electores ipſorumque jura, alia Imperium ipſum. Illa cum primis in conventibus Electorum expediuntur, hæc non indiſtinctim. Sunt enim pleraque negotia, quæ Imperii ſtatum concernunt ita comparata, ut in illis nihil quicquam absque omnium Ordinum conſenſu ſtatui poſſit. De his igitur non niſi præconſultationes ab Electoribus inſtitui poſſunt. Hac ſane de cauſa cum in Conventu Fuldenſi de ejusmodi negotiis ageretur, Electoris Saxoniæ legati ita ſenſerunt: Wie dem Ungariſchen Weſen Niederladt und Juſtitz zu helffen / gehöre nicht vor Churfürſten allein/ ſondern vor das gantze Reich / weil von ſelben ſchon auff gemeinen Reichsverſamlungen *conſultirt* worden / und Abſchiedt gefolget / und betreffen nicht allein die Churfürſten / ſondern auch andere Stände ꝛc. Lundorpius *Tom. 2. Actor: publ. libr. 2. tr. 5. p. 536.*

LXV. Hi Conventus autem Electorales non omni ex parte (ceu quidam putant) Imperii publicæ formæ ſunt contrarii. Cum enim Electores in Imperio haut leve præ reliquis eminentiâ ſint conſpicui, non incommodè ab illis ſaltim præconſultationes de ijs rebus inſtituuntur, de quibus poſtea in Comitiis univerſalibus reliqui Ordines ſuo arbitrio ſtatuunt. Vt hujus rei fundamentum pleniùs appareat, audiamus etiam Ariſtotelem *l. 4. Pol. c. 15.* ita loquentem. *Hic quadrat magnos magiſtratus, hic autem eſſe parvos eoſdem. Nec tamen non proprii etiam quidam ſunt; ceu præconſultatorum.* Hic *enim magiſtratus non eſt popularis: Conſilium autem populare eſt. Oportet enim eſſe quiddam hujuſcemodi, cui curæ ſit conſultare ante populum, ut ſolutus ſit illa cura.*

Hoc

Hoc autem, ſi pauci fuerint numero, dominatui paucorum accommodatum eſt: præconſultores autem paucos eſſe multitudini neceſſum eſt: Tales vero præconſultationes jam olim in veteri omni Germanicarum gentium republica obtinuiſſe, Tacitus teſtatus eſt *libro de Moribus Germanorum.* Florente etiam Regno Francorum nihil ad generale concilium fuit delatum, priuſquam nonnulli ex Principium & primorum ordine πρεσβυλίας ἕνεκα conveniſſent Habemus hujus rei omni exceptione majorem teſtem Hincmarum, qui *d. cap. 30* ita diſſerit. *Cæterum propter dona generaliter danda, aliud placitum cum Senioribus tantùm & præcipuis conſiliariis habebatur: in quo jam futuri anni Status tractari incipiebatur: ſi forte talia aliqua ſe præmonſtrabant, pro quibus neceſſe erat præmeditando ordinare, ſi quid mox transacto anno priore incumberet, pro quo anticipando aliquid ſtatuere aut providere neceſſitas eſſet.* Idem etiamnum in republica Veneta obſervare licet. Ibi enim de magnis etiam negotiis ſolent præconſultationes inſtitui in Prægadino vel Collegio Decemvirorum, antequam illæ ad univerſale Collegium referantur, notante Ampliſſ. Dn. Præſide *in deſcript. Rerumpubl. univerſi orbis.* Electoralium porrò conventuum non profectò eſt exigua utilitas: ſed an Electores interdum commiſſæ ſibi poteſtatis limites excedant nec ne, non eſt meum, multò minus hujus loci, definire, Videatur tamen Hippolytus à Lapide *diſſ. de Ration. Status part. 2. c. 5. ſect 4.* Vltimus autem talis Conventus Anno CIƆ IƆC XXX Ratisbonæ fuit celebratus: de quo exſtat epiſtola auro contra æſtimanda in Opuſculo Epiſtolarum Chriſt. Forſtneri.

LXVI. Tandem ad Comitia particularia referuntur etiam Regionum conventus illi, qui audiunt CIRCULORUM

LORUM die Kraistage. Hinc vero Germaniæ noſtræ in certas quasdam partes ſive Circulos quos appellant diviſionem Maximiliano I debemus. Cum enim glorioſiſſimus Imperator rempublicam Germaniæ in turbulenta & periculoſa tempora incidiſſe animadverteret, & totum Imperii corpus in minutisſimas partes abiiſſe, de eo dividendo in certos diſtrictus cogitavit. Ex quo inſtituto non vulgaris ſed admiranda ſanè prudentia eluceſcit. Quantæ nimirum difficultatis eſt grande Imperii corpus ad civile aliquod regimen ſuſcipiendum aptare & diſponere poſſe! Quanti eſt negotii numeroſam hominum multitudinem in officio continere! Ariſtoteles ſane *libr 7. Polit cap. 4* illum ſupra conditionem humanam collocat, qui tali prudentiâ inſtructus eſt. Verba ejus ita habent: *Numerus valde exſuperans non poteſt obtinere ordinem; divinæ namque poteſtatis hoc jam opus eſt, quæ ſane univerſum hoc continet.* Licet autem etiam hæc res ſuâ non careat difficultate, tamen haud injuria forte quis aſſeruerit, hoc remedio quo Imperator Maximilianus fuit uſus, quamplurima incommoda quæ vaſta Imperia ſecum ferre ſolent facile poſſe præcaveri. Dividatur ſcilicet aliquod Regnum in certas quaſdam partes, atque in illis ſingulis magiſtratus conſtituantur, qui de iis ſtatuant, quæ ipſa ſumma poteſtas curare nequit. Atque harum partium ſubdiviſio eouſque continuetur, donec ſufficiat. Hoc ſi fiat, non eſt quod ullos tumultus, ullas ſubditorum ſeditiones temerè metuamus. Idem nimirum conſpicitur in exercitu militari; qui in legiones diſpeſci ſolet, legiones in cohortes, cohortes in centurias & manipulos. Eadem porrò ratione magiſtratus militares dividuntur Summo nempe Duci exercitus paret Legatus, deinceps ſunt Tribuni militum, his ſubſunt Centurio.

turiones, denique ſequuntur, Decuriones. *Roſin. Antiq. lib. X. c. 6. & 7* Hinc fieri utique videmus, ingentem militum copiam ad ſolum unius nutum moveri, ac quemlibet id quod ſui eſt officii exactà diligentiâ exequi. Neque verò hac ratione ſolùm cultus aliquis populus, ſed etiam maximè barbarus in officio contineri poteſt. Argumento ſunt Ingæ Peruvianorum: qui benificio ejuſmodi diviſionum populum alias incultum ac horridum feliciſſimè rexerunt. Quâ de re operæ fuerit pretium legere quæ narrat Ioſephus Acoſta *lib. 6. hiſtor Indic. c. 13.*

LXVII. Diviſum autem eſt Imperium à Maximiliano Anno 1500 in Comitiis Auguſtanis in ſex provincias, ſeu Circulo: Franconicum, Bavaricum, Svevicum, Rhenanum, Weſtphalicum, & Saxonicum. Hiſce poſtea, neceſſitate publica exigente, adhuc quatuor anno 1522 additi ſunt, Auſtriacus, Burgundicus, Electorius Rhenanus & ſuperior Saxonicus. Qui verò ſtatus quibus circulis contineantur tradunt Thuanus *lib. 2. Hiſtor.* & accuratiùs Martinus Zeilerus *in Tract. de decem circulis Imp. Roman. German.* Negotia porro de quibus in his Conventibus agitur, ſunt in duplici differentia; alia ordinaria, alia extraordinaria. Negotia ordinaria ſunt defenſio pacis publicæ, quæ conſiſtit in comprimendis & ſedandis motibus & vi publica. Vide *Rec. Imperii Anni 1555. 1559 Ordin. Cam. part 2. Tit. 19.* Juſtitiæ executio, *Rec. Imp.* de *anno 1555. & 1566. Ordin. Cam. part. 3. Tit. 48. & ſeq:* Cura monetæ publicæ explorandæ, quæ ad Conventus Probationstage dictos, unum primo Maij alterum primo Octobris inſtituendum pertinent R. A. zu Speyer / *Anni 1570* §. Sintemahl auch zu handthabung / R. A. zu Regenſpurg / *anni: 1576.* §.

1576 §. Setzen alſo demnach und befehlen. Extraordinaria verò ſunt; quando ob præſentem neceſſitatem Circulis ab Imperio quid expediendum injungitur. *Paurmeiſt. de Juriſdict. lib. 2. c. 2.* Qui de modo & forma horum Conventuum exactè ibi agit.

LXVIII. Et hæc exigua de tam nobili argumento pro ratione inſtituti propoſuiſſe ſufficiant. Deo T. O. M. ſit laus & gloria in ſecula infinita.

EXERCITATIO DECIMA
DE
OFFICIALIBVS IMPERII ROMANO-GERMANICI.

HABITA d. XXIII Octobr. Anno cIↄ Iↄ LXIX,

RESPONDENTE,

CONRADO ERIDERICO von Burgſtorff.

Equite Marchico Brandenburgenſi.

I.

PEr reipublicæ Romano-Germaniæ capita & titulos animum ac cogitationes circumferenti apparet, vix eſſe ibi illuſtriorem locum eo, qui de illorum Principium penes quos electio Imperatoris Romani eſt, juribus ac dignitate tractat. Quod ſi enim vere Carolus IV hos, *columnas* quæ ſacrum ædificium circumſpectæ prudentiæ ſolerti pietate ſuſtentant, *candelabra* queis Imperium noſtrum illuminatur; ſi recte Sigiſmundum eodem, *decus Imperii*, in quibus gloriæ Imperialis celſitudo conſiſtit, appellitavit; illa profecto quæ ad horum dignitatem, officium, poteſtatem atque privilegia pertinent, ut accuratè ac plenè cognoſcat, vel in præcipuo habebit negotio reipublicæ noſtræ ſtudioſus; ſiquidem rerum ſuarum velit ſatagere. Cum enim hi multò maximâ per Germaniam gaudeant potentiâ, jus eligendi Imperatorem poſſideant, & hactenus perquam diu poteſtatem legislatoriam circa leges Capitulares Cæſaribus præſcribi ſolitas (quibus utique potiſſima pene ratio regundæ reipublicæ eſt comprehenſa) exercuerint

 eum

cum iidem coronâ Germanici regni electum Regem ornandi jus habeat ; tum & poſſint quotannis conventus celebrare reliquis excluſis, & de iis quæ ad patriæ ſalutem pertinent conferre conſilia ac præconſultationes inſtituere, ut cætera quæ ad eorum eminentiam pertinent prætercam, eos vel præcipuo poſt Imperatorem in republicâ noſtrâ eſſe loco, liquidò apparet. Prout non eſt novum aut inſolitum, ut in mixta republica (qualem utique noſtram illam eſſe, plerorumque, quibus aliquis civilium rerum intellectus eſt, confeſſione conſtat) una aut altera pars præ cæteris in quibusdam majorem obtineant auctoritatem ac poteſtatem,

II. Nobis brevem quandam exercitationem Academicam meditantibus, nec facultas nec animus eſt, ea omnia, quæ de ipſorum juribus ampliſſimis dici queunt, exponere. Quin potius ſuffecerit nunc ſaltem de Officiis quæ, ſingulis illis competunt, nonnulla commemorare. Etenim vel in vulgus notiſſimum eſt eoſdem illos quos Electores vocamus, Officiales quoque Imperii hodiè eſſe, inque his, præter tres Archi-Cancellarios, eſſe Archi-Dapiferum, Archi Mareſchallum, Archi Camerarium, Archi-Pincernam, & Archi Theſaurarium. Cæterùm qua ratione cœperint hæc Officia, quî factum, ut ad horum, qui hodie iiſdem gaudent, familias ea fuerint devoluta, haut adeo pervagatum eſt : quin potius multis ea res difficultatibus eſt immerſa ; certè à nemine, quod ſciam, ex profesſo penitùs & pro rei dignitate expoſita. Et ipſe ſumma hic modò faſtigia rerum carpam, deſignando magis hujus argumenti capita, quam illud plene pertractando : ſolidiorem plenioremque ejuſdem expoſitionem illis qui ab ingenio, doctrina, ac hiſtoriæ Germanicæ rerum peritia inſtructiores ſunt, tranſcribens.

III. Quid

III. Quid autem Officii & Officialium nomine nobis veniat, non erit, opinor, neceſſum hic declarare, quandoquidem è theſi anteriori patet, illud hic non pro munere quovis ſive publico ſive privato quod belli pacisve tempeſtate geri ſolet accipi, ſed ſpecialiter, pro iis quæ Electores in Curia Imperii ab antiquo obire ſolent muniis ſumi; qui in quantum illa Officia obtinent, peculiari appellatione ac titulo jam Pridem Officiales dicuntur. Quantumvis enim & Vicarios Imperii, & illos qui belli tempore communi Ordinum ſuffragio duces conſtituuntur, non malè Officiales imperii poſſis uſurpare: noſtro tamen inſtituto iſta acceptio non congruit. Illud potius eſt, quid Romano Germanici Imperii voce denotemus, oſtendere. Solent enim hi de quibus agere inſtituimus, *Imperii RomanoGermanici Officiales* nominari, cumque ad unum eorum etiam ab exteris Regibus, deſtinatur epiſtola, exempli gratia, *S. Rom. Imp. Archi Camerario* inſcribi literæ. Enimvero ad vetera reſpicientibus tempora liquido apparet, nunquam Germaniam noſtram Romæ fuiſſe ſubjectam, ſive illud, quo maxime Romanæ res floruerunt, ævum, ſive ſequens cnnſideremus: Reliquiæ autem Romani Imperii veteres Regibus Francorum ceſſerunt, Etenim cum Romani Pontifices potentiæ Longobardorum, populi Germanici, certè Germaniâ oriundi, Italiam vaſtantium ac ſibi ſubjicientium, ſoli pares ſe non eſſe cernerent, neceſſitate adacti auxilium Regum Francorum, quorum tunc temporis per Europam magnum nomen ac robur erat, implorarunt, qui cum ſubinde haut ſegniter opem iis tuliſſent, tandemque Carolus, virtute ſua rebuſque geſtis Magni nomen meritus, devicto Deſiderio, omne quod per Italiam Langobardi tenuerant, armorum felicitate ſubegis-

ſet: huic, teſtandi gratia animi eundemque magis ſibi conciliandi ergo, Papa conſenſu populi titulum Auguſti atque Imperatoris contulit. *Eginhardus in Vita Caroli. Annal. Francor, ann. 801.* Quod ipſo non quidem provinciæ Imperii Occidentalis ampliſſimæ quæ antea ad Romanos pertinuerant, ad Carolum ſunt devoluta, (harum quippe jamdudum poſſeſſionem; imo & jus recuperandi, eaſdem, Romani amiſerant) nedum dominium univerſi terrarum orbis eumve occupandi jus Carolo ceſſit: ſed ad eum pervenit hereditarium dominium Romæ atque illius, quod Patrimonii S. Petri nomine vulgò audit, erat autem tunc Pipini & Caroli dono tunc primum Papæ conceſſum, denique in ipſam Pontificem priſca Cæſarum poteſtas.

IV. Hæc prima hujus appellationis quaſi fundamenta meritò conſtituuntur. Atque ſic ſimul Carolus M. & Francorum Rex fuit per ſucceſſionem in locum patris Pipini, & Longobardorum, quos armis ſubegit; & poſtquam prædicta regna per completos annos geſſerat, Romanus Imperator, populi Romani & primarii ejus civis Papæ unanimi conſenſu, renunciatus eſt; quod poſtremum A. C. IↃCCCI. contigit. Rem quidem ipſam videlicet jam antea tenebat Carolus, à Pontifice autem coronatio, unctio & conſecratio, honoris magis moriſque, ut ſolet, quam neceſſitatis causâ, adjecta eſt. Inde ægrè ferentibus Imperatoribus Conſtantinopolitanis, jus in urbem Romam ad ſe ſpectare fortaſſis haut ſine ratione profeſſis, cum Nicephoro Imperatore novæ Romæ de finibus Imperii Carolus tranſegit: quâ tranſactione vel præcipue jus Imperatorum Caroli niti dixeris. Patet verò ex his nonnihil inſignis illa Carolini Imperii amplitudo, in quam & filius ipſius Ludovicus Pius, fratribus ante parentem demortuis, ſolus ſucceſſit; quæ tamen

tamen deinceps à Ludovico Pio inter tres filios, Lotharium, Ludovicum, & Carolum, dein ab his ipſis poſt cruenta admodum prælia, inſtitutâ in partes tres diviſione eſt diſtracta. Videatur poſt *libri de Finib. Imperii cap. 3* celeberrimus Bœclerus *in Lothario.* Etenim ex his Lothario Imperium Romanum propriè dictum, Italia, Provinciæ ſeu Burgundiæ póſt dictum regnum, & Galliæ pars illa quæ inter Moſam Schaldim Rhenumque ſita eſt (quæ & ab ejus filio cognomine Lotharingiæ nomen eſt ſortita) ceſſit, Ludovico Germania & urbes tres Trans-Rhenanæ, Moguntia nempe Spira & Wormatia, Carolo verò Gallia reliqua collata eſt. Ubi clarè Germanici Regni à Romano Imperio diſtinctio pateſcit; quæ etiam usque ad Ottonem M. manſit, nec uſque eò Germania vel vulgo Imperii Romani pars eſt habita. Seculo autem X. Otto Magnus, profligato Berengario, nactus demùm eſt ſummum in Urbem, Papam & Patrimonium Eccleſiæ Romanæ imperium, facta iſthîc à Pontifice ſolenni coronatione. Dehinc autem ſub Leone VIII Otto jus illud in perpetuum Germaniæ ejuſque Imperatoribus conjunxit; ut protinus is qui electus eſſet Germaniæ Rex, jus eo ipſo in Pontificem, Urbem, & Suburbicarias provincias conſequeretur, iſque Imperator Romanus ſit, nulla licet auctoritate Pontificis accedente. Quod dein cofirmatum eſt, pactis inter Ottonem III Imperatorem hujuſque conſanguineum Gregorium V. Papam initis. Quo reſpexit rerum Friderici I. elegans ſcriptor Guntherus, cum *Ligurini lib. 1. v. 249. & ſeqq.* ita canit:

Ex quo Romanum noſtra virtute redemtum,
Hoſtibus expulſis, ad nos juſtiſſimus ordo
Tranſtulit Imperium; Romani gloria regni
Nos penes eſt: quemcumque ſibi Germania Regem

Præficit ; hunc dives ſubmiſſo vertice Roma
Suſcipit, & verſo Tiberim regit ordine Rhenus.

Qnamvis autem per hoc pactum Germanicis Regibus perpetuum jus ad Imperatoriam dignitatem quæſitum ſit, nihilo tamen minus manſit hæc inter priſca diſtinctio, nec ſucceſſores Ottonis imperatoria licet jura in ea quæ diximus exercentes, titulum Imperatorium geſſerunt antequam aucti è Pontificibus atque coronati fuere. Quod etiam diſcrimen Germanici ac Romani Imperii probè obſervans Maximilianus I, Romani nomini titulum Regis Germaniæ adjecit : ut patet ex princ. des Reichs abſcheids zu Trier und Coln *de anno 1512.* Quæ omnia accurate dudum docuit Ampliſſimus Dominus Præſes tum *tractatu de Germ. Imp. Rom. tum libro de Finib. Imp. Germ.*

V. Non tamen ea propter eripiendum prorſus eſt Germaniæ nomen, Imperii Romani quin potius, quemadmodum aliquatenus ex illis quæ attulimus patet, haut abſque ratione ea ſibi iſtud vindicat. Etenim jus in Vrbem Romam ab Ottone quæſitum adhuc hodie duret, haut immeritò titulum Romani Imperii ſibi vindicat cui Roma de jure ſubeſt. Neque enim aſſentiri poſſumus Cl. Freinshemio, jura iſta eſſe deperdita opinanti *in diatrib. 1. de S. R. I. Elect. & Cardin. praced.* §. 6. Quin, quod communi communi conſenſu à tot ſeculis ei attributum eſt; & hodiè publico Europæ totius ſtilo attribuitur, & nos tribuimus : ſatis gnari, nec poſſibile, nec fas eſſe in in olitum uſum immutare. Quam ob cauſam, à communi loquendi modo diſcedere nolentes, Imperii RomanoGermanici Officiales hos; queis de agimus, principes indigitavimus. Solet enim, quod tralatitium eſt, non modò dici Romanum Imperium daß Römiſche Reich / ſed plerumque Romano-

mano Germanicum Imperii, cum appoſito ſc. nationis Teutonicæ das Römiſche Reich Teutſcher-nation. *Imperii* autem vox optimo jure illi noſtro ſpecialiter ac per excellentiam competit: quandoquidem noſtri Imperatores in Carolo atque Ottone Magnis in dignitatem ejus Imperii quod Romanum appellatum eſt, ſucceſſere. Atque hac ratione ſingula in titulo hujus diſſertationis occurentia vocabula rectiſſimè explicari poſſe ac debere, cenſemus. Id quod primo omnium utique faciundum nobis fuit. Addi autem præterea ad ea quæ Opere *de Finibus & Germanorum Imperio Romano* diſputantur, poſſunt quæ adverſus doctiſſimi cæteroquin viri Davidis Blondelli dicta; quæ contumelioſa jure fortaſſis videantur, obtrectationes, Cl Bœclerus in tractatu cui titulus *Sacrum Romanum Imperium* eruditè diſſeruit.

VI. OFFICIALIVM vero illorum, de quibus nonnulla diſſerere inſtituimus, origo undenam petenda ſit, ante omnia videamus. Sane ſi hac parte non viam quâ eundem, ſed qua itum eſt, ſequi velimus, è veteris Romani Imperii rebus hæc quoque nobis eſſent deducenda. Ita enim vulgò de maximis ad noſtram rempublicam pertinentibus negotiis juribusque videas diſſerere plurimos, eosque ceteroquin neutiquam indoctos, ut flexis ad rempumblicam Romanum oculis, ex hoc tanquam fonte aliquo res Germanicas derivare annitantur. Quod quàm alienum ineptum atque inconveniens ſit, ex iis quæ *th. 3. ac. 4.* allata ſunt, in promptu eſt colligere, nec enim Germania noſtra Imperii Romani veteris lacinia aut pras eſt; neque ad Romanos mores res ſuas unquam comvoſuit, ſed libera plane ſuique juris habenda eſt reſpublica. Quapropter nec nos decebit, hoc loco de Officialibus, qui ſub Romano Imperio ſive antiquiore

illo

illo, ſive poſtea ſede ejus Conſtantinopolin translatâ, exſtiterunt, agere; ad quos quæ pertinent (ut primum Digeſtorum & tres ultimos Codicis Juſtinianei libros taceamus) tùm è *Notitia dignitatum Orientis*, Guidonis Pancirolli uberrimis doctiſſimiſque notis luculenter illuſtrata, tum è Jacobo Gutherio *de Officiis domus Auguſtæ*, Georgio Codino *de Officiis Eccleſiæ & aulæ Conſtantinopolitanæ, cum Gretſeri aliorumque annotationibus edito*, ſimilibusque ſcriptis abunde peti poſſunt. Quin potius non ex alienis ſed propriis ac domeſticis, hoc eſt, Germanicis rebus veteribus hæc ſunt arceſſenda. Licet nec illud prorſus diffiteri audeamus, ut alia nonnulla ad aulæ ſplendorem facientia, ita quoque in his quædam, ſaltim ad eos Germanos, quibus cum Conſtantinopolitani Imperii ſubditis commercii quidquam fuit, (quo in numero cumprimis fuit Otto III Imperator, Græca matre natus) profluxiſſe. Quoniam verò Francici regni in Carolo Magno ad ſummum culmen evecti portio quædam eſt noſtra Germania, ad priſca Francorum inſtituta præcipuè nobis erit reſpiciendum.

VII. Apparet autem vetuſtas rerum Germanicarum hiſtorias evolventibus, jam olim ſive hæc ipſa, ſive his ſimilia Officia in uſu apud Francos fuiſſe. Cujus rei præter cæteros teſtem locupletem Adalhardum Caroli Magni propinquum & Abbatem Corbeiæ veteris Gallicanæ habemus. E cujus libro de *Ordine palatii* Hincmarus Remenſis Epiſcopus in *epiſt. pag. edit Sirmond. 207* narrat, primarium Eccleſiaſticos inter Officiales fuiſſe Apocriſiarium, qui idem Cappellanus & Palatii cuſtos dictus eſt. Is autem idem videtur ſuſtinuiſſe Officium, quod ille qui Gregorio Turonenſi *in hiſt. Francorum* tum *lib. 5. cap. 45.* tum alibi paſſim Referendarius audit. Verba Hincmari hæc fere

ſunt

ſunt: *Apocriſiarium quam noſtrates Capellanum vel Palatii custodem appellant, omnem clerum Palatii ſub cura & diſpoſitione ſua regebat. Cui ſociabatur ſummus Cancellarius, qui à ſecretis olim appellabatur: erantque illi ſubjecti prudentes & intelligentes ac fideles viri, qui præcepta Regis abſque immoderatâ cupiditatis venalitate ſcriberent, & ſecreta illius fideliter cuſtodirent. Poſt eos vero Palatium per hos miniſtros diſponebatur, CAMERARIVM videlicet, Comitem Palatii, Comitem ſtabuli &c.* Annales Francici à Petro Pithœo editi ad annum IↃ CC LXXXI ita habent: *Directi ſunt ad Legationem in Baſileriam in Bojoariam de parte Regis, Ludolphus Diaconus atque Eberhardus Magiſter Pincernarum.* Et ad annum IↃ CCC XXVIII *Ludovicus Imperator Bernhardum Barcinone CAMERARIVM in palatio ſuo conſtituit.* Addatur his quæ de rebus Germanicis optimè meritus Lehmannus *Chron. Spir. l. 2. c. 7. §. 8.* affert. E quibus aliiſque deinceps ſubinde producendis teſtimoniis aſſertionis noſtræ veritas ſatis liquet.

IIX. De tribus autem Imperii ARCHICANCELLARIIS paucis initiò nobis erit agendum. Nolumus verò hic congerere illa, quæ de Cancellariorum initiis atque eo quod priſcis temporibus obtinuerunt officio poſſent commemorari. Legant queis copia placet, hac de re præter M. Aurelium Caſſiodorum *l. 11. Variar. epiſt. 10.* Fr. Hortomannum *comment. verbor. jur. voc. Cancellarius* Briſſonium 1. *ſel. antiq. 16.* Cl. Salmaſium *notis ad Flav. Vopiſc. pag 483. & ſeqq. & Caſaubonum ibidem p. 282. & ſeq.* Illud conſtat inter eruditos, & partim ab iis quos laudavi, partim ab aliis doctiſſimis Viris luculenter oſtenſum eſt, vetuſtiſſimis temporibus nomen Cancellarii eſſe ignoratum, pòſt, ubi cœpit, exile aliquod nec magni momenti munus eo deſignatum: nunc vero à quammultis ſeculis maximi hono-

ris officium denotare. Ad quod rite adminiſtrandum virtute doctrinâque haut tenui ſit opus Et verò cum olim in Germania propemodum apud ſolos Clericos doctrinæ aliquid reſidere creditum ſit, omnisque penè apud nos eruditio Monachorum clauſtris fuerit incluſa, mirum non eſt, ſi Archi Cancellarii officium atque dignitas ſacerdotibus ac Theologici ſtudii peritis potiſſimùm commendata legantur. Obſervat verò ſolers ille rerum Imperii veterum dum vivebat indagator, Vir pietate doctrinâ ac nobilitate eximius, Bernhardus à Mallinckrot, Commentariolo de *Archi cancellariis Imperii*, primum S. Cunibertum Colonienſem Epiſcopum ſeculo poſt N. C. VII. ArchiCancellarii titulo eſſe uſum; exque eo tempore varios nomine iſthoc fuiſſe gaviſos, nec ad ſedem aliquam privativè, ut ita loquamur, iſtam dignitatem eſſe delatam, niſi demum ſub Ottone I, ſub quo ſedes Moguntina honorata fuerit perpetuo iſto Archi Cancellariatus jure & honore. Quantumvis enim diffitendum non ſit, jam tum ante illa tempora, factâ illâ ſupra memoratâ ingentis Francorum Imperii in tres partes diviſione, Moguntinum, qui in ditionem Regni Francorum Orientalis conceſſit, (ad quam Colonienſis ac Trevirenſis tùm nondum pertinebant) locum inter Præſules primum obtinuiſſe, unde & à Wittichindo rerum Ottonis Magni ſcriptorę coævo in hiſtoria inaugurationis Ottonis *lib. 2. ſub init.* Pontifex Maximus, item Pontifex Summus appellatur: tamen non ante, quam ſub hoc Ottone I perpetuo jure Moguntina ſedes ArchiCancellariatus decore eſt ornata. Quod num privilegio & voluntate Imperatoris expreſsâ, an verò tacitâ factum ſit, non poteſt certò definiri: quanquam prius illud vero ſit ſimilius Poſt ſanè Wilhelmum primum ArchiEpiſcopum Moguntinum, filium Otto-

nis

nis I ſerie continuâ iſta ſedes ArchiCancellariatum retinuit quem hodienum exercet. Hinc adeò apud Moguntinum & Archivum ſeu Chartophylacium,quo publica Imperii documenta actaque continentur, qualecunque illud adhuc ſuperat (eſt autem perquam tenue, præ negligente cura reipublicæ) ut & Matricula Imperii aſſervatur: eique ut olim ita & hodie Imperialium decretorum ſignatura competit.

IX. Cæterùm ſequentibus temporibus Trevirenſis quoque & Colonienſis dignitatem ArchiCancellariorum fuere conſecuti Quod quando præcisè factum ſit, ob ſilentium Hiſtoricum haud facilè fortaſſis dictu eſt. Scribit enim quidem Onuphrius Panvinius *lib. de Comitiis Imperii cap. 6.* trium Archi-Cancellariorum inſtitutionem paulò ante, vel potius circa, primi Ottonis Imperatoris tempora exortam fuiſſe; ſed cum id non probet, & contrarium multa ſuadeant, fidem ei habere non poſſumus. Illud quaſi certum licet affirmare; jam, Friderico Ænobarbo imperante Italicum Cancellariatum ad Colonienſem translatum fuiſſe; cum diplomata, quæ ab Archiepiſcopo Colonienſi ſub ItaliæArchi-Cancellarii nomine tempore Friderici iſtius recognita fuerint, quam plura etiamnum exſtent. Et verò tum demum Moguntinus, qui antea ſimpliciter Archi Cancellarii titulo gaudebat, cum appoſito, *per Germaniam*, cœpit audire. Habemus apud Chapeavillium *tom. 2. rer. Leod.* diploma quo Fridericus I Imperator Epiſcopo Leodienſi confirmat vetera privilegia, datum anno 1155. apud Civit. Tridentinam, cui Arnoldus Colonienſis ArchiEpiſcopus Italici Regni Archi-Cancellarius ſubſcripſit. Alia complura teſtimonia in hanc rem producit ſupra laudatus Mallinkrot *d. lib. part. 3. memb. 3.* Dum verò is Archi Cancellarius per Italiam audit, per

hanc Regnum quo fuit Longobardorum & veteris Romani Imperii reliquiæ intelliguntur. Cæterùm poſſit cuipiam videri, jus illud Archi Cancellariatus Colonienſis Arch Epiſcopi jam eſſe extinctum: idque ideo, quoniam per ſat longum tempus illo is non eſt uſus. Tralatitium verò eſt, etiam non uſu talia jura ac privilegia poſſe amitti. Et ſanè fatendum eſt, quemadmodum noſtri Imperatores jam diu in Italiam nihil priſtino more tentaverunt, ita nec hunc fortè ullum ſui ArchiCancellariatus actum longo tempore exercuiſſe. Rariùs ſanè poſt Friderici II tempora Italiam adierunt Imperatores, certè longas ibi moras non facilè traxere: jampridem illorum nonnulli eam nunquam ingredi, ſatiùs eſſe duxerunt. Verum enimverò rectè docent JCti, quemvis non uſum amittendum privilegium aut prærogativam nequaquam ſufficere, ſed ad hunc effectum requiri tale quid, quod privativum illi appellant & negativo contradiſtinguunt. Neceſſe videlicet eſſe, ut quis occaſiones utendi habuerit; hæque ſi defuerint præſcriptionem non habere locum; quâ de re præ aliis doctè differit Suaretz *de LL. lib 8. c. de 33. 34. 35.* & Carpzov. *Juriſpr. for. part. 2. c. 3. def. 23.* Quales occaſiones cum ArchiEpiſcopo Colonienſi datæ non fuerint, omnino hoc ei jus non periiſſe; ſed ſi fiat, ut trans Alpes cum Cæſare agat, eodem eum uti poſſe, nos equidem nulli dubitamus.

X. Non eſſe autem temporibus Friderici I antiquiorem Trevirenſis ArchiEpiſcopi Archi-Cancellariatum per regnum Arelatenſe, hoc poteſt eſſe indicio: quod iſtud regnum à Carolo Calvo in terris Germaniæ Imperio debitis per injuriam primò conditum, hinc per proprios Reges aliquamdiu adminiſtratum, inde ab Ottone aliiſque I rurſus reipublicæ noſtræ adjectum, pòſt præpotentum

Comi-

Comitium ipſi præfectorum quaſi rebellione rurſus nonnihil Imperio ſubductum, Fridericus I Imperator demùm recuperavit. Ita enim hac de re inter alia Güntherus *lib 6. Ligurini.*

Quæ relicta ſibi jam libertate vetuſtâ
Gaudebat tellus, venientem milite pauco
Agnoſcit dominum ſupplex, Regemque fatetur.

Loquitur autem de Burgundia. Etenim Fridericus ille I priore conjuge Adelâ Hochburgica ob cognationem dubiamque fidem dimiſsâ, cum Beatricem Reinoldi Burgundiæ Comitis filiam heredemque unicam matrimonio ſibi junxiſſet, hoc regnum, Burgundiam ac Provinciam comprehendens, Imperio reſtituit. Quæ prolixiùs ejus patruus Otto Friſingenſis Epiſcopus *lib. 2. cap. 29.* commemorat. Itaque credibile eſt, vel iſtis, vel ſequentibus temporibus, hunc quoque Archi Cancellariatum inſtitutum fuiſſe: idque tum ob antiquitatem Trevirenſis ArchiEpiſcopatus, tùm ob commòdum ad rem illam ſitum. Vix verò claram hujus Archi-Cancellariatus mentionem legas ante Bullam Auream Caroli IV: unde nonnulli tunc primùm hanc Trevirenſem dignitatem nactum fuiſſe profitentur. *Cf. Strauchius differt. Exoter. 2. num. 9.* Quamvis autem Regnum Arelatenſe à Galliæ regibus occupatum ſit, parumque ejus hodiè poſſideat Germania, cum tamen jura in illud ipſum noſtro Imperio adhuc integra ſint, uti bene meritus Præceptor *Operis de Finib. Imp. cap. 24.* luculenter oſtendit, neque non utendo, ubi non tulit ſe occaſio, hic quoque titulus cum jure eidem annexo ſit amiſſus, utique non inanem prorſus eum eſſe aut vanum, manifeſtum eſt. Hi autem Archi Cancellarii hoc inter alia habent peculiare, quod eorum quiſque, in ſuo ArchiCancellariatu, in ſolenni proceſſione, gerat ſuper baculo argenteo ſigilla & typaria Imperialia. *A. B. Tit. 26.*

egit; quod licet in dubium vocet celeberrimum Bœclerus *in Ottonis I hiſtoria*, non tamen ejus ponderis ſunt illius rationes, ut ab ſententia nos queant dimovere. Ac præſertim cum adſtipuletur nobis Imperii rerum peritiſſimus Goldaſtus, qui *lib. 3. de Juribus Regni Bohemiæ cap 8* eum diſertè Cameræ præfectum appellat. Eberhardus Dapiferatum, Hermannus Pincernatum, Mareſchallatum Arnulphus obivit.

XIII. Memorabilis quoque è veteri hiſtoria eſt Ditmari Mersburgenſis *lib. 4. Chron.* deſcriptio ſolennitatis Paſchalis ab Ottone III Quedlingenburgi celebratæ. Cujus hæc ſunt verba: *Quatuor miniſtrabant Duces: Henricus ad menſam, Conradus ad* CAMERAM, *Hecil ad Cellariam, Bernhardus Equis præfuit.* Primus Bavariæ, ſecundus Franconiæ, tertius Palatinus, quartus Saxoniæ Duces exſtiterunt. Obſervat autem Ampliſſ. Dn. Præſes *not. ad Lampad. part. 3. c. 4 §. 23.* in ſecutis monumentis nullam ferè illorum Officiorum comparere memoriam uſque ad Friderici I tempora. Ut interea nonnihil hanc rem in deſuetudinem cœpiſſe abire, non improbabiliter inde queas colligere. Vnus apud Ottonem Friſingenſem notabilis occurrit locus *lib. 8 c 19.* Ubi is de Lothario Saxone Imperatore memorat, quod *Regem Daciæ*, (Daniæ) *in ſignum ſubjectionis, ad decorem Imperialis reverentiæ, gladium ſibi ſub corona deferre fecerit.* Is itaque ArchiMareſchallum tum egit. Ceterùm de Friderici I celeberrimo conventu Moguntiæ anno CIↃ CLXXXII celebrato ita ſcribit Arnoldus Lübecenſis *lib 3. c. 9: Officium Dapiferi, ſeu Pincernæ, ſeu* CAMERARII, *ſeu Mareſchalli, non niſi Reges vel Duces aut Marchiones adminiſtrabant.* Ex quibus omnibus pateſcit, huc uſque quidem certis familiis annexa hautquaquam fuiſſe iſthæc Officia; nec veritati conſentaneum eſſe quod

non

nonnulli non dubitant profiteri, jam Ottonis III tempore, ejuſdemque beneficio, illa hereditaria facta fuiſſe. Quin imò valde eſt veroſimile, ne quidem ad vitam Principibus qui ſemel ea geſſerant competiiſſe, ſed potius in conventibus Imperialibus ſingulariter iis qui præ cæteris tunc eminere videbantur, eſſe demandata. Norunt enim qui vel leviter in ſcriptoribus rerum Germanicarum ſunt verſati, perquam rarò cunctos Imperii noſtri Proceres Comitia adiiſſe, quin perfrequenter modò hos modò alios haut paucos emanſiſſe. Nec tamen uſpiam legas, unius forte aut alterius abſentis loco alium, tanquam vices gerentem, ullum horum munerum obiviſſe.

XV. Quemadmodum autem Fridericus Barbaroſſa, Regiæ dignitatis Majeſtatiſque Imperatoriæ ſtudioſiſſimus, devicto Duce potentiſſimo Henrico Leone, alia quammulta ad Imperii honorem pertinentia reduxit, ita etiam hæc revocaſſe in uſum videtur; quin haut vanè licet conjectare, hunc demum iſthæc Officia effeciſſe hereditaria. Indicant enim non obſcure Arnoldi Lübecenſis *th. anteriori* adducta verba, Officia illa ab iiſdem qui hodie illis gaudent tunc eſſe adminiſtrata. Atque hanc conjecturam confirmat, quod Fridericus Bohemiæ Duci Uladiſlao, quem amabat, quique fidelem ipſi in bellis præſtiterat operam, Regium titulum contulit, ceu oſtendit Goldaſtus *lib. 3. de juribus regni Bohemiæ c. 10*, quem vix unus alterque Bohemorum ante ex ſpeciali Imperatoris privilegio fuerat nactus. Idem verò Fridericus Comitatum quoq; Palatinum Rheni, etſi non inſtituerit primus, tamen magno honore ac dignitate auxit atque ornavit, ac hereditarium, ut videtur, illum effecit. Gerebat autem tum temporis illum Conradus frater Friderici I. Initiò ſcilicet Comitum in Françorum Imperio non magna fuit auctoritas, ſed judices ordina-

ordinarii eo nomine appellabantur; illi ſcilicet, qui per pagos vicosque, quos gouas dicebant, jus dicerent, qui etiam Graviones audiebant. Et habuit quoque Palatium ſuos, qui Comites Palatii dicti, quorum quale olim fuerit munus exponit Hincmarus *in epiſt. pag. 208.* Cum verò Regnum Germaniæ duplici jure ferè regeretur, Francico & Saxonico, & illud tractum Rheni, Belgium, Sueviam, Franconiam &c. compleċteretur, hoc vero Saxonicum diſtrictum usque ad Balthicum mare, hinc duo enati præcipui Palatini, Saxonicus & Rhenanus. Fateri autem cogitur rerum Palatinarum indagator diligentiſſimus feliciſſimuſque Marq. Freherus, de comitibus Palatinis ad Rhenum vix certi quid ante ſeculum XII poſſe reperiri. Vide ejus *Origin. Palat. lib. 1.*

XV. Ad hæc Brandenburgico etiam Marchionatui decus ſuum largitus eſt idem fortiſſimus Imperator Fridericus. Etſi enim dudum ante Henricus Auceps, domitis Venedorum populis, qui totam Arctoam Germaniæ oram à Viſtula uſque ad Albim Salam poſſederant, & expugnato Brandenburgo oppido Havelæ fluvio adjacente, cuſtodem limitis adverſus Venedos ibi collocaverat, tamen ſubinde in priſcam ſe libertatem vindicare rurſus cœperunt illi Heneti; donec Albertus Urſus (filius Ottonis Marchionis in Soldvvedel ex vetuſta familia Comitum Aſcaniæ & Ballenſtet propagati, cui Henricus V titulum & inſignia Marchiæ Brandeburgenſis contulerat, tandem recuperata, oppreſſis Venedis, Marchiâ iſthac anno CIƆ CLII, Mersburgi à Friderico Ænobarbo inauguratus eſt. Cumque aliquot annis pòſt Henricus Leo eſſet proſcriptus, Bernhardus Alberti Urſi filius Saxoniam quoque univerſam Marchiæ adjunxit. Videatur pluribus hæc commemorans David Chytræus *orat de Marchia Brandenb.* Tam

benè de Marchia iſthac meritus ergo cum fuerit Fridericus, perquam ſane probabile eſt, cum quoque ſplendidum Archi Camerarii officium Marchioni illi conceſſiſſe. Saxoniæ vero Duci ideo fortè Mareſchallatus officium aſſignatum eſt, quod Duces Saxoniæ & magnæ ſemper in Germania auctoriatis exſtitiſſent, & ſæpe hoc munere in curiis Imperialibus fuiſſent defuncti. Sane cum Friderici I filius Philippus Imperator crearetur, jam exſtitiſſe illos Officiales, pridem ad Lampadium annotatum eſt ex illis, quæ de ſchiſmate inter Philippum & Ottonem IV commemorat is, qui per ea tempora in Germania vixit, Conradus Abbas Urſpergenſis. *Tota*, inquit, *Curia Imperialis, & Officiales Imperii adhæſerunt Philippo cum Principibus quamplurimis.* Ex illis autem, quæ tum is tum alii qui iſtius ævi res geſtas deſcripſere, uberiùs narrant, novimus, & Archi Cancellarios Moguntinum ac Trevirenſem, & initiò Comitem Palatinum fratrem Ottonis IV, Marchionem item Brandenburgicum, Ducemque Saxoniæ à partibus Philippi ſtetiſſe, ſolo Colonienſi Archi Epiſcopi Adolpho ei obnitente.

XVI. Poſtquam verò de exordio inſtitutorum Officialium, quantum ejus fieri potuit, conſtat, de ſingulis illis SECULARIBUS ut ſigillatim quoque dicamus, lubet ſequi illum ordinem quem *A. B. tit. XXVII* obſervat, ſecundum quem Officia ſua debeant obire. Primus autem iſthic loci nominatur SAXONIÆ Elector: non quidem ratione dignitatis, ſed quia commodè ante ceteros Collegas officium ſuum peragit. Eſt verò illud in ſolennibus conventibus, poſito ante ædificium ſeſſionis Imperialis aut regalis avenæ acervo, tantæ altitudinis, ut uſque ad pectus vel ſellam equi, cui inſidet Elector, pertingat, habere in manu baculum argenteum, menſuramque argenteam

team; hanc autem avenâ explere & famulo primitùs venienti miniſtrare *A. B. d. c. 27.* Eſt ſcilicet is Imperii Archi-Mareſchallus. Quæ vox unde deſcendat non lubet nunc anxiè inquirere. Certum eſt, eam apud Germanos ab antiquo rei equeſtri præpoſitum denotare Vide *LL. Salicas tit. XI.* In aula Francorum Regum Comes ſtabuli, corrupte Conneſtabilis, dictus eſt. *Hotom. Francog. cap. 17.* Quod ſi pro ſalute Imperii bellum gerendum fuit, præceſſit is olim reliquos Status: inque campis in adventu Imperatoris ordines inſtruxit, *Goldaſt. in Rat. Imp. pag. 102.* Huc pertinet controverſia in coronatione Caroli V Cæſaris inter Saxonicos & Juliacenſes agitata, de priore ingreſſu in urbem Aquiſgranum, quam commemorat Hartmannus Maurus *lib. de coronat. Caroli V.* Videatur etiam Cl. Strauchius *diſſ. exot. 3. th. 11.* Habet verò Saxonicus Elector in hoc officio ſuo Vicarium, ſeniorem è familia Dominorum de Pappenheim. Cui quænam peragenda ſint, docet Sixtus Sommerus, quondam Vice-Mareſchalli de Pappenheim ſubſtitutus, apud Carpzovium *l. de Leg. Reg. Germ. c. 10 ſect. 6 num. 28.*

XVII. Alter dicto A. B. loco collocatur Marchio BRANDENBURGICUS, eique hoc aſſignatur munus: ut in argentea pelvi Imperatori in ſolenni curia aquam manibus abluendis præbeat. Etenim, ut notiſſimum, eſt ille imperii Archi Camerarius; ita a Camera quæ olim cubiculum audiebat dictus. Errant verò, qui hunc Præpoſitis ſacri cubiculi apud veteres Romanos Imperatores, de quibus in Codice etiam Juſtinianeo nonnulla exſtant, comparare non dubitaverunt. Grandis enim utique inter utroſque eſt diverſitas. Quod cum cuivis facilè pateat, noluimus declarare. Idem in proceſſionibus Imperialibus ſceptum defert à ſiniſtro Electoris Saxoniæ latere conſiſtens.

A. B c. 22. & c. 26 §. 3. Sanè Sceptrum inde ab antiquiſſimis temporibus imperii ſignum ac ſymbolum eſſe, nemo niſi omnium morum veterum rudis ignorat. Nam & ſceptri Pharaonis in Geneſi mentio fit, & Moyſes, ut populi Iſraelitici ductor, virgam quaſi ſceptrum manu geſtavit, ut ex Exodo novimus. Livius *lib. 1. hiſtor.* Tarquinium Romanorum Regem eburneum ſceptrum in ſummitate aquilam habens geſtaſſe, memorat. Dio aureo ſceptro Cleopatram uſam ſcribit, quod ea Auguſto miſerit. Qui igitur apud tot alias gentes obtinuit ſceptrum geſtandi mos, ad Germanos quoque tandem devolutus eſt ; hocque regium inſigne Imperatori præferendi ſplendida ſanè provincia Marchioni Brandenburgico conceſſa. Mota quidem ipſi eſt hac de re lis in Caroli IV inauguratione Aquiſgrani. Juliacenſis enim, in cujus clientelâ erat iſthac civitas, novo Principi ſceptrum præferre nitebatur : cui tamen is qui tum temporis erat Elector Brandenburgicus Ludovicus maſculè reſtitit : pro quo, penſitatis utrinque rationibus, Carolus IV dixit ſententiam. Videatur Bojorum Livius Aventinus *lib. 7. Annal.* Ex quo tempore quietè hoc jure fruiti ſunt Marchiones.

XIIX. Ceterùm cum hactenus aliæ familiæ Marchionatum Brandenburgicum unâ cum dignitate Officialatus & Electoratus tenuiſſent, ad Sereniſſimam illam quæ nunc eâ gaudet, proſapiam pervenit ſeculo poſt N. C. XV. Cum enim Fridericus IV, aliis Fridericus VI, ex vetuſtâ Comitum Hohenzollerenſium prognatus familiâ, Imperatori Sigiſmundo in Hungaricis Bohemicis & Imperii negotiis difficillimis ſtrenuam ac fidelem operam navaſſet, creatus ab eo fuit Marchiæ Brandenburgenſis gubernator. Sexennio autem pòſt ab eodem Cæſare maſculâ ſobole deſtituto vendita ei eſt Marchia & Electoratus atque

que Officialatus pro quatercentis aureorum millibus, ipſeque in Concilio Conſtantienſi, anno CIↃ.CCCC XVII, publico ac ſolenni ritu inauguratus eſt. *AEn. Sylvius in hiſt. eorum quæ Friderico III Imp. geſta ſunt cap. 1. Reiner. Reinec. Orig. ſtirp. Brandenburg. pag. 31.* Reuſchel Brandenb. Stambaums *pag. 20* Hinc inter inſignia Electorum hujus ſereniſſimæ familiæ ſceptrum eſſe cœpit in medio ſcuti. Quod cum nonnulli pro columna haberent, è Columneſiorum ſtirpe (unde originem familiæ hujus quidam deducunt,) illud eſſe petitum exiſtimarunt. *Höppingck. de jure inſign. c. 6. part. 5. §. 3. n. 620. Spangenberg. lib. 1.* Henneb. Chronick. *c. 3.* Cujus opinionis falſitas vel ex eo poteſt eſſe manifeſta, quod ſolus eo inſigni utatur Elector, non etiam cæteri ejuſdem familiæ. Fridericus autem, de quo jam diximus, cum genere inclyto & jam tum multis rebus geſtis conſpicuo eſſet prognatus, poſteros quoque habuit conſimiles. Vt non immeritò Joachimus Camerarius, Vir inter eruditos magni nominis, *in proœm. ad Aphthonii Progymn.* profiteatur. *Sive rem militarem ſpectemus: ſive alias laudes; gravitatem, inquam, magnitudinem animi, conſtantiam, addam etiam manſuetudinem & humanitatem, vix invenientur quorum tam excellens virtus fuerit, ut ſit cum Brandenburgenſi illuſtriſſima domo comparanda.* Et verò ſi cætera omnia ad familiæ alicujus gloriam pertinentia huic proſapiæ deeſſent, (quæ tamen profectò abundè ſuppetunt) vel illud unum eminentiam illi ac illuſtrem ſplendorem conciliare aptum eſſet, quod Sereniſſimum Pontentiſſimumque Principem Electorem FRIDERICVM WILHELMVM, principem ac Dominum meum Clementiſſimum produxerit; cui ſincera in Deum pietas, rem bello ac pace fortiter præclareque geſtæ, prudentia inſignis, conſtans felicitas, merita cum in Europam a-

Germaniam univerſam, tum in proprias eaſque longè ampliſſimas ditiones, gravitas moderatioque animi, aliique infiniti laudum tituli, dudum in Chriſtiano orbe omni ſummam conciliarunt venerationem. O felicem populum, cui ſingulari divino beneficio talis tantuſque Princeps obtigit! Cui ſuas vires Natura, artes ſuas Prudentia, opes Fortuna cumulatè contulit. Tam felix, ut ſummo Numini non eſſe cariſſimus non poſſit: tam potens, ut vix ullus inter potentiſſimos Germaniæ Principes comparari nedum anteponi ipſi queat; tam mitis, ut nulli non ſit amabilis; tam munificus, ut neminem à ſuo ſermone triſtem diſcedere patiatur; ac ut verbo dicam; cunctis animi, corporis, fortunæque dotibus inſtructiſſimus. Sed non eſt mearum virium, aut propoſiti hujus, tam divini Herois, ac verè novi Germanici Achillis, in omnem æternitatem ituras laudes nunc commemorare. Quas nec ingenii mei tenuitas capere, nec quiſquam, vel diſertiſſimus, digno poteſt elogio proſequi,

XIX. Vt itaque in viam revertamur; Vicarius Archi Camerarii eſt Comes de Hohenzollern, qui in ſubſcriptione der Cammergerichts Ordnung zu Coſtenß *de anno 1507*, & alibi paſſim, des Römiſcheu Reichs Erb-Cämmerer indigitatur. Is abſente ArchiCamerio officium illud ſolet exercere. Cœpit vero ei lis moveri à Legatis Electoris Brandenburgici; qui ſicut in cæteris Principalis ſui vices ſubeunt, ita quoque in præferendo ſceptro eas repræſentare voluerunt. In Matthiæ quidem coronatione Baroni à Pudlitz Legato Brandenburgico hac in re Comes de Hohenzollern eſt prælatus. Sed in coronatione Ferdinandi IV Regis Romani orta eſt rurſus hac de re inter hereditarium Imperii Vice Camerarium & Legatos Electorales Brandenburgicos controverſia. Horum tunc inter-

interpoſitam proteſtationem Limnæus *Addit ad lib 3. c. 7. n. 44.* adducit. Res adhuc, ni fallor, eſt indeciſa. Simili verò ratione in coronatione Caroli V, Regis Bohemiæ Legatus, excluſo Vice Pincerna de Limpurg, vinum aqua temperatum propinare Cæſari voluit, ut Hartmannus Maurus *lib. de Coronat. Caroli V* tradit: qui tamen pro Sub-Pincernâ tunc eſſe judicatum teſtatur.

XX Tertiò loco in citato A. B textu COMITI PALATINO ſuum aſſignatur officium: quod eſt, (ſive potiùs ut nunc eſt rerum Imperii ſtatus, antehac fuit) Imperatori recens coronato quatuor ſcutellas argenteas cibis repletas offerre, unde Imperii Archi Dapifer audit. Quem titulum ab antiquo ille geſſit. Neque enim aſſentiri poſſumus Chriſtophoro Gevvoldo, Bavariæ Ducibus unà cum Electoratu hunc quoque Officialatum, ut ita loquamur, ſpecioſè admodum vindicare contendenti *in lib. de S. R. I. Septemviratu.* Si utique fas eſt, id quod veritati magis credimus conſentaneum, proloqui: longè majoris ponderis ſunt, quæ in contrarium à Marquardo Frehero cum *in Palatinis Originibus*, tum *in Epiſtola Reſponſoria de Electoratu S. R. I. Comitiva Palatina Rheni antiquitùs annexo & cohærente* ſunt adducta. Aliquot ſane locis in Bullâ Aureâ, quæ meritò eorum quæ ad jura Electorum pertinent norma exiſtimetur, hic Dapifer nominatur, Bavari nullâ factâ mentione. *Vide cap. 7. & 20.* Nec forte pium eſt, Aureæ Conſtitutionis illius auctoritatem tantùm circa unum hoc cum Gevvoldo Burgundo & aliis oppugnare. Non permittit brevitatis propoſitum, ea quæ utrinque afferuntur excutere. Videatur compendioſè illa recitans diligentiſſimus Limnæus *lib. 3. de J. P. cap. 9. n. 9.* Idem Comes Palatinus in ſolenni proceſſione Globum Imperialem geſtabat. *A. B. c. 22.* Qualis globus Frehero in *Not. ad Petr. de Andlo p. 182.*

rectè

illud Palatini diu ante quam hanc nacti ſunt geſſerint: tandem ſpeciali tranſactione hoc quoque Dapiferatus Officium Bavaro Palatinus ceſſerit, ipſi novo Archi-Theſaurarii munere attributo *Theatr. Europ ad annum 1651* *Auctor* der wolgegründeten Abfertigung der Chur Bairiſchen fernern anzeige wegen des *Vicariats pag. 50.* Quapropter hodie Palatinus in ſolennibus proceſſionibus non pomum Imperiale, quippe quod geſtet Bavarus, ſed coronam portat, in que ſolennibus conventibus projectionis pecuniæ facit initium; ipſe infimum Electores inter, quamdiu Wilhelmina linea erit ſuperſtes, locum obtinens, & SubOfficiarios habens Comites de Sintzendorff. Quemadmodum Bavarus Barones Walpurgenſes. Dietterichs *ad art. 27. A B. p. 312.*

XXII. BOHEMIÆ REX quanquam ceteros Seculares Electores dignitate antecellat, quippe qui in celebratione curiæ alios Reges omnes, quicunque illi tandem fuerint, præcedat, *A. B. tit. 6* ac Imperatorem nullo interveniente ſequatur, *tit. 22*: tamen quod ad Officium ejus, quod eſt, Imperatori primum poculum porrigere, ſpectat, id poſtquam ceteri munia ſua jam impleverint peragit: ut ſæpe laudato Conſtitutionis Carolinæ loco ſatis eſt manifeſtum. Poſſit verò mirum videri, hunc Germanici Imperii Officialem eſſe, cum ex multorum ſententiâ nec Teutonicus ſit, nec Imperii Status. Quorum prius illi confirmant eo, quod Saxonicus Speculator eique coævus Albertus Stadenſis apertè ſcribant, eum non eſſe noſtræ nationis: alterum inde, quoniam is ſeſſionem ac jus ſuffragii ferendi in Comitiis non habet; ut præter alios tradit Auctor der Grundfeſte des Heil. Römiſchen Reichs *part 2. c. 4.* Nos quamvis negare non poſſimus, illud ipſum Regnum Slavicum eſſe, tamen hic non tam ad gentis origi-

 nem

ne[illegible] eſſe reſpiciendum, quàm anni[illegible] Principum Germanorum unquam conſecuti fuerint Bohemici. Quod utique eos naĉtos fuiſſe inde ſequitur, quoniam in ſolennibus Imperii conventibus & ipſi comparere olim debuerunt. Id quod è rerum Bohemicarum ſcriptoribus præcipuis Dubravio, Ænea Sylvio, ac Melchiore Goldaſto abunde conſtat. Junge quæ Ampliſſ. Dn. Præſes *Operis de Fin. c. 10.* alibique diſſeruit.

XXIII. Ad alterum verò quod attinet, licet veriſſimum ſit, id demum veram Status ſive Civis Imperii notam conſtituere, ſi is votum ſeſſionemque in Comitiis obtineat; tamen Bohemiæ Regi peculiari privilegio indultum videtur, ut nihilominus talis ſit, quamvis illud ab annis propemodum ducentis non peregerit. Imo vero, cum, ut è Politicâ doctrinâ novimus, non requiratur ad eſſentiam Civis, ut is omnibus de republica deliberationibus interſit, ſed ſufficiat ſi ad præcipuas vocetur, Bohemiæ verò Rex conſultationi cæterarum omnium facile præcipuæ, de capite nimirum Imperio Germanico præficiendo adhibeatur, patet eum vel ſic locum inter noſtræ reipublicæ Cives meritò invenire. Sunt verò inde ab antiquo Regis Bohemiæ in Pincernatus officio Vicarii Barones de Limpurg. Hos ſane jam tempore Friderici II ea dignitate fuiſſe gaviſos, è ſubſcriptione Bullæ ejus Imperatoris apud Goldaſt. *in Statut. & Reſcript. Imper p. 74. & in Ration. ad Conſtit. Imp. p. 71. ſeqq.* apparet.

XXIV. DUO, antequam claudamus hanc diſſertationem, expedienda adhuc nobis ſunt, in quorum utroque vulgo non una ratione errari conſuevit. PRIMUM eſt, quonam tempore ac auctore hi Imperii Officiales Electoralem dignitatem ſint conſecuti: alterum, num illi ſuos Electoratus aut Officia à Bambergenſi Epiſcopo in

feu-

fendum recognoſcitur. De primo argumento ſcripti toti libelli [illegible] & partim ab Ampliſſ. Dn. Præſide *ad Lampad. part.* [illegible] *c.* 4. recenſiti, partim etiam à Goldaſto in Politica Imperiali conducti. Fuit ſane per duo fere ſecula conſtans opinio, quæ etiam hoc ipſo tum à Simone Schardio JCto, tum à Chriſtophoro Gewoldo peculiaribus ſcriptis magno molimine propugnata eſt, auctoribus Ottone III hujusque conſanguineo Gregorio V Papâ illos Electores eſſe conſtitutos. Sed cum iſta conſtitutio nuſquam exſtet, deque eâ apud ſcriptores omnes ceteroquin minima maxima annotantes altum uſque ad Friderici II tempora ſit ſilentium, pateat contra è rerum geſtarum monumentis, Imperatorum Germanicorum uſque ad Henricum Haſſiæ Landgravium nullum prorſus per Septemviros electum, ſed in Comitiis communi omnium Procerum ſuffragio illos eſſe declaratos, rectè ab hac, communi licet, ſententia diſceſſerunt Aventinus, Onuphrius Panvinius elegantiſſimo *de Comitiis Imperatoriis commentariolo*, Baronius, Lehmannus *Spir. lib. 5. cap. 17.* Thuanus *lib. 1. c.* 3. & Ampliſſ. Dn. Præſes in *diſſp. de Electoribus, de Ducib. ut & not. ad Lampad. d. cap. II. not. ad Bullam Innocentii X. p. 193. & ſeq.* Quorum argumentis, maximi uſque ponderis, adducti hodie plerique cordatiores undique applaudunt, & nos quod præter album calculum adjiciamus, non habemus. Optime enim quod ad tempus attinet Onuphrius ac Baronius ſentiunt, qui tamen in auctore aſſignando aberrant.

XXV. Ut autem compendio veram, quam Ampliſſimi Dn. Præſidis fideli informatione accepimus, ſententiam proponamus, ſtatuimus: Nulli omnino Pontificum Romanorum, nec Gregorio V nec X, neque Innocentio IV, nec alii eorum ulli, Septemvira-

his collegii inſtitutionem deberi. Neque enim conceſſione cujuſdam Cæſaris conſenſu illud cœpiſſe, ſed ſpontaneo Principum Imperii decreto ſolos Officiales eſſe eligendi jus adeptos, idque tunc, cum ſeculo XIII ſtatus Imperii eſſet turbatiſſimus. Primi ſane qui de Electoribus quidquam memoriæ prodiderunt, ſunt Martinus Polonus, Albertus Stadenſis, & Wilhelmus Durantes Speculator aliàs dictus, quorum verba adduxit Dn. Præſes. *ad Lampad. d. l.* è quibus licet is, quem primo loco nominavimus, Martinus, communem quam ſupra rejecimus opinionem firmare videatur, tamen nec ipſe aperté ei adſtipulatur, & quantumvis id faceret, tamen mihi tam longe ab ipſius memoria diſtante haut ſatis tuto fidem ipſi habendam, nemini intelligenti non jam tum conſtat. Forte enim & is deceptus fuit fabula illa, quam tum ſpargebat Curia Romana, de jure eligendi illis Septemviris jam Ottonis III ætate conceſſo. Quocunque autem modo nacti ſint præcipuum illud præ reliquis Principibus jus Septemviri, (hodie IIXViri) certe jam inde à ſeculo decimotertio in perpetuâ fuerunt ac tranquillâ ejus poſſeſſione; præſertim poſtquam per Auream Bullam, aliasque Imperii Leges fundamentales, expreſſe id iis eſt confirmatum.

XXVI. Accedimus ad ALTERVM de quo adhuc diſſerere inſtituimus: num ſcilicet hæc Officia ſint feuda Eccleſiæ Bambergenſis? Meritò hic protinus craſſum eorum errorem explodimus, qui ipſa jurium Electoratuum feuda à Bambergenſi petenda eſſe ſunt opinati. Quos inter tamen fuit cùm aliis tum Spangenbergius *in Chron. Saxon. cap. 161.* Sturtius *de Imp. Rom. cap. 16 n. 12. imo & M*egiſerus *Annal. Carinth. lib. 7. c. 6.* ſcribens: Es hat Kaiſer Heinrich

Chur-

Intelligit Henricum II, faſt die fürnehmſten Fürſten im Reich dem Biſthum Bamberg zu Lehnleuten gemacht / daher ſeyn noch heutiges Tages alle Churfürſten des Reichs des Biſchoffs zu Bamberg Lehnleute / dergeſtalt / daß er ſie als mit einem Lehen belehnet mit den Churfürſtl. titul und Nahmen / und mit dem was ein jeder als ein Churfürſt hat und beſitzet. Sane Henricum II (licet ſummo favore Bambergenſem Comitatum, quem ipſe in Epiſcopatum erexit, fuerit proſecutus) hoc ipſi indulſiſſe nullo poteſt indicio probari. Imò concedere id non potuit, cum iſtis temporibus libera adhuc fuerit electio. Novimus quoque ex *A. B. c. 7* inveſtituram Electoratuum Imperatori competere, id quod hodierna praxis ſequitur. Nec verò etiam ipſa illa Officia Imperii miniſterialia, quatuor ſecularibus Electoribus ab antiquo competentia, à Bambergenſi conferuntur, ea quippe cum nexu indiſſolubili dignitati Electorali hodie conjuncta ſint, unà cum hac quoque ab Imperatore concedi ſolent, ut è literis inveſtituræ datis Auguſto Saxoniæ Electori à Ferdinando I liquido probat Carpzovius *quæſt. 1. ad A. B ſubjuncta diſp feud. 10.* Undenam ergo iſte communis error natus eſt? Inde fortaſſis, quod quatuor illi Imperii Officiales ad ſimilia illis, quæ Imperatori debent, Officia Epiſcopo Bambergenſi per SubOfficiarios præſtanda adſtricti ſint, eoque reſpectu nonnulla bona ad Electorales ditiones pertinentia in feudum ab eo recognoſcant. Et vero per errorem vulgò cenſentur propriè dicta Electoralia bona eſſe quæ reapſe non niſi Bambergenſis ſunt feuda. Quæ inter ipſamquoque eſſe Pragam, regiam Bohemiæ ſedem, meritò mireris: imò poſſit cui videri abſimile vero, niſi illud jampridem ipſemet Goldaſtu-

l. 3. de Regno Bohemiæ p. 316. prodiderit, atque ipſi ſemper confirmaſſet Joannes Conradus Dietericus in [illegible] *Hiſtoricis pag. 74* Illud notiſſimum eſt, Quinque [illegible] Electores in ſuis Bambergenſibus Officiis habere [illegible] Imperialibus plane diverſos Vicarios: Bohemum Pincernam nobilem de Aufſeß/ Palatinum Dapiferum de Pommersfelden / Saxonem Mareſchallum [illegible] / Brandenburgicum [illegible] de Rotenhan. Vide præter Carpzov. *d. l.* Limnæ. *de I. P. lib. 7. c. 67. & ſeqq. & in addit. ibid. it. ad Capit. Carol. V. pag. 122.*

XXVII. SICUT autem in permultis aliis in Principum regimine magnam cum ipſius Imperii adminiſtratione ſimilitudinem licet deprehendere, ita quoque in hiſce Officiis Principes Germaniæ Imperatores noſtros videntur imitati. Reperias enim paſſim in Ducatibus hæreditarios Mareſchallum, Camerarium, Pincernam, Dapiferum. Quanquam hæc duo poſteriora Officia non adeo frequentia ſint. Neque verò id novum aut recens inſtitutum poſſit videri, ſi attendamus *Conſtitutionem de expeditione Romanâ* Carolo Craſſo vulgo tributam & à Marquardo Frehero commentario illuſtratam. Hujus enim inter alia hæc ſunt verba: *Singuli Principes ſuos habent Officiarios ſpeciales: Mareſchallum, Dapiferum, Pincernam & Camerarium.* Quamvis autem merito hanc conſtitutionem ſuſpectam eſſe, oſtenderit Ampliſſ. Dn. Præſes *de Orig. Jur. Germ. cap. 17.* tamen cum ea jam XII circiter ſeculo conſcta fuerit, vel ſic patet, antiquum admodum illud eſſe inſtitutum. Imo verò vetuſtiore multò origine id cœpiſſe, videntur indicare Bambergenſis Epiſcopatus Officia illa jam tum ab Henrico Sancto inſtituta. Nec enim veriſimile eſt, tale quid tunc plane ſine omni exemplo prævio in

Prin-

[illegible] alias incepiſſe. Quemadmodum autem Imperatores Officia Imperii miniſterialia certis quibuſdam familiis [illegible] jure conceſſerunt, ita & illas dignitates in ſuis ditionibus Principes quammulti contractu feudali hereditarias effecere: ut uſus teſtatur.

XXIIX. Quæ & ſimilia latiùs nunc exponere, non ſinit propoſitus & jam expletus hujus ſcripturæ modus. In quâ ſi quis aut accuratum judicium, aut majorem eruditionis apparatum, vel conſtantem ubique diligentiam deſideret, velim meminerit, & juvenem me eſſe, & hæc ipſa præcipiti feſtinatione à me eſſe exarata.

FINIS.

INDEX

INDEX
EXERCITATIONVM
ACADEMICARVM DE REPVBLICA IMPERII GERMANICI.

I De Germanici Imperii Civibus p. 1.
II De Imperatore Romano Germanico. p 32.
III De Urbibus Germanicis. p. 73.
IV De Ducibus & Comitibus Imperii Germanici. p. 151.
V De Septemviris ſeu Electoribus Regni & Imperii Germanici. p. 181.
VI De Judiciis Reipublicæ Germanicæ p. 214.
VII De Conſtitutione Epiſcoporum Germaniæ p. 325.
IIX De præcipuis negotiis in Conventibus Imperii Germanici Ordinum olim & hodienum tractari ſolitis. p. 498.
IX De Comitiis Imperii Germanici. p. 463.
X De Officialibus Imperiì Romano-Germanici. p. 533.

BIBLIOTECA NAZ. ...